This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com




Digitized by Google

BIBLIOTHECA S. J.
Maison Saint-Augustin
ENGHIEN

BIBLIOTHÈQUE S. J.
Les Fontaines
60 - CHANTILLY


Digitized by Google

Digitized by Google

A 404/3

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

D. JOANNIS JUSTI

LANSPERGII

OPERA OMNIA

Digitized by Google

IMPRIMI POTEST.

Fr. Anselmus-Maria, Prior Cartusiæ,
Prid. Non. Octobris MDCCCXC,
in Solemn. S. P. N. Brunonis.

IMPRIMATUR.

† Desideratus-Joseph, Episc. Atrebat.,
Atrebat., Idibus Octobris MDCCCXC,
in Festo S. Theresiæ virginis.

Digitized by Google

D. JOANNIS JUSTI

LANSPERGII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN QUINQUE TOMOS DISTRIBUTA JUXTA EXEMPLAR COLONIENSE ANNI 1693

EDITIO NOVA ET EMENDATA

TOMUS QUINTUS

OPERA MINORA

BIBLIOTHÈQUE S. J
Les Fontaines
60 - CHANTILLY

MONSTEROLII

TYPIS CARTUSIÆ SANCTÆ MARIÆ DE PRATIS

MDCCCXC

Digitized by Google

Digitized by Google

PHARETRA

DIVINI AMORIS

Digitized by Google

Digitized by Google

IN LIBRUM PRIMUM

PHARETRÆ DIVINI AMORIS

PRÆFATIO

LICET variæ ad obtinendam charitatis perfectionem a Sanctis tradantur viæ, in eumdem scopum finemque dirigentes : hæc tamen omnium creditur esse facillima, atque maxime compendiosa, quam divinus Dionysius Areopagita, et post eum nonnulli alii docent, ut per flammigeras affectiones anima ad Deum continue se levet, ad ipsum aspiret, eidem loquatur, ipsum attingere eique inhærere gestiat. Hæc via, hoc exercitium, studium est sapientiæ : quod non multitudine librorum, nec disputationum argutia discitur, sed extensione affectus in Deum : qua excitetur juge desiderium vehementius amandi Deum, perfectiusque ipsi placendi. Propterea vocatur a sanctissimo Dionysio *Mystica Theologia,* utpote quæ divina irradiatione in animam humanam infunditur, et affectione magis quam cognitione frequentatur. Ad hanc autem sapientiam necessaria est puritas cordis, quæ hoc modo obtinenda erit, ut homo bona semper voluntate ad Deum ferveat, vigilantissimeque ab omni peccato cor suum custodiat, in vera innocentia, puritate, sinceritate ac simplicitate Deum in omnibus quærat, ipsum habens semper præ oculis quasi præsentem. Hoc autem non aliter fiet, quam ut in omnibus ubique et semper seipsum abneget. Quamdiu enim in mundo sumus, nisi amor proprius in nobis fuerit mortuus, vitia germinat, id est, desideria mala, inclinationes cogitationesque pravas ac vanas, quæ nos a Deo abstrahunt, inquinant, perturbant ac impediunt.

Abnegatio sui quantopere necessaria integritati animæ.

Ideo quidquid ejusmodi senserit homo, qui cordis studet puritati, mox debet elidere et seipsum abnegare, hoc est, ubicumque deprehenderit se non Dei gloriam sed semetipsum quærere, hoc illico detestari, abjicere debet ac persequi. Hoc enim est seipsum abnegare, desideria sua non solum

Digitized by Google

Abnegare sese quid sit.

non perficere, sed velle atque conari etiam non sentire : et sibiipsi ac omni inordinato amori, tam erga se quam ad creaturas, mori.

Debes igitur teipsum exire atque relinquere, ac sine retractione cordis subjicere te Deo et hominibus propter Deum : et semper stare paratus resignatusque ad omne beneplacitum divinum, per quemcumque tibi etiam illud innotuerit, in adversis æque ac in prosperis. Debes etiam ad hoc niti, quantum potes, ut cor habeas a phantasmatibus et rerum imaginibus, speciebus ac formis nudum ac mundum, et ab omni, ut dixi, inordinata affectione erga te et quamcumque creaturarum liberum.

Cor quomodo custodiendum.

Ad hæc maxime juvat necessariumque est juge studium evitandi multiloquium loquendique occasiones, sciendi curiositatem, curas et occupationes inutiles, sensuum affectatam oblectationem, et rerum etiam necessariarum tam superfluitatem quam inordinatum amorem. Porro vim animæ concupiscibilem excitare debes, multiplicando desideria ferventissime castissimeque amandi Deum. Neque enim ad hæc, ut dictum est, eges ratiocinatione aut acuta speculatione intellectus, sed affectus excitatione, quo indesinenter aspires ad Deum, flammigeris desideriis omnia transiens omniaque penetrans : nec alicubi quiescas quam in Deo, optans eidem semper magis ac magis placere, desiderantissime ejus beneplacitum amplecti : suspirans etiam votis omnibus, ut sublato omni interstitio omnique impedimento ac medio amoto, eidem merearis conjungi atque uniri. In hoc studio operæ pretium est, ad manum paratas semper habere aspirationes aliquas, et breves ignitasque orationes : quibus discas elevare mentem tuam in Deum, iterum atque iterum, quotiescumque volueris. Has divus Augustinus *Jaculatorias* vocat, quia sunt veluti sagittæ amoris ignitæ, ex corde hominis in cor Dei vulnerandum emittendæ.

Concupiscibile ut reformandum sit.

August. Aspirationes jaculatoriæ quæ sint.

Huic negotio libellus hic institutus est, non absurde propterea vocandus *Amoris divini Pharetra,* utpote varias habens brevium orationum sagittas in se reconditas, quibus instructus omni loco et tempore, hoc est, non solum quando orare constitutum est, sed etiam inter edendum, inter ambulandum, atque adeo inter fabulandum utaris, undique occasionem sumens ut sagittas, id est, desideria amorosa emittas in Deum. Ad hoc enim conari debet cujuslibet Deum amantis animus, ut omnis actio et tota vita sua sit jugis perpetuaque oratio : fiatque aliquando, ut jam non egeat ad orandum libro aut orationibus formatis, sed omnia quæ videt et audit sint ei liber et materia elevandi se ad Deum : nec unquam adeo occupationibus necessariis ejus discindatur aut distrahatur animus, quin confestim quandocumque libet collectus, valeat orando ad Deum redire. Haudquaquam enim totus digreditur a Deo externe occupatus : sed conatur, ut externæ quoque actiones, quibus non pro curiositate, sed pro charitate, necessitate obe-

Pharetra divini amoris cur hicce libellus dictus sit.

Uti omnia trahantur in orationem.

Digitized by Google

dientiave incumbere habet, imo etiam defectus et infirmitates suæ ansam atque materiam sibi præbeant orandi atque loquendi Deo : adeo ut liberum sit illi, sine prævia alia anxia laboriosave collectione spiritus, elevare se et convertere ad Deum omni momento. Porro quam efficax sit affectivum hoc aspirandi exercitium ad delenda peccata, ad abolendam quoque omnem deformitatem et dissimilitudinem animæ, quam denique valeat ad illuminationem, simplificationem, purificationem, inflammationemve cordis, et postremo ad absorptionem unionemque cum Deo, vix credi potest. Porro quid anima tunc gustu divini amoris sentiat inebriata, inexplicabile est. Nempe quod sentiri possit. dici non possit.

Exercitium affectivum quo spectet.

Cavendum tamen, ne huic exercitio immoderatius incumbenti gula quædam spiritualis, vel dæmonium meridianum imponat : ut vel immoderatio impetuosæ ad Deum conversionis vel nimis vigorosæ caput lædat, aut impura in spiritualibus bonis oblectatio a Deo fornicari faciat, ut in donis Dei potius quiescas aut oblecteris, quam in Deo. Quocirca opus tibi est discretione, et maxime vigilandum, ut casta deiformisque sit tua intentio : ut neque supra vires te nimietate graves, neque aliud hic quam Dei gloriam quæras. Argumentum autem in teipso recipere potes divini tractus, et rursus sinceri amoris ex te ad Deum : si nihil quæris præter Dei honorem et beneplacitum, si pariter Dei donis non inflaris, nec propterea aspernaris alios : si denique ad tuiipsius humiliationem, atque ad omnium quæ in te odis aut odisse debes mortificationem, exercitia tua et Dei dona convertis ; et postremo, si inde quotidie te sentis, secundum rationem saltem, magis humilem, magisque Deo subjectum et resignatum.

Gula spiritualis uti cavenda.

Intentio quævis quam debeat esse pura.

At vero si devotionis atque amoris sentimenta propter delectationem, ut fit in spiritualiter gulosis, quæris, aut in illis requiescis, nec curas quomodo moriaris vitiis, quomodo in virtutibus proficias, aut operibus bonis crescas, tametsi decies in extasim mentis quotidie rapereris, in solis tamen adhuc naturalibus vivis, donis Dei abutens, tuum commodum, requiem delectationemque in iis requirens. Et quoniam non quæris altissimum Dei beneplacitum, quod in vera sui abnegatione invenitur atque perficitur, quo plus proficere videris, eo in deteriora semper laberis.

Gula spiritualis quam sit periculosa.

Cæterum nemo hic conqueri potest, ad sapientiam hanc obtinendam sibi libros, doctores aut intellectus acumen deesse. Neque enim multo labore aut litterarum studio conquiritur : sed a Deo puris mentibus infunditur, idque maxime humilibus, juxta illud quod Salvator dicit : *Confitebor tibi, Domine Pater cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis*. Proinde hæc via doctis indoctisque communis est : imo indocti et simplices affectu devotionis ad Deum tracti, plerumque plus proficiunt, ad majoremque cognitionem divinorum, quam experimentalem

Sapientia vera uti acquirenda.

Matth. xi, 25.

Digitized by Google

Cognitio divinorum quibus modis acquiratur.

vocant, pertingunt, quam multi excellentissime etiam litterati. Quia studium hoc non versatur circa theorias intellectualesque speculationes : quare non est etiam necessarium ingenii acumen, sed cordis munditia et amor purus ad Deum, hoc est, liber a creaturis, cum perfecta suiipsius relictione, quibus fit, ut continua agatur elevatio mentis in Deum. Et hoc est, quod ante dicebam : affectum præire, et intellectum sequi, quia in hoc negotio validior est affectio quam cognitio.

Observa etiam, quam nobilis sit mens hominis, quæ possit etiam infinitum desiderare. Nam cum Deus ipse infinitus sit, non vult amore finito a nobis sed infinito diligi. Nihil autem in rebus est, quod in infinitum se possit extendere, præterquam desiderium nostrum. Sit ergo desiderium in infinito amore immensoque affectu colendi, amandi et honorandi Deum, accensum.

Eam ob rem multa in orationibus hic infra scriptis ponuntur, quæ a nobis haud possibilia sunt ita fieri : consultissima tamen sunt votis omnibus desiderari et peti, quia quidquid petierimus a Deo volentes, et impotentia nostra sola in causa est, ut non fiat quod volumus, jam desiderium hoc, licet nunquam perficiatur, pro opere coronatur a Deo. Siquidem ex corde nostro, ut Salvator ipse noster pronuntiat, procedit, unde laudentur aut damnentur opera nostra.

Voluntas ubi pro opere judicetur.

Marc. VII, 21.

Atque ideo ubi nulla opera consequi possunt, cordis ipsa voluntas pro opere stat. Hæc cum in infinitum se extendere possit, infinitorum potest etiam sibi operum laudem ac meritum a Deo consequi bona voluntas : licet, ut dixi, nequaquam eadem possit operari infinita. Neque enim eo potest se extendere operandi virtus, quo potest voluntas. Vides ergo quantum conferat per desideria et aspirationes excitata voluntate se a creaturis ad Deum convertere, et preculis mentalibus amore ignitis ab Immenso immensa postulare? Quandoquidem tanta est Dei munificentia, tanta benignitas, tanta largitas, ut desideriis tuis omnibus præsto sit, quippe cum ipse sit, qui te desiderare et orare facit, et nullum prorsus vel suspirium, vel gemitum ad se emissum redire sinat ad te inanem aut otiosum. Aut enim (ut alia ejus arcana quæ in anima operatur taceam) dabit tibi quod petis, aut aliud quod tibi novit utilius.

Providendum autem nihilominus sapientissime, ut omnia opera tua, hoc est, quidquid agere, quidquid volueris evitare, præcedat pura ac deiformis intentio, qua nihil ibi quæras quam gloriam et beneplacitum Dei. Interveniant alii licet medii fines, ultimus sit charitas, qua hæc et illa velis, ideo quia in omnibus optas, vis et quæris gloriam et beneplacitum Dei.

Pari modo sequatur omnes conatus tuos et opera gratiarum actio et oblatio, qua tua hæc quantulacumque Dei gratiæ adscribenda, simul ac

Digitized by Google

Christi omnia merita offeras eidem in unione charitatis illius, quæ illum de cœlis ad terras traxit, et ad patienda agendaque ejusmodi in carne assumpta impulit. Hoc modo pro Christi amore quodlibet a te factum, licet ex se vile sit et exiguum, adeo tamen ex conjunctione meritorum Christi nobilitatur, adeo ex unione divinæ charitatis sanctificatur, ut et Christi merita operaque ejus tua fiant, et tua Christi : atque ideo sic tua omnia oblata, Patri cœlesti erunt acceptissima. Quippe quæ ita meritis Unigeniti sui immersa atque absorpta sunt, quomodo gutta aquæ nobilissimo vino multo infusa : quæ simul jam non ut aqua, sed ut vinum propinatur ac bibitur. Accedit, quod ex frequenti usu orandi aspirandique ad Deum, non possis aliud exercitium habere, ubi sæpius tibi occurrant defectus tui atque dissimilitudo ipsa tua, qua difformis es a Christo, quam in hujusmodi aspirationibus ac petitionibus, ubi pro charitate, pro humilitate, pro cæterisque virtutibus Deo supplicas, quæ hic tibi præscribuntur, et potissime ubi circa vitam Jesu in meditationibus et rosario applicantur. Nam quoties virtutem, aut amorem, aut resignationem a Domino petis, mox in mentem veniet, quomodo huic voto tuo paulo ante contraria gesseris, et dolebis : decidet etiam a te et peribit, si pro illo tempore mala aliqua cogitatio, instinctusve orationi tuæ contrarius in corde tuo versetur : quandoquidem ex diametro pugnantia vota simul in te esse non possunt. Aspirando igitur ad Deum, aut pereat necesse est, quidquid in corde tuo ante mali natum fuerat : aut ipsa aspiratio languens ac in seipsam recidens ad Deum non perveniet, quippe quam non valet impuritas cordis effundere. Porro qui rarius aut nunquam corde revertuntur ad Deum, et quorum corda terrenis desideriis sunt quasi visco quodam oblita, adeo ut per mentalem orationem ad Deum se erigere nequeant, nec corda sua effundere, offerre resignareque Deo : multa sæpe et grandia peccata mente concipiunt, ac quodammodo parturiunt, quæ nec plangunt, nec se reprehendunt : quia oculi eorum, id est, puritas et integritas cordis, obtenebrati sunt; quare seipsos non vident.

Opera nostra uti Christi operibus unienda sint.

Caveas igitur omni studio, nec versari intra te sinas, unde libertatem amittas cor tuum convertendi dirigendique ad Deum tuum. Sine hac enim neque salus neque regnum Dei intra nos esse potest. Atque ideo si illam amiseris, plus amisisti quam cœlum et terram. Quid enim conferet tibi aut cœlum aut terra, aut si etiam omnem Scripturam intelligeres, universumque mundum lucrifaceres, aut cunctis in mundo egentibus opem ferres : si interea cor tuum ita affectum fuerit ad creaturam aliquam, ut se nequeat convertere, levare atque effundere in suum Creatorem? Quandoquidem et Scripturæ, et opera misericordiæ, et alia quæque exercitia nobilissima, non ob aliud nobis collata sunt, quam ut horum adminiculo in Deum re-

Digitized by Google

vertamur, ipsi placere gestiamus, ipsique internum, beneplacens ac juge holocaustum efficiamur.

Puritati cordis quantopere studendum.

Itaque ad hoc semper eniti debemus, ut cordis habeamus puritatem, qua idonei simus ad divinæ gratiæ influxus recipiendos, ad amorem nostrum in Deo stabiliendum atque figendum, et ad plenissimam abnegationem et resignationem nostri. Hæc namque abnegatio resignatioque sui, qua semetipsum omnimode homo relinquit, exit, ac ab omni proprietate se nudat, et plene se Deo in omne beneplacitum offert atque resignat, clavis est, qua semper pateat homini porta introeundi in Deum, et Deo introeundi in hominem.

Digitized by Google

PHARETRÆ DIVINI AMORIS

LIBER PRIMUS

VARIIS ORATIONIBUS, IGNITISQUE ASPIRATIONIBUS
AD DEUM, DEIPARAM VIRGINEM MARIAM, CÆTEROSQUE SANCTOS,
EXERCITIIS ITEM DIVERSIS REFERTISSIMUS.

PARS PRIMA

COMPLECTENS IN SE EFFUSIONES CORDIS, ORATIONES ASPIRATIONESQUE VARIAS PRO EXPIATIONE PECCATORUM.

EFFUSIONES

Effusio cordis generalis pro peccatis remittendis, excitans et humilians spiritum vehementer ad compunctionem.

OMNIPOTENS, æterne, benignissime, misericordissimeque Domine Jesu Christe, creator et redemptor animæ meæ: ecce ego sum ille nequissimus, impiissimus et vilissimus peccator, totus abominabilis atque contemptibilis, totus nefandus atque miserrimus, omni bruto vilior ac deterior effectus, qui tam enormiter, tam frequenter, tam audacter, tam impudenter tuam infinitam majestatem atque præsentiam inhonoravi, tuam sanctitatem offendi, tuam bonitatem, charitatem, pietatem et longanimitatem contempsi, tua præcepta transgressus sum, tua consilia sprevi, tuis donis abusus sum, tuis beneficiis ingratissimus fui, tuum dulcissimum jugum abjeci, a te Deo meo, Deo totius salutis meæ, cor meum averti et recessi, et in servitutem diaboli pro vili et momentanea delectatione me captivum tradidi, membra mea, sensus meos, vires animæ meæ, tempus et alia dona, quæ mihi dedisti, quibus si te honorassem, æternam mihi felicitatem concessisses, inimico tuo serviens, ad contumeliam tuam turpiter expendi et miserabiliter sum abusus : ut adeo etiam tibi jam ad serviendum, deficientibus viribus, dominantibus vitiis, dilapso tempore, inutilis factus sim. O Salvator piissime, tu scis quot mala commisi, quot bona omisi, et quot propter ea etiam multa mala peccando incidi !

Quisquis hoc exercitio usus fuerit, graviora sua peccata hic in genere ad memoriam revocare poterit, pro excitanda devotione et cordis compunctione.

Insuper non suffecerunt mihi infelicis-

Digitized by Google

simo peccatori propria peccata, sed super ea et aliena multa accumulavi. Heu, mi Domine, quot homines seduxi, quot meo perverso vivendi genere scandalizavi, quoties malum consului, occasionemque peccandi aliis innocentibus dedi, adjuvi et induxi in immania flagitia et peccata! Heu, quomodo nomen tuum ubique per me blasphematum est! Heu, me quot animas, tuis vehementissimis doloribus et angustiis amarissimæ Passionis redemptas, pretioso tuo Sanguine et morte innocentissima vivificatas, ego conculcavi, interemi ac jugulavi! Propter hæc indignum plane me judico, ut oculos meos ad te levem, gratiamque tuam mihi impertias.

Hic tunde pectus tuum cum publicano, et dic ex intimo cordis tui : *Domine, propitius esto mihi peccatori*, et quidquid magis tibi possit tuiipsius parere contemptum, assume.

O Deus judex æternæ gloriæ ac metuende, vere ego sum pessimus ille latro, qui toties peccando et alios scandalizando propriam animam, aliorumque animas tam pulchras, tam nobiles a te conditas, ad tuam imaginem factas, tanta charitate redemptas, fœdavi, et eas tibi Creatori ac Salvatori suo abstuli, occidi, et dæmonibus tradidi : sicque Passionis et Sanguinis tui fructum, quantum in me fuit, evacuavi. Heu me miserum, clementissime Pater, qui tanta mala feci, factus adeo turpis, odibilis et facinorosus! Domine Deus, confundor et erubesco levare faciem meam ad te, quantum iniquitates meæ multiplicatæ sunt, supergressæque sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me. Delicta mea creverunt usque ad cœlum, et multiplicata sunt sicut arena, quæ est in littore maris. Ultra omnes peccatores, ego miser et miserabilis te offendi, factus quasi spuma totius iniquitatis, et omnium peccatorum peripsema. Heu, cur inter peccatores primum locum mihi elegi, adeo ut alii peccatores mihi comparati, etiam justificentur : quippe cui tot dona, tot adjutoria, tot beneficia largitus es, et plura dare paratus fuisti, quibus a peccatis me continere vel resurgere potuissem! Et tamen his omnibus neglectis, spreta benignitate tua, qua me tam longanimiter ad pœnitentiam exspectasti, excitasti, provocasti et tandem misericorditer attraxisti, post tam multa et enormia peccata, post tantam offensam, cum pro reconciliatione et adeptione gratiæ tuæ indesinenter cogitare et laborare debuissem, totumque me in holocaustum tibi offerre, totus ingratus, cor meum averti a te, et quotidie, imo et quasi continue negligentiis meis et defectibus offendo te. In servitio namque tuo totus sum negligens, tepidus, indevotus, mente dispersus, a te sum aversus, cum creaturis fornicor. Quid ultra dicam? Non habeo ut unum pro mille respondeam. Scio me graviter nimis deliquisse, et iram tuam juste meruisse.

Verum tu clementissimus es, idcirco, quæso, *ne in furore tuo arguas me, neque* *Ps.* VI, 1. *in ira tua corripias me,* sed potius *miserere* *Ibid.* 1, 2. *mei secundum magnam misericordiam tuam, et secundum* infinitam *multitudinem miserationum tuarum dele iniquitates meas.* Non reserves mihi peccata mea, benignissime Pater, in diem vindictæ, in diem mortis meæ, neque in curia justitiæ tuæ me castiges, sed ut in præsenti vita veniam percipere merear, nunc potius in carcere præsentis vitæ, in curia misericordiæ tuæ et liberationis, me ure et seca, ut in æternum parcas, saltem ut post hanc vitam a vindicta tua sim securus. Memor quoque sis fragilitatis et nihileitatis meæ, Deus, et sustentes animam meam manu tua, quia ne minima quidem sufferre possem, nisi in virtute tua. Iterum rogo te, clementissime Domine, et per omnes miserationes tuas obsecro, non sinas animam meam de corpore meo exire, nisi prius plene tibi reconciliatam, plenarie purgatam, perfecte mundatam, tua charitate, proximi dilectione cæterisque virtutibus perfecte ornatam, et ab omni pœnarum formidine, ab omni inferni et purgatorii terrore pror-

Digitized by Google

sus liberam et securam, totamque tibi inseparabiliter adhærentem, et jugiter sine fine tecum feliciter mansuram. Sed unde mihi hoc? Unde tanto peccatori, tam ingrato tantum beneficium, tantum donum? Quomodo audeo hoc petere? De tua pietate id præsumo, dulcissime Domine Deus meus, misericordia mea, cui perinde est a multis ut a paucis salvare, cum tota salus nostra non ex operibus nostris, sed tua gratia præcipue pendeat. Tu pro me satisfecisti. Tu ut mihi satisfactio tua subveniat, meruisti. Ego mendicus et pauper, nihil habeo quo hoc merear. Nihil habeo quod offeram tibi nisi peccatricem animam et hoc miserrimum corpus, quæ a te recepi, quæ tu bene fecisti, sed ego destruxi. Hæc tibi, Domine mi, offero in beneplacitum voluntatis tuæ : fac mecum sicut tibi placuerit : rege me, tene me et posside sicuti volueris. Age mecum secundum quod magis est ad gloriam et voluntatem tuam, castigando vel consolando me. Hoc solum, mi Domine, precor, ut in omni adversitate, in omni dolore, in omni tentatione vel consolatione cor meum perpetua charitate sit tibi conjunctum, tuæ voluntati inseparabiliter unitum : ut omnia de manu tua humiliter accipiam, in omni eventu tibi semper gratias agam, et nihil extra tuam voluntatem cupiam : ut semper et omnem tribulationem superet hilaris patientia, et omnem prosperitatem excedat devota humilitas.

In remissionem autem et ablutionem peccatorum meorum, in suppletionem omnium defectuum et negligentiarum mearum, in gratiarum actionem et memoriam beneficiorum tuorum, offero tibi, dulcissime Jesu, Cor tuum, benedictam Incarnationem tuam, innocentissimam conversationem, sanctissimam vitam, amarissimam Passionem ac mortem tuam, et omnia quæ pro salute mea assumpsisti, egisti et passus es. Sed et omnia merita omnium Sanctorum tuorum sanctæque Ecclesiæ tuæ, atque affectum et gratitudinem totius universitatis : obsecrans te per hæc omnia, et per immensam charitatem tuam, per infinitam misericordiam tuam, per charissimam Genitricem tuam, dulcissimam et benignissimam Virginem Mariam, per omnium Sanctorum et devotorum preces et merita, ignosce mihi sceleratissimo et vilissimo peccatori, quidquid unquam male egi contra te, et gratiam tuam piissimam mihi infunde, per quam de cætero me custodias ab omni peccato, liberes et præserves ab omnibus quæ tibi in me displicere possunt, ut ita tibi serviam, ita tibi placeam, ac talis semper in oculis tuis inveniar, qualem velles juxta ultimum et summum beneplacitum tuum. Amen.

Effusio cordis alia, seu meditatio animæ, peccata et ingratitudinem suam coram Deo plangentis, et sui reconciliationem atque purgationem flagitantis, cum aliis id genus suspiriis, quæ digna sunt etiam frequentari ab Eucharistiam sumpturis.

Omnipotens, æterne Deus, cui soli omnis debetur honor, gloria et gratiarum actio, en ego infelix, indignus ac perfidus ille peccator, hactenus tibi rebellis et ingratus, venio ad te creatorem meum, Deum meum, redemptorem meum, misericordem judicem et salvatorem meum, accusans meipsum, et tibi confitens omnes abominationes, scelera et peccata mea, quibus nomen sanctum tuum blasphemavi, præcepta tua transgressus sum, voluntatem tuam contempsi, dona et opera tua in me destruxi, animam et corpus meum pollui, vires, quibus tibi servire debueram, peccando enervavi, et ad serviendum tibi me inde inutilem et infirmum feci, gratias ac munera tua in contumeliam tuam verti : ad charitatem denique et misericordiam ac beneficia tua, quibus vias meas conclusisti, hucusque frigidus atque lapideus perseveravi. Quid, o mansuetissime ! quod instinctus tuos tam sæpe contempsi, longanimitatem tuam sprevi? Et non solum hanc meam, sed alias

Digitized by Google

quoque innumeras animas, quas tu Sanguine tuo pretioso mercatus es, pro quibus etiam redimendis tu incarnari, pati, crucifigi ac mori dignatus es, ego tibi iterum abstraxi, seduxi, fœdavi, et hosti tuo diabolo animicidæ in mortem tradidi.

O misericordissime atque mitissime Domine Deus meus! in hujusmodi pravitate heu nimis diu obstinatus mansi, abutens benignitate tua et omnibus donis tuis, negligens bene agendi occasiones, omnibusque modis tibi et bonis hominibus rebellis. Heu piissime Jesu! quod modo etiam cum in honorem et beneplacitum tuum me totum tibi offerre deberem, maneo totus ingratus, veteribus peccatis meis nova cumulans, in servitio tuo tepidus, negligens et indevotus, et a te aversus ad creaturas. Indignum est igitur ut oculos meos ad cœlos levem, qui etiam omnibus creaturis, atque adeo vita ipsa et aura qua foveor, prorsus indignus sum. Verumtamen quo fugiam a facie tua, Domine Deus meus? ubi abscondam me ab ira tua? Quis reconciliabit me tibi? Numquid non pater meus es tu, cujus miserationes nunquam continere se possunt, cujus pietas non potest concludi? Ego vero, licet filii nomine indignum me fecerim, agnosco tamen non alium patrem, præter te, Domine. Quapropter ad pedes misericordiarum tuarum curro : ibi prostratus, per omnipotentiam, sapientiam, bonitatem tuam, et per infinitam misericordiam tuam, qui es miserationum abyssus, obsecro te, ignosce, purifica, et libera me a peccatis meis omnibus, per merita vitæ et Passionis tuæ. Recipe me in gratiam tuam, qua me teneas, confirmes, dirigas atque possideas ad gloriam tuam, et secundum æternum beneplacitum tuum.

Ut autem exaudiri merear celerius, dulcis Jesu Fili Dei vivi, qui te advocatum et mediatorem inter nos miseros et Patrem tuum constituisti, obsecro te per charitatem illam, quæ te de cœlis traxit in uterum Virginis, et de utero Virginis per Passionem ad ignominiam crucis, perque singulas guttas tui Sanguinis pro me effusi, ut sanctissimæ vitæ ac Passionis tuæ meritis atque virtutibus me dones, et gratiæ tuæ intra me juge habitaculum facias (*si ad Eucharistiam statuis sumendam accedere, hæc adde :*) dignumque me facias ad recipiendum dilectionis tuæ pignus vivificum, Corpus videlicet tuum in Sacramento dignissimum, ad gloriam tuam, et ad animæ meæ cunctarumque animarum salutem et profectum, quo tibi conjunctus, suavissime Jesu, mundo moriar totus, tibi vero soli deinceps vivam, et castissimo ferventissimoque amore inseparabiliter inhæream. Amen.

Suspiria gementis animæ pro peccatis suis ad Deum clamantis.

Heu Deus meus et Pater misericordiarum! ut quid toties offendi te patrem et creatorem meum?

Dominator vitæ meæ, ecce vides, quia non est in me bonum, nec sanitas animæ meæ. *Jer.* XVII. 14.

Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi. Sana me, Domine, et sanabor, salvum me fac, et salvus ero, quia laus mea tu solus es.

Heu, Domine Deus, quanta sunt vulnera mea, quanta infirmitas, quanta vilitas et pravitas mea, pro quibus tu sanandis crucifixus es et occisus!

Cui conquerar, o Domine, omnia mala mea adversum me, quam tibi salvatori et redemptori animæ meæ?

Deus meus, propitius esto mihi peccatori!

Jesu Fili Dei vivi, miserere mei, quia nihil tibi impossibile est, quam miseris nolle misereri.

Redde mihi, o misericordissime Jesu, gratiam tuam. Recipe me iterum in amicitiam tuam.

Non secundum merita mea, sed secundum bonitatem tuam respice in me, clementissime Domine Deus meus.

Dulcis Jesu, quam amabilis est gratia

Digitized by Google

tua, quam suavis amicitia tua. Ne, quæso, abjicias me propter peccata mea.

Benignissime Domine Deus meus, quid aliud ego miser et infelix peccator possum, quam peccare? et quid tu, o optima et infinita Bonitas, aliter potes, quam misereri et parcere? Fac ergo tu secundum bonitatem tuam, quia ego infelicissimus agere non desino secundum malitiam meam.

Misericordissime Domine Deus meus, da mihi pœnitentiæ lacrymas, quibus ex abysso cordis mei doleam, et lugeam peccata mea.

Da mihi dolorem perfectissimæ contritionis, et lacrymarum flumina jugiter fluentia : quia te Deum meum et creatorem meum contempsi.

Emollias, quæso, saxeum hoc pectus meum; inflamma frigidissimum cor meum, ut lacrymæ fluant mihi die ac nocte, et dolor sit cordi meo continuus, quod non amavi, quod sprevi, quod etiam offendi te, Domine Deus meus.

Quid faciam, Domine Deus meus, ut placeam tibi, qui usque hodie totus sum abominabilis et plenus iniquitate?

Deducant oculi mei lacrymas per diem et noctem, et non taceant, quia alienum me feci a gratia Creatoris mei. *Jer.* xv,17

Domine Deus meus, quid mihi sine te vivere? Recipe me in gratiam tuam. Ostende mihi misericordiam tuam, miserator et misericors Dominus.

Heu me miserum et infelicem, Domine Deus meus, quod unquam offendi te!

Ah, utinam non fecissem, utinam non peccassem! Non sinas, o clementissime Deus meus, non sinas ut peccata mea dividant inter me et te.

Si castigare me vis, Domine, non in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, sana animam meam, quia peccavi tibi. *Ps.* vi, 1.

Non imputes, quæso, mihi peccata mea, nec propterea gratiam tuam a me auferas aut minuas. Sed quo ego sum infirmior, ostende tu in me divitias bonitatis tuæ. Cunctis palam fiat in me, quia miserationes tuæ sunt infinitæ atque immensæ. Amen.

Observa in psalmis et veteri testamento variis in locis unde multa colligi possunt, quæ pœnitentiæ gemitus excutiunt.

PRECATIONES PIÆ

Pro vera contritione a Deo obtinenda precatio cumprimis frugifera.

O JESU misericordissime, cum nulla sine dolorosa cordis contritione peccatorum fiat remissio, per immensam et ineffabilem tuam, te obsecro, pietatem, ut jugem mihi infundere digneris pro immanitate scelerum meorum contritionem, lacrymarumque imbrem indeficientem, ut digne ac perfecto corde iniquitates meas innumeras lugere et deplorare valeam. Infunde etiam mihi veram peccatorum meorum cognitionem, ut clare agnoscam, quantum tuam immensam atque excellentissimam majestatem offenderim, inhonoraverim atque contemptui habuerim, et vel jam tandem cum vero amore ad te Deum verum ac vivum me convertam.

Ah, piissime Domine Jesu Christe, quis enarrare sufficiet, quantum tibi debeam quantisve tu me tibi beneficiis devinxeris, quod tanto tempore me peccantem tolerasti, tantisque iniquitatibus meis hucusque pepercisti, quodque tantam ingratitudinem meam tam patienter sustinuisti, ac tam indigno peccatori tam multa beneficia præstitisti, cum tamen interim multi, ut vere timendum est, pro multo levioribus peccatis ad inferos descenderint, qui nullam de suis peccatis vel cognitionem vel contritionem habere potuerunt! O utinam pro

Digitized by Google

his et similibus, totum me tibi possem dedere, ac diu noctuque in divinum tuum obsequium impendere, atque omnes nervos meos extendere, ut veraciter te amarem, laudarem, et cum omnibus creaturis tuis te summo et excellentissimo modo honorarem. Amen.

Pro peccatorum indulgentia precatio.

O Jesu clementissime, utinam compungas duritiam lapidei cordis mei spinis dolorosæ contritionis, tuæque Passionis memoriam adeo profunde cordi meo imprimas, ut ex intimis cordis mei medullis, tibi pro me passo tenuissimam saltem compassionem exhibere sufficiam, atque ex omni virtute qua mihi possibile fuerit te redamem, omnique conatu in hoc laborem, ne veteribus peccatis nova superaddam. Amen.

Pro peccatorum indulgentia precatio alia.

Jesu misericordissime, qui non vis mortem peccatoris, sed magis ut convertatur a via sua mala, et vivat, respice super me piissimis oculis illis, quibus electum tuum discipulum Petrum post trinam tui negationem respicere misericorditer es dignatus, et sanctæ mihi contritionis gratiam citius pro omnibus meis gravissimis largire digneris sceleribus, ut continue pœnitentiæ et amoris lacrymæ in me abluant quidquid, mea malitia perurgente, rugarum in anima mea contraxi, ne forte cum hac destitutus fuero in æternum peream. Amen.

Ezech. VIII, 24.

Ad S. Petrum pro spe veniæ precatio.

O apostolici gregis princeps Petre beatissime, qui tanto majorem præ cæteris Sanctis habes compassionem cum miseris peccatoribus, et cum his qui ex carnis infirmitate in varia sunt prolapsi peccata, quanto tuipse fragilitatem humanæ naturæ in trina Domini Dei ac dulcis Magistri tui negatione es expertus, te obsecro, ut fragili mihi peccatori gravibus peccatis et malorum desideriorum passionibus involuto, atque ad omnem lapsum propenso, gratiam et veniæ spem a dilecto, imo prædilecto tuo magistro Domino nostro Jesu Christo obtinere digneris : quandoquidem indignum plane me judico, qui preces meas coram ipso effundam, aut quem tanta exaudiat majestas, ne sub vitiorum onere corruam, aut ob delictorum gravitatem meipsum desperem.

O Petre, Christi Ecclesiæ pastor ac rector vigilantissime, erranti oviculæ tuæ succurre, et e luporum faucibus, quod tui est et muneris et officii, eam erue, extrahe nunc lapsum de omni sorde, consolare tristem, confirma pusillum corde, protege ab adversario, custodi a multiplici laqueo, nec sinas perire animam pœnitentis, pro qua redimenda pius Magister tuus doloribus et supplicio mortis se exposuit, sed in hora instantis mortis perduc animam tui confratris in regnum perpetuæ felicitatis, ubi tu janitor et princeps exsistis. Amen.

Quando aliquo singulari excessu gravatam sentis conscientiam tuam, converte cor tuum ad Dominum, et dic :

O Domine Jesu Christe, colende, adorande et metuende : heu infelix ego, vilissimus et ingratissimus peccator, nunc iterum atque iterum gratiam et bonitatem tuam, hoc N. N. dicto aut facto offendi, majestatem tuam inhonoravi, et te amatorem atque benefactorem meum, qui mihi super omnia charissimus, dulcissimus atque desideratissimus esse debueras, abjeci. Heu, Domine Deus meus, doleo quia peccavi. Et quia nimis parum doleo, utinam tu cor meum vulneres, et impleas dolore amarissimæ perfectissimæque contritionis ! Et quia ex me est culpa et perditio, ex te vero gratia et miseratio, in virtute tua nunc statuo, super te enixus, ab omni deinceps offensa ejusmodi cavere, omnemque peccandi occasionem per gratiam tuam

Digitized by Google

evitare. Quapropter, o dulcissime, desiderabilissimeque Jesu Christe, Domine Deus meus, nunc ego cor meum ab omni creatura averto, et tibi illud fidelissimo unicoque amatori meo offerens assigno, rogans ut illud in Cor tuum absorbeas, adeoque tibi totum spiritum meum unias, ut posthac aliud non sit mihi velle aut nolle, quam tui Cordis beneplacitum. Eia igitur, o fidelissime amator Jesu Christe, omnem culpam omneque impedimentum amoris tui, et quidquid inter te et me non recte mediat, quæso, aufer a me. Purifica me in roseo sanguine tuo a cunctis vitiis, ab omni impuritate, ac proprietate intentionis et amoris, ut nihil in me remaneat, quod castissimo amore tui non inflammatum ignescat. Amen.

Alia brevis oratio.

O Agne Dei mansuetissime, propter innocentissimam mortem tuam, peccatis meis ignosce, et emendationem vitæ meæ secundum Cor tuum mihi tribue. Amen.

Oblatio ad Patrem cœlestem pro peccatis abunde satisfactoria.

Clementissime Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, in emendationem peccatorum ac vitiorum meorum omnium offero tibi Unigeniti tui satisfactionem plenissimam sed acerbissimam, hoc est, ejus amarissimam Passionem ac mortem innocentissimam. Et in suppletionem omnium negligentiarum atque defectuum meorum, sed in gratiarum actionem pro cunctis beneficiis tuis, offero tibi ejusdem innocentissimæ vitæ actus, virtutes ac merita.

Porro in gloriam ac beneplacitum tuum offero tibi corpus et animam meam, ut illa tu possideas atque regas, quomodo tibi maxime placuerit, me totum in laudem et honorem tui convertas, adeoque tibi me unias, ut nunquam velim aut velle possim, quam quod tu vis. Amen.

Pro reconciliatione peccatoris, et peccatorum venia precatio efficax.

Domine Jesu Christe, verus Deus et homo perfectus, recordare, obsecro, illius ardentissimæ atque ferventissimæ charitatis, quæ te de regalibus sedibus tuis in hanc usque lacrymarum vallem miserabileque exilium ac tenebrosum traxit carcerem, ut nostram naturam assumeres, multasque ab electo tuo populo persecutiones, opprobria, contumelias, crucem et mortem horrendam patereris, quo sic peccatores quæreres, et salvas faceres oves tuas a te vero pastore aberrantes. Reduc igitur me, mi dulcissime Domine ac pastor vigilantissime, ad viam veritatis, a qua longe per devia vitiorum abductus sum : neque peccatorum meorum reminiscere, quibus nonnisi iram et indignationem maximam merui, ovibusque tuis me aggrega, a quarum grege, propria mea malitia stimulante, tamdiu me segregavi.

Eia, superdulcissime Deus, si tales quæris, qui nonnisi propter gravitatem criminum suorum desperare possent, in quos miserationum tuarum profundissimum effundas pelagus, en habes me desperatum ac pondere propriorum vitiorum nimis prægravatum, miserere mei, ac solitam tuam benignitatem, quam omnibus indifferenter ostendis, mihi noli negare, aut a facie tua repellere. Si item quæris viles, abjectos, inopes et egenos, quibus benefacias, aut divitias æternæ tuæ felicitatis communices, mi suavissime Domine Deus ac Salvator meus, ad me respice, mihique intende. En operibus bonis sum vacuus, veris virtutibus destitutus, donis atque gratiis tuis in malum meum hucusque sum abusus, tempus ad pœnitentiam indultum misere nimis absumpsi, multaque alia perpetravi, quæ enumerari nequeunt, non tamen tibi incognita, qui scrutaris renes et probas corda, et reddis unicuique juxta fructum adinventionum suarum.

Quare quam humillime et simplicissime possum tuæ excellentissimæ supplico ma-

Digitized by Google

jestati, ut his meis defectibus misericorditer succurras, meamque necessitatem et indigentiam tuis supereffluentissimis meritis supplere digneris. Et quid ultra addam? Si quæris impios et homines deperditos, in quos pietatem tuam exerceas, offero me tibi, ut tuam in me declares pietatem : quandoquidem nihil ita tuæ convenit misericordissimæ pietati quam misereri et parcere creaturæ tuæ, quæ per te facta, et a te refecta est.

O Jesu piissime, et amator ardentissime humani generis, noli, quæso, derelinquere me miserum in tanta constitutum miseria et necessitate, sed fer opem mihi et hostium meorum impulsus tu propitius depelle.

Iterum atque iterum te rogo, suavissime Deus, per omnes virtutes et merita tua, per omnem gratiam, quam unquam piorum mentibus infudisti, per omnia dona superdulcissimi Spiritus Sancti, quibus discipulorum tuorum corda erudisti et illuminasti, per excellentissimam ac divinissimam unionem qua tua humanitas divinitati tuæ est unita, et postremo per illam indicibilem charitatem qua causam nostram in te recepisti, ut nos Patri tuo reconciliares, redde mihi Patrem tuum cœlestem placatum et reconciliatum, et multiplicia mea peccata atque delicta sanctissimis tuis meritis dele, gaudiisque sempiternis post hanc vitam mihi interesse concede, hæreditatemque meam jamdiu amissam mihi, quæso, restitue, et ad consortium beatorum spirituum misericorditer me admitte. Amen.

Pro peccatorum remissione alia precatio efficacissima, humili corde dicenda.

Dulcissime, suavissime, amantissime atque pulcherrime Domine mi Jesu Christe, rogo te per sanctissimam tuam Nativitatem, durissimum exilium, purissimam conversationem, amarissimam Passionem et mortem, per omnia vulnera tua, per omnes guttas pretiosi Sanguinis tui pro me effusi, per benedictissimam ac intemeratam Matrem tuam Virginem Mariam omnesque Sanctos tuos, ne me sordidum, fœtidum ac omni peccatorum spurcitia fœdatum, hominem flagitiosum omnique gratia tua indignum, propter gravissima mea peccata, impietatem et infinitas meas negligentias, quibus abunde nimis iram tuam contra me concitavi, despicias, aut a facie tua amabilissima repellas, sempiternis cruciatibus me tradendo. Sed ut des veniam misero mihi peccatori, recipiasque me contritum et compunctum in gratiam tuam, ut innotescat in omnibus finibus terræ nomen sanctum tuum, collaudentque te omnes qui onusti sunt peccatis, gravatique hujus mundi sollicitudinibus, ut confisi de tua pietate, misericordia et benignitate, suarum citius culparum sperent indulgentiam : incipiendo detestari et odisse se et peccata sua, atque ad te Deum verum et vivum convertantur.

Offerro me etiam tibi totum ad quæcumque sustinenda, pro innumeris meis delictis et excessibus, secundum liberalissimam tuam voluntatem ac benignissimum beneplacitum, quoniam tu semper justus et bonus, et omnia in bonum convertis, ego vero iniquus et impius, omnia tua bona et dona mihi collata pervertens ac destruens. Nec aliquid a me possum boni perficere, quantumvis bona mihi non desit voluntas, propter carnis infirmitatem qua trahor, rapior sæpe, ut nosti, cogitare quæ non licet, agereque quæ rationi contraria sunt. Ideo confiteor tibi, Domine, peccata mea, et rogo te, ut tu pie Domine, ex abundantia meritorum tuorum suppleas defectum meum, perficiasque voluntatem meam, ut quidquid boni concipiam aut intelligam de te, aut quod honorem tuum proximique salutem promovere possit, hoc sine mora implere satagam, sive id fuerit sensualitati meæ amarum sive suave. Obsecro etiam te, ut quamdiu in hac vita fuero, sub tua disciplina ac regimine, beatissimæque Matris tuæ Virginis Mariæ custodia me conserves et protegas,

Digitized by Google

ne vel unquam hostibus meis me tentandi, impugnandi, aut mali quidquam inferendi via pateat : præstante id mihi divina tua gratia, omniumque Sanctorum intercessione, quorum auxilium et protectionem devoto et supplici invoco corde. Amen.

Similis efficaciæ et virtutis pro peccatorum indulgentia precatio.

Jesu Christe Fili Dei unigenite, creator, redemptor, salvator, pater, dominus, sponsus animæ meæ, offero tibi me totum ac omnia quæ in me sunt bona, quæ ex gratuita tua gratia et benignitate, non meo merito) non enim minimi servuli tui nomine dignus sum) mihi misero hucusque impendere es dignatus, et adhuc impendere ab æterno disposuisti, si his bene ad gloriam tuam et meæ salutis augmentum uterer. Similiter et omnia mala, peccata, flagitia mea, quibus nonnisi æternam me meruisse damnationem agnosco, teque sine numero offendisse graviter, coram summæ pietatis tuæ oculis repræsento : rogans te per omnes miserationes tuas solitamque clementiam tuam, quam miseris peccatoribus de suis operibus diffidentibus soles ostendere, ut omnia crimina mea deleas, peccata indulgeas, justamque iram tuam a me avertas. Bona vero, quæ tua sunt, conserves, dona concessa augeas et multiplices, imperfectionemque meam perficias, ut juxta amplissimam ac perfectissimam placidissimi Cordis tui voluntatem omnem vitam meam instituam.

Tribuas etiam mihi, mi suavissime Domine, aliquam gratiam specialem, qua perfectius quotidie tuam valeam voluntatem agnoscere, ac in dies magis magisque me despicere et odisse : tibi autem incessanter vera ac perfectissima charitate adhærere, nomen tuum sanctificare, honorem tuum in omnium cordibus promovere, præcavere etiam omni conatu et studio, ne aliquo modo te in habitaculo cordis mei per gratiam habitantem contristem, aut inde te per peccata mea et quotidianas negligentias exturbem aut profligem, ut habitaculum tuum sanctum efficiatur spelunca latronum et domicilium idolorum, id mihi gratia tua præstante. Amen.

Pro peccatorum remissione precatio alia efficacissima.

Piissime, adorande atque tremende Domine Jesu Christe, si aliquis me rogaret, quanta posset obsecratione per nomen tuum, pro aliqua re, quam illi sine labore aut damno meo dare possem : et si ei hanc eamdem recusarem, ipsique forte hæc res adeo esset necessaria, ut me non subveniente ipse moreretur, nonne vitam ipsius de manu mea requireres? Si ergo nobiscum sic est, quanto magis tuam infinitam clementiam decet nos exaudire, qui jussisti nos petere in nomine tuo? Peto itaque liberalissimam clementiam tuam, non solum in nomine tuo, sed etiam in omnium electorum tuorum, qui ab initio mundi fuerunt, et ad finem usque futuri sunt, specialiter vero per interventionem beatissimæ et dignissimæ Matris tuæ, cujus preces non potes non exaudire, et per virtutem integerrimæ vitæ tuæ ac amarissimæ Passionis, ut ab omnibus peccatis meis et quotidianis excessibus me absolvere digneris : et quoad vivam, ab omni delicto me præserves. Quid enim, o dulcis Jesu, mihi conferret diu vivere, teque semper offendere, ac animam meam graviori supplicio obnoxiam reddere? Ne itaque diutius gratiam tuam mihi deneges oro, sed celerius eam cordi meo infunde, quo possim tibi magis placere, et quæcumque me a te retrahunt fugere et aversari. Amen.

Digitized by Google

PARS SECUNDA

COMPLECTENS IN SE EFFUSIONES CORDIS AD DEUM, GRATIAS AGENTIS PRO BENEFICIIS AB EODEM ACCEPTIS, SESEQUE AD SUI HUMILIATIONEM EXERCENTIS, ET VENIAM PECCATORUM PETENTIS.

Effusio cordis efficacissima ad sanctissimam Trinitatem, Dei beneficia hominumque ingratitudinem summatim perstringens.

Ad Patrem cœlestem.

O GLORIOSISSIME, potentissime ac superdulcissime Domine Deus meus, quam magna et incomprehensibilia sunt super nos beneficia tua, super me vero peccatore vilissimo, ac omni beneficio tuo prorsus indigno, tanto majora, quo tu melior majorque es, ego vero vilior, pejor atque indignior sum. Cogitaturus itaque de tuis in me collatis beneficiis, a quo exordiar, Deus meus, nescio : omnia enim tua sunt, ideo cuncta magna. Quidquid sum, quidquid habeo tuum est, præter malitias et peccata mea quæ sola mihi propria sunt. Plura autem alia sunt tua dona, quæ non habeo, quæ neglexi, quæ perdidi, quæ accipere recusavi, imo tuæ beneficentiæ obstiti, pro quibus perinde debitor sum, pro quibus gratias agere simul ac veniam a te petere teneor, propterea quod non aptavi me ad beneplacitum tuum. Sit tibi laus et gloria, piissime Pater, et propter temetipsum mihi, quæso, ignoscas, ac denuo tua bonitate suppleas quidquid a me neglectum est. O Deus misericordissime, quid retribuam tibi pro omnibus quæ tu tribuisti et retribuis mihi? O Sapientia quæ aperis os mutorum, da mih vocem laudis, ut enarrem omnia beneficia tua, quæ mihi, Domine, a principio contulisti. Ecce enim tuus sum, qui creasti me. Quod autem me creares, et in numero creaturarum tuarum numerares, ab æterno tu præordinasti, antequam quidquam faceres a principio. Antequam extenderes cœlos, antequam cuncta faceres, quæ fecisti, me tuam creaturam fore prævidisti et voluisti. Et unde hoc benignissime Deus altissime, potentissime Creator, Pater misericordissime atque mitissime, aut quæ mea merita, ut placeret tibi præordinare me et creare? Non aliter profecto quam gratis, quia tuæ bonitati sic placuit, fecisti, ut vel inde diligam te, quia prior diligens prævenisti me.

Cum itaque non essem, fecisti me, non lapidem, non bestiam, sed creaturam rationalem, ad imaginem et similitudinem tuam, divinitatis tuæ participem, felicitatis capacem. Ubi et hoc beneficii tui est, quod accepi corpus perfectum, et ne aliis inter monstruosa despectui, et mihi sim oneri, membrorum integritatem, sanitatem, sensuumque perspicacitatem, quæ sicut dedisti, ita conservas, et convenientia illis objecta ad utilitatem et recreationem varia donas. Antequam autem dares mihi esse, ne infeliciter essem, reconciliasti tibi naturam humanam, faciens pacem per Sanguinem et mortem unigeniti Filii tui. Pro quo tibi, Pater æterne, gratias ago, qui misisti unigenitum Filium tuum in mundum incarnari, inter homines conversari, prædicare, pati, crucifigi et mori pro me. Amen.

Ad Jesum Christum.

O Domine Jesu Christe, creator, amator et redemptor meus charissime, ecce indignissimus ego vilissimusque peccator, qui tuam bonitatem prorsus infinitam toties

Digitized by Google

tamque enormiter offendi, adsto hic ante conspectum immensæ tuæ pietatis cum omnibus malis et peccatis meis. Sed o suavissime Redemptor, quid dicam? O Fili Dei, o Fili hominis, o Agne mansuetissime atque mitissime, te laudo, te adoro, te benedico, tibique gratias ago pro ineffabili charitate tua, qua propter me dignatus es tam ineffabilia operari, tamque indigna perpeti. O dulcissime Jesu, quoties pro me itineribus es fatigatus, quoties in oratione pernoctasti, quoties prædicando es lassatus, quanta ex charitate pro me captus, ligatus, cæsus, consputus, flagella-
Is. LIII, 5. tus, coronatus, crucifixus! Tu enim *vulneratus es propter iniquitates nostras, attritus es propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super te, et tuo livore sanati*
Ps. LXVIII, 5. *sumus*. Quæ non rapueras exsolvisti, quæ nos debuimus, et solvere nequivimus, tu nobis donasti, tu pro nobis satisfecisti. In mortem dedisti animam tuam, et cum sceleratis reputatus es, ut sceleratos a morte redimeres. Factus es sicut non habens speciem neque decorem, velut leprosus, humiliatus ac percussus a Deo, dum pro impiis ad mortem sicut ovis ad occisionem ductus es, ut impios ac æternæ morti obnoxios, beatos faceres atque gloriosos.

Quid ultra? Peccatis meis, irritamentis bonitatis tuæ, cum necdum essem, antidotum de Corpore et Sanguine tuo fecisti, ut te faciente prodirem in esse, nihilque deforet, quod ad beatum esse perduceret; cum scires quod me destructurus essem, ex te præparatum est quo reformarer.

Inde, o Deus meus, misericordia mea, inde relucet pietas et ineffabilis bonitas tua, quandoquidem cum præscires omnes nequitias meas, omnia scelera mea, omnes abominationes meas, quibus te eram contempturus, et hodie contemno, nihil tamen horum omnium intermisisti, nec clausisti viscera pietatis tuæ erga me. Tantum enim hoc ipsum abfuit a bonitate tua, ut etiam usque modo ingratissimo, duro atque indigno non cesses pro malis bona retribuere.

Porro pro parentibus meis, et pro parentum cura et labore, eruditione ac sollicitudine, quas possum tibi, Domine, gratias agere? quandoquidem quidquid circa me factum, quidquid mihi impensum, tua providentia et te disponente, actum est. Tua sunt omnia, Deus meus: et quod ex parentibus piis, non ethnicis, non judæis, non ante, aut sub Lege, sed coruscante jam Evangelio, et in tempore gratiæ natus sum, quod ad fidem instructus sum, quod Baptismum et tuæ Passionis fructum mihi præbuisti, quod membrum Corporis tui, ac filium nova regeneratione me fecisti, quod denique vilissimo stercori nobilissimum familiæ tuæ principem Angelum beatum in custodem et (quod cum verecundia dicere deberem, nisi et teipsum pro me servum fecisses) in ministrum mihi dedisti, cunctasque tandem creaturas in usum, solatium, ministerium, exercitium ordinasti.

Domine Deus meus, Redemptor meus, quanta pro his laude dignus es, quanto honore venerandus, quanto amore amplectendus, maxime autem pro gratuita hac tua benevolentia, clementia et charitate, quæ sola ut hæc faceres te induxit. Deus æterne, Deus metuende, colende, Deus justissime sed benignissime, quomodo non merito confundor et erubesco, cum pro tua longanimitate gratias agere volo, qua me tanto tempore blasphemantem et frentose peccantem sustinuisti, nihilominus benefaciens mihi pascensque me, et cætera vitæ necessaria, imo supernecessaria mihi tribuens, conservans a periculis, a morte, a gravioribus peccatis liberans atque præservans, nec diabolo, sicut justum fuerat, potestatem in me permittens, damnationis sententiam, quam non minus enormiter quam multipliciter merui, suspendens, et cum interim complures meliores me in peccatis morerentur æterna morte perituri, in vita ad pœnitentiam me sustentans?

Heu piissime Redemptor, quam diu exspectasti me, et non veni! Tu clama-

Digitized by Google

bas, ego audire nolebam. Invitabas, et renuebam. Mandabas, et contradicebam. Trahebas, et repugnabam. Terrebas, nec curabam. Sequebaris, et fugiebam. Blandiebaris et contemnebam. Benefaciebas, et ego pro bonis mala rependebam. Vicit tamen vel sero tua bonitas meam malitiam, nec in profundum obstinationis me penitus abire permisisti. Dirupisti vincula pravæ consuetudinis, et peccandi jugum, quod mihi ut necessitatem ipse imposueram, solvisti. Vocasti, et ut audirem, aures mihi aperuisti. Immutasti salubriter cor meum, et voluntatem dedisti ad te revertendi. Extraxisti me de profundis peccatorum, et adhuc pristinis peccatis sordidum misericordissime suscepisti, nihil memor injuriarum et iniquitatum mearum grandium.

Post tanta itaque facinora mea ad vitam pœnitentiæ, ad gratiam tuam, ad illuminationem hanc perduxisti, recidentemque relevasti. Quoties enim recidi, quoties deliqui, toties ut veniam peterem, veniam sperarem, excitasti, petentique misericordissime nihil improperans dimisisti. Deus meus, quid dicam? Quid prædicem de tua bonitate, nulla nostra malitia superabili ? Major est enim omni iniquitate nostra, ideo vincit et concludit nos.

Benedictio igitur et claritas et gratiarum actio, laus, honor et magnificentia sit tibi et ab universitate omnium creaturarum tuarum pro me, quod sacris Litteris imbuisti me, quod ad christianismum, quod ad statum sacerdotalem, ad hunc Ordinem, ad statum animæ et corpori tutissimum, saluberrimum atque, ut usquequaque nihil desit mihi, sufficientissimum vocasti me. Ad Congregationem item hanc sanctam et tibi placentem, ubi instrui me faceres, simul ipse inspirans ad beneplacitum tuum perficiendum et ad virtutum profectum, immutansque duritiam et pravitatem voluntatis meæ, ut placeant nunc, quæ ante displicebant, et quæ ante male placuerant, nunc salubriter displiceant. Et quamvis (proh dolor) acedia ad bonum, pronitas ad malum, et peccandi libido ex prava consuetudine ita mihi adhæreant, ut continue usque modo contra tuam voluntatem agens, benignitatem et mansuetudinem tuam irritem, præbes tamen et spem salutis, ob tuam ineffabilem clementiam. Et cum nihil boni nihilque puri invenias in me coronandum, largiris mihi tua merita ; promittis et exspectare me facis cum Sanctis tuis, Domine Deus meus, æternæ felicitatis consortia.

Pro his omnibus et innumeris aliis tuis beneficiis mihi incognitis, laudo, benedico, adoro te et gratias ago tibi, clementissime Jesu, piissime et dulcissime Domine Deus meus : et singulariter pro charitate tua immensa atque dignatione, qua me dilexisti et diligis, qua fecisti et facis quidquid facis. Quæ utique quanto est major, tanto ingratitudo mea est gravior, pravitas mea inexcusabilior, et negligentia deterior. Verumtamen, benignissime Salvator, quia non congruit sed derogat bonitati tuæ, de misericordia tua desperare, quæ in infinitum major est iniquitate humana : et quia tui solius sum, plasma tuum nusquam nisi ad te habens refugium, a nemine alio principaliter nisi a te exspectans auxilium, non projicies me, non derelinques me in finem. Quamvis itaque, o Deus sanctissime, o Salvator piissime, tam graviter tamque enormiter peccaverim, ut omnium creaturarum usu atque obsequiis sim indignus, imo hoc millies promeruerim ut creaturæ omnes adversum me insurgant, et Creatoris sui in me ulciscantur injuriam, non tamen despero, nec desperabo, sed in pietate tua et miseratione infinita respiro. In benignitatis ergo tuæ abyssum me projicio, in profunda vulnerum tuorum me immergo, et ab ira tua abscondo, obsecrans, per eadem et per omnia quæ egisti ac passus es pro nobis, dulcedinem Cordis tui, ut veniam et salutem merear consequi, et ut ne ad momentum quidem a te valeam separari. Sanctissime, immense, præpotens, adorande,

Digitized by Google

metuende, bone, dulcissime, misericordissime Deus, rogo te per charitatem tuam omnem, per Cor tuum amorosum, dulcifluum et benignissimum, perque Matrem tuam purissimam ac tibi acceptissimam, et per omnes qui tibi ab æterno placuerunt, et usque in æternum placebunt, ut misericordiam tuam mecum facias et perficias magnam ac sempiternam. Aufer nunc a me quæ tibi displicent, et da quod placet. Tene, dirige, posside me tu solus in æternum. Non aliter nec aliud me velle sinas, quam ut exstincto, omnium malorum causa, privato ac adulterino amore, deinceps castissimo, ferventissimo atque fidelissimo amore te diligam, ac cuncta quæ extra te sunt fastidiens, tibi fideliter et inavertibiliter inhæream : honorem quoque tuum atque dulcissimi Cordis tui beneplacitum ardentissime sitiam, fidelissime infatigabiliterque intendam, quæram, promoveam perficiamque : omnes item vires tam animæ quam corporis mei, omne quod in me est, totumque tempus ad vitæ meæ correctionem mihi indultum, quam utilissime et fructuosissime expendam. O Deus meus et creator meus ! O Deus meus redemptor meus ! O Deus meus salvator meus, exaudi me, et intende voci deprecationis meæ. Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus. Exaudi me pauperculum famulum tuum manibus tuis plasmatum, Deus meus misericordia mea. Amen.

Ad Spiritum Sanctum.

O BENIGNISSIME, suavissime atque dulcissime Spiritus Sancte Deus, Patris Filiique amor ac nexus : ecce ad tuam clementiam humiliter accedo, totus ob meorum peccatorum gravitatem, vilitatisque ac reliquarum miseriarum mearum recordationem dejectus ac desperatus, nullam inveniens in meipso nec requiem, nec pacem, nec consolationem : obsecrans te per tuam ineffabilem dulcedinem, pietatem ac bonitatem, ut cœlesti tua consolatione animam meam miseram et desolatam visitare recreareque, crassissimasque mearum cæcitatis et ignorationis tenebras quibus tanto tempore jacuit involuta, splendidissimo divinissimoque lumine tuo procul ab ea abigere, et viam veritatis clare edocere digneris. Tu enim verus es consolator afflictorum, desperatorumque dulce refrigerium, ac peccatorum plena remissio. Ad te aspiro, ad te anhelo, in te solo quiescere concupisco. Tu, pie Domine Deus meus, utinam afflictionibus meis digneris imponere finem, pusillanimitati meæ addere spem et fiduciam, peccataque mea immania misericordissima tua delere pietate, gratiaque tua omnia mea interiora, animam, cor et sensus omnes perfundere ac perlustrare, locumque tibi ipsi in interiori animæ meæ fundo dignum præparare, atque donis tuis aliisque virtutibus me exornare, et omnes sordes meas ardore flagrantissimæ charitatis tuæ expurgare, talemque me facere, in quo sine ullo impedimento præclarum tuum possis, quando ac quotiescumque id tibi placeret opus, peragere. Et ne tantum bonum, ob meam indignitatem, vilitatem et ineptitudinem, o summa præclarissimaque civium cœlestium suavitas ac dulcedo, præpediatur, noli, quæso, petitiones pauperculi servuli tui diutius protrahere, sed vel jam tandem satisfac desiderio meo. Et effundo secreta cordis mei in conspectu tuo, o altissime Deus, confiteorque tibi, quod quousque hac tua divina gratia, consolatione præsentiaque destitutus fuero, nunquam mentis meæ tenebras excutere potero, neque vias meas, neque meipsum, neque quæ intra me latent lucide perspicere vel cognoscere, neque, quod maximum est, peccati fœditatem, neque virtutum decorem et nobilitatem, neque animarum rationalium pulchritudinem et dignitatem, neque seculi præsentis fluxibilitatem, neque potentiam, sapientiam ac bonitatem tuam, neque gloriæ tuæ perpetuitatem sufficio intelligere. Veni igitur, o alme Spiritus, et habitationem tibi perpetuam in me construe, omniaque quæ

Digitized by Google

mihi ad salutem necessaria sunt misericorditer concedere dignare, meque totum tibi tene adstrictum vinculis illius indissolubilis amoris, quibus omnium electorum tibi corda alligata et unita tenes, ut hic in gratia et postea in æternitate tecum sine fine permaneam. Amen.

Effusio seu meditatio cordis alia, gratias agentis pro beneficiis Dei generaliter, haud incongrue post Eucharistiæ sumptionem exercenda. Et certe nullus deberet vivere christianus, qui hoc aut simili modo quotidie Deo non gratias ageret.

Omnipotens sempiterne Deus, vita mea, omne bonum meum et universa felicitas mea tu es. Ego autem terræ pulvis et miser vermiculus terræ, ante faciem tuam sto, te laudare tibique gratias agere gestiens. At quia hoc digne non possum, nec quod tibi offeram habeo, offero tibi omnium sanctorum Angelorum hominumque virtutes ac merita : imo et Christi Jesu Filii tui laudem et amorem, quibus te colit et amat, pro omnibus misericordiis, donis et beneficiis mihi ingratissimo a te, Domine Deus meus, unquam collatis. Tibi enim confiteor, amantissime Pater, tibi gratias ago, teque adoro et laudo, quia tu me ex immensa charitate et gratuita bonitate tua creasti ad imaginem et similitudinem tui. Tu varias propter me creaturas in usum et ministerium creasti, tu me ab exordio vitæ meæ usque ad hanc horam in corpore et anima pavisti et fovisti : tu me ab innumeris periculis animæ et corporis atque malis aut præservasti, aut eripuisti : tu in peccatis gravissimis me putidum, aberrantem, tibi contumeliosum et mundo scandalosum, tot annis longanimiter tolerasti, nec, quod millies atque millies commerueram, in sceleribus meis me damnasti, heu quot interea, qui minus te offenderunt quam ego, ad inferna descenderunt, sed ad salutis viam, licet surdum, variis instinctibus atque modis admonuisti, et reducere fugientem ac renitentem voluisti, donec tandem potenti virtute malitiam meam tua benignitate superans, et cuncta circa me ordinans, ad hunc salutiferum vivendi statum me convertisti : non desinens præterea huc usque benefacere mihi, qui tibi in omnibus ingratus, inutilis atque infidelis sum.

Hic possent cogitari singularia beneficia tibi collata, et pro illis gratiæ agi.

Cæterum, ut tecum in perpetua gaudeam felicitate, nullaque peccata quamlibet grandia me queant a te separare, Filium tuum præmisisti in mundum, quem etiam in dolores, pœnas, ignominias, ad crucem et mortem propter me exposuisti.

Eia, benignissime Jesu, Dei unigenite, ad te nunc me converto, Agne mansuetissime et mitissime Jesu, quid retribuam tibi pro omnibus, quæ tribuisti mihi ? Adoro, laudo benedicoque te pro Incarnatione, Passione et amarissima morte tua, pro laboribus et fatigationibus tuis, pro incommodis atque ærumnis, et pro quibuslibet adversitatibus atque tristitiis, pro pœnis et doloribus, pro vulneribus ac livoribus, pro lacrymis atque gemitibus, pro contumeliis, opprobriis atque sanguineis guttis pro me effusis : et potissime pro maxima ad nos charitate tua, quam vel in hoc maxime nobis ostendisti, quod teipsum etiam in cibum nobis sumendum dedisti, et usque in finem seculi hoc modo in Sacramento te nobiscum mansurum promisisti, ad cujus participationem sæpius, et etiam nunc dignatus es me admittere. Pro quibus omnibus, cum aliud non habeam, benignissime Jesu, offero tibi temetipsum, id est, merita, virtutes, gratitudinem, Passionem et mortem tuam, simulque omnium Sanctorum tuorum, in unione charitatis illius quæ de cœlis te traxit in adversa multa et usque in mortem crucis, et qua Patri tuo ibi te obtulisti pro nobis. Desidero autem, o amabilissime Jesu, si possibile foret, etiam solus tam digne te laudare, tam diligere tamque fideliter servire et placere tibi ad gloriam tuam, quan-

Digitized by Google

tum omnes et singuli, tam Angeli quam homines, te laudant et diligunt. Et propterea etiam in horum omnium unione laudis ac amoris offero et resigno tibi meipsum per suavissimum Cor tuum, in omne beneplacitum tuum, ad gloriam tuam, quo mecum meque ita facias, ut ablata omni rebellione in me erga te, sola tua sanctissima atque laudabilissima voluntas semper in me, de me, per me et in omnibus fiat. Amen.

Effusio cordis quotidiana, pro iis qui officiis aut occupationibus implicati, nequeunt Deo multum diu vacare.

O MISERICORDISSIME Domine Deus meus, mihi, quæso, ignosce. Clementissime Domine Jesu Christe, miserere mei propter nimiam charitatem tuam, qua me diligis, et per amorem, obsecro, illum, quo propter me pependisti in cruce, ignosce, quæso, omnibus peccatis meis, omnibus negligentiis, erroribus, vitiis, concupiscentiis, atque prorsus omni ingratitudini meæ ac totius mundi. Ignosce quod hactenus tot annis tibi contumeliosus ingratusque vixi. Ignosce quod hodie quoque et in hoc N. bonitatem tuam offendi.

Heu amabilissime et suavissime Jesu, quid habeo miser ego, qui nihil omnino sum, quid habeo quod offeram tibi Deus meus, sive pro peccatis meis, sive pro beneficiis tuis? Nihil profecto (universorum enim sum debitor) aliud quam temetipsum, o sufficientia, o virtus et divitiæ meæ. Ante faciem igitur miserationum tuarum supplex prostratusque, utpote omnium indignissima creatura tua, veniam peto, te invoco, teque Deum meum, te redemptorem et salvatorem meum adoro. Omnem vero Passionem tuam, omnes livores et dolores, omnia vulnera omnesque rosei Sanguinis tui guttas, omnes lacrymas oculorum tuorum, omnes denique tristitias ac gemitus piissimi Cordis tui, atque adeo omnem amorem tuum ad nos ferventissimum pariter ac fidelissimum, offero tibi pro me et universo mundo, in expiationem omnium delictorum nostrorum, in suppletionem omnium negligentiarum nostrarum, in sacrificium quoque laudis ac gratiarum actionis omnium beneficiorum tuorum : simulque in unione horum omnium, meipsum totum offero tibi in holocaustum, hoc est, in omne beneplacitum tuum, et in supremam laudem et gloriam tuam, obsecrans te per suavissimum, piissimum, fidelissimum, amantissimum atque misericordissimum Cor tuum, per effusionem benedicti Sanguinis tui, et per singulas miserationes tuas atque beneficia tua, aufer a me cor nequam, cor meum impium et ingratum, et quidquid in me tibi displicet, et da mihi pro illo sanctissimum Cor tuum, aut cor secundum Cor tuum, devotissimum, amantissimum, fidelissimum, mitissimum, castissimum atque obedientissimum, quod tu ipse purifices, simplifices, tui amore vulneres, inebries atque tuo Cordi unias.

Dulcis Jesu, da mihi veram atque jugem contritionem pro peccatis meis, cognitionem propriæ vilitatis et nihileitatis cum profundissima humilitate.

Da mihi emendationem vitæ meæ, et imitationem vitæ tuæ secundum altissimum atque perfectissimum beneplacitum tuum. Da mihi perfectissimam abnegationem atque plenam relictionem mei ipsius, purissimam castissimamque nuditatem cordis, ardentissimam quoque ac perpetuam charitatem, qua tibi soli totus inhæream, et te solum rectorem ac possessorem cordis mei jugiter habeam, omniaque tua et opera et beneficia in te et in tui solius gloriam referam. Fac, o misericordissime Domine Deus meus, cruci tuæ me semper adstare ea fide et devotione, ea compassione et amore, quibus piissima Mater tua fidelissimusque discipulus tuus, quem diligebas, Joannes, ferventissima quoque amatrix tua Maria Magdalena, tibi in Passione ac morte tua adstiterunt. Fac etiam dignum me fieri, cui ipsi quoque in hora mortis assistant, me-

Digitized by Google

que protegant. Tu vero, piissime et misericordissime Deus, animam meam de corpore non sinas egredi, nisi plene tibi reconciliatam, atque per infinitas misericordias tuas perque Passionis tuæ merita purgatam, atque sine dilatione, sine impedimento ac medio abs te clementissimo amatore meo in regnum tuum suscipiendam inseparabiliterque tecum mansuram. Amen.

Digitized by Google

PARS TERTIA

COMPREHENDENS IN SE ADVERSUS DÆMONUM INSULTUS AC SUGGESTIONES, VITIORUM AC PECCATORUM OPPUGNATIONES, REMEDIA PRÆSENTISSIMA.

Ubi quis malas suggestiones senserit, quantocius oret et dicat.

DOMINE Deus meus, quotiescumque maligna hæc cogitatio mihi ingeritur invito, toties te adoro, laudo et benedico: et toties pro illis tibi laudes illas suavissimas omnium Angelorum offero et remitto: et præcipue eas, quas spiritus ille reprobus, qui mihi talia nunc suggerit, modo tibi caneret, si in bono perstitisset, ut vel hoc modo in tui laude illius expleam vices. Amen.

Contra impugnationes vitiorum precatio.

PIISSIME Domine Jesu Christe, en miserum et mendicum vilissimumque me peccatorem, ad misericordiæ tuæ pedes provolutum. En vulnera, plagas, languorem et vitia animæ meæ, quæ ipse mihi, heu peccando, intuli, et nunc oculis misericordiæ tuæ sananda exhibeo.

Clementissime Jesu, miserere infirmitatis, captivitatis et infelicitatis meæ, quibus misera anima mea ad terrena deprimitur et in varia desideria distrahitur. Amantissime Jesu, per charitatem illam, quæ te in manus peccatorum tradidit ligandum et crucifigendum, et quæ te tribus horis in cruce, magis quam clavi, illi manibus ac pedibus tuis infixi, continuit, obsecro te, solve jugum captivitatis meæ, et a cunctis vitiis, concupiscentiis et pravis inclinationibus libera me. Ab omnibus vero insidiis hostium, et in omni tentatione protege me. Exstingue et occide in me radicitus omnem privatum amorem, omnes inordinatos motus, passiones et affectus, omnem fomitem omnemque pronitatem et inclinationem ad superbiam, iram, invidiam, vanam gloriam, etc. Ab his enim solus tu liberare me potes. Dulcis Jesu, reple me gratia et perfectissima charitate tua, conserva me in omni bono, ut omnes peccandi occasiones fugiam, tentationes fortiter vincam, carnem spiritui subdam, vitia persequar et exterminem, inspirationibus tuis obediam, diaboli insidias et fraudes evadam, nulli peccato unquam consentiam, nihil quod tibi displicet foveam, sed honorem, laudem et gloriam tuam ardentissime sitiam, fidelissime promoveam, et me totum in beneplacitum tuum expendam. Amen.

Contra improbas dæmonum suggestiones.

O DOMINE Jesu Christe, qui propria virtute serpentis antiqui insidias et impugnationes superasti, omnibusque te sequentibus per sanctum apostolum tuum Jacobum modum certandi et pugnandi docuisti, dicens: *Resistite diabolo et fugiet a vobis,* dona mihi, obsecro, omnium discipulorum tuorum infimo, veram animi fortitudinem et robur cum hostibus meis congrediendi, et eorum molestissimas et difficillimas tentationes ac suggestiones superandi. Nec sinas me, pie Domine, qui prope es omnibus invocantibus te in veritate, ultra id quod possim sustinere, a malignis infestari spiritibus, ne forte tædio aut diutina molestatione victus, suis me laqueis irretiant: sed Passionis tuæ virtute confirmatus, benedictissimæ Matris tuæ patrocinio munitus, excubiisque sanctorum Angelorum atque omnium electorum tuorum

Jac. IV, 7.

Ps. CXLIV, 18.

Digitized by Google

suffragiis vallatus, omnium illorum me insidiis machinationibusque fortiter opponam atque objiciam. Amen.

Pro desideriorum pravorum mortificatione.

O Jesu flagrantissime humanæ creaturæ amator ac reparator, qui mei amore ac reparationis desiderio totus in ara crucis voluisti arefieri, torreri et exsiccari, omnemque pretiosissimum ac nobilissimum tuum pro me Sanguinem fundere, nec non ex nimia benedictissimæ linguæ tuæ arefactione, clamare : *Sitio ;* exstingue in me, ob vehementissimum tui erga me amorem, omnem terrenarum ac transeuntium rerum sitim et concupiscentiam : mortifica in me omnia prava, illicita carnaliaque desideria, eneca et trucida omnes inordinatas improbasque in me affectiones : et effice, ut super omnia atque in omnibus, tuum honorem omniumque salutem, maxime autem sanctissimæ voluntatis tuæ desiderium et impletionem promovere ac sitire satagam. Amen.

Adversus omnem superbiam et fastum.

Obsecro te, benignissime Deus, per virtutem profundissimæ tuæ humilitatis, reprime, profliga, ejice a me omnem elationem et ostentationem, omnem contentionem et simulationem, omnem pompam ac superbiæ fastum, cunctos inanis gloriæ appetitus, denique omnia hujus pestis ac malitiæ species : et dona mihi veram ac profundam absque ulla fictione aut simulatione humilitatem, per quam tibi soli placere appetam, omnemque mei contemptum gratissimo ac hilari animo sufferam. Amen.

Pro re eadem precatio alia.

O innocentissime Domine Jesu Christe, per tui despicabilem et contemptibilem speciem, in qua a judice Pilato plebi Judæorum fuisti exhibitus, atque ab omnibus absque ulla commiseratione seu compassione ad crucis horrendum supplicium postulatus, te humiliter oro, ut omnem ex corde meo superbiam, jactantiam, arrogantiam et vanam profliges gloriam : et per purpureum vestimentum, in quo ab omni Judæorum frequentia tanquam regni invasor fuisti delusus, curiosorum ac pretiosorum mihi infundas vestimentorum contemptum. Amen.

Pro sensuum passionumque animæ reformatione.

O Jesu superdulcissime, qui omnibus perfectissimum atque integerrimum post te reliquisti vivendi exemplum, atque humanæ naturæ lapsum et corruptionem perfecte in sanctissima tua humanitate assumpta reformasti, animamque rationalem per sensuum voluptatem ad terrena et caduca effusam, ad suum principium et originem per vitam et amaram Passionem tuam reduxisti, omnibusque in te manentibus teque imitantibus vitam æternam et cœlicas mansiones promisisti, dignare, obsecro, ob infinitam tuam bonitatem, largitatem et benignitatem, naturam meam per protoplastorum prævaricationem corruptam, magis vero per malam meam vivendi consuetudinem ac actualia peccata destructam miserrimeque depravatam reparare, reformare atque redintegrare, et omnes animæ meæ collapsas vires, corporisque sensus circa multa dispersos ac occupatos recolligere : necnon et totam animam meam multis passionibus subjectam, a suoque principio longe aberrantem, in pristinum suum gradum restituere, antiqua sed deperdita nobilitate exornare, virtutibus veris expolire, innocentiæ originalisque justitiæ vestimentis decorare, quatenus in te manendo, tuæque humanitatis sacra vestigia sectando, communionem tecum et cum omnibus membris tuis habere merear in regno tuo.

O Jesu pientissime, omnem inimici fraudem procul a me repelle, ut nunquam ali-

Digitized by Google

qua mihi dominetur iniquitas. Da mihi visum intelligentiæ, auditum perfectæ obedientiæ, vocem orationis puræ, confessionis veræ, verbum ædificationis salutiferæ, gressum operationis fructuosæ et integritatem sinceræ conscientiæ. Sana animam meam laborantem febri invidiæ, hydropisi affectionis terrenæ et tumore superbiæ, phrenesi iracundiæ, paralysi dissolutionis et acediæ, illecebra gulæ, fluxu luxuriæ, lepra multiplicis erroris et malitiæ. Hæc tua divina mihi concedere dignetur pietas. Amen.

Pro abstractione mentis a creaturis.

O SUMMA suavitas mea, suavissime Domine Jesu Christe, rex cœlorum et dominus omnium, qui post sacri Baptismatis perceptionem a Spiritu in desertum duci voluisti, ut doceres quantopere hominum conversatio et mundi fallacia, post sacramentorum et divinorum charismatum receptionem essent fugienda, deduc me ab omni mundanorum strepitu, ab omni inutilium cogitationum et carnalium desideriorum tumultu, in desertum mundæ, quietæ, serenæ, simplicis et puræ conscientiæ, in quo jejunans ab omni carnali voluptate, a seculari vanitate, ab omni etiam creaturarum impura affectione, tuam in omnibus creaturis perfecte desiderem perfici voluntatem. Concede præterea mihi in hoc statu, in hoc vivendi genere ad quod me vocasti, tam irreprehensibiliter vivere, tam strenue vitiis et innatis carnis concupiscentiis emori, voluntatem propriam frangere, desideria prava mortificare, ut post hujus miseræ ac infelicis vitæ curricula, vocem tuam, vocem, inquam, illam jucundam, gratam, omnibusque tuis electis longe desideratam audire merear : *Hodie mecum eris in paradiso.* Amen.

Luc. XXIII, 43.

Pro præservatione a peccatis.

O AMABILISSIME Domine Deus meus, reperitur nihil in rerum natura, quod adeo tuam excellentissimam ac divinam majestatem offendat, animasque rationales secundum imaginem et similitudinem tuam nobilissime innocentissimeque creatas, a sua ingenita dignitate abducat abstrahatque, quam peccatum, quippe cum ipse supremus Angelorum princeps ex peccati consensu in dæmonem sit mutatus, atque protoplastus Adam ob divinæ legis contemptum e paradiso ejectus, atque ex consequenti usque ad hæc nostra secula omnes peccatorum nexibus impliciti, eorumve fallacia aut delectatione decepti, diris tradantur excruciandi pœnis et tormentis infernique doloribus; atque perpetuo a beatifica tua visione segregentur : obsecro te per summam potentiam tuam, per Filii tui æternam sapientiam atque ineffabilem Spiritus Sancti amorem, quo movente cœlum et terram et omnia quæ in eis continentur, creata ac formata sunt, ne me, creaturarum tuarum omnium plane vilissimum atque novissimum, a te per peccatum excidere permittas, ne gravissimas illas pœnas peccatoribus præparatas juste incurram, dulcique tua familiaritate hic in tempore, et postmodum in æternitate me privem, nec unquam ad beatorum tuorum spirituum consortium admittendus sim, neque inæstimabiles gloriæ tuæ divitias participaturus : sed magis, piissime Deus meus, in benedictionibus cœlestis dulcedinis tuæ præveni me, et donis tuis ineffabilibus exorna me, atque lumine claritatis et divinitatis tuæ illustra me, spiritumque meum tuæ cognitionis splendore superfusum rape in te, atque ab omni malo, ab omni peccato, a cunctis denique iniquitatibus, et quidquid oculos divinitatis tuæ offendere possit, misericorditer præserva me. Ad quid enim, o Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, prodesset me natum, tantoque supervixisse tempore in hoc seculo, si in futuro mihi non liceret seculo tecum sine fine lætari? Aut cur tanto pretio emptus, tantoque labore redemptus, et in gratiam tuam per unigeniti tui Filii amaram Passionem et mortem resti-

Digitized by Google

tutus, si divitiis tuis immensis atque ineffabilibus illis bonis, quæ diligentibus te et mandata tua perficientibus præparasti, in cœlesti patria tua cum beatis spiritibus perfrui non concederetur?

Ah clementissime Deus Pater, qui in nullius perditione lætaris, sed magis vis omnes ad tui nominis agnitionem pervenire, obsecro te per temetipsum, qui semper bonus es, imo ipsa bonitas omnisque boni origo et principium, ut peccati fœditatem jugiter ante oculos meos statuas, ejus tantam displicentiam et odium mihi infundas, ut mortem malim oppetere, quam vel tenuissimo te peccato exacerbare, adjuvante et opitulante divina gratia tua, quæ omnibus eam desiderantibus præsto est. Amen.

Pro voluntatis propriæ abnegatione.

O Jesu amabilissime, qui perfecte voluntatem tuam in manus Patris tui cœlestis, dum hora atrocissimæ mortis tuæ instaret, tradidisti dicens : *Pater, non mea sed tua voluntas fiat :* dona mihi, obsecro, hanc gratiam, ut in omnibus propriam meam possim voluntatem frangere, eamque Superiorum meorum judicio ac voluntati sine ulla exceptione substernere, atque obedientiam sanctam operibus ex proprio instinctu assumptis semper præferre : carnem quoque et sensuales affectus viriliter mortificare ac spiritui subdere, resignatum animum in omni rerum eventu gerere, atque tuæ divinæ providentiæ et bonitati me totum, sine ulla carnis recalcitratione semper et ubique quam fidelissime committere. Amen.

Matth. XXVI, 42.

Pro sitis temporalium rerum exstinctione.

O fons inexhausibilis pietatis, Jesu Christe melliflue, ardor flammeæ charitatis tuæ omnem in me terrenæ conversationis sitim exstinguat, omnemque æstum carnalium concupiscentiarum refrigeret, ut plenissime te aquarum viventium fontem, ac bonorum omnium causam sitiam, proximorum meorum salutem et profectum desiderem, atque meiipsius despectionem et contemptum humiliter et æquanimiter sufferre discam. Amen.

Contra omnem vanitatem et curiositatem sensuum.

O superbenedictissime Domine Jesu Christe, cum tantum tamque periculosum sit vitium curiositas, ut perplures etiam electi tui per eam in immania prolapsi sint, imo etiamnum prolabantur peccata, rogo te per sanctissimam, immaculatissimam atque integerrimam tuam conversationem, sensusque ordinatissimos et reformatissimos, ut misericorditer sensus meos vagos et curiosos, atque ad omnem vanitatem plus satis inclinatos, reformare digneris, ac sub rectæ rationis judicium subigere, ne eorum vanissima curiositate deceptus, a te Deo ac Domino meo abducar.

Ah piissime Domine, dura illa vincula, quibus atrocissime nobilissima atque tenerrima tua membra fuerunt colligata, cor meum ab omni inutili cogitationum evagatione restringant, atque omnes sensus meos intra te arctissima disciplina conservent, ne aliud videam, audiam aut intelligam, quam dilectum Dominum Deum meum. Amen.

Resignatio animi efficax admodum, dum tentatio quævis mentem impugnans perseverat, nec aliqua liberationis spes superest.

Benignissime Domine Jesu Christe, si tibi sic placet, ut abominabilis et immundus ego peccator ab illis abominabilibus et immundis tentationibus contra omnem rationem ac voluntatem meam impugner aut molester, fiat voluntas tua. Tu scis quam indignus sum vel in minimo a te consolari, et quam in omnibus tibi semper infidelis sum, a te recedendo, evagando, et cum creaturis per inordinatum amorem a te for-

Digitized by Google

nicando : ideo immundis his trador passionibus. Itaque in unione resignationis tuæ, qua te Patri obtulisti ad Passionem et mortem, ego quoque me tibi resigno ac offero ad quæcumque quæ tu me vis pati, quomodove et quamdiu tibi placuerit me tentari. Scis enim, misericordissime Jesu, quam nulla est virtus mea, et quam magna instabilitas, pravitas et infirmitas mea : ideo in te solo confido, et de viribus meis despero. Domine Deus meus, in misericordia tua suscipe me, et in virtute tua custodi me, in gratia tua protege et confirma me, ut omnia adversa, omnia tentamenta, tam interna quam externa, ita sustineam, ita vincam, et in illis tam fortis, tam patiens tamque fidelis tibi inhæream, ut ad mortem usque nulli peccato consentiam, nullam consolationem extra te requiram, nullamque recipiam; ut omnis tentatio tuam mihi augeat gratiam, et nulla sit ad ruinam.

Ah, amantissime Domine Jesu Christe, utinam ita essem a vitiis et præteritis meis delictis ac peccatis expurgatus, ita tuis divinis virtutibus exornatus, atque usque adeo in omnibus animæ meæ viribus reformatus, lumineque gratiæ tuæ circumfusus, ut in omnibus his sordidis, immundis ac fœtidissimis dæmonum carnisque propriæ impugnationibus, tuam divinissimam atque amabilissimam possem invenire voluntatem, tamque profunde coram te summo Angelorum rege me humiliare et annihilare, tuamque summam amplissimam excellentissimamque majestatem ad me inclinare, ut omnis hæc immunda impugnatio non solum non obesset, sed multo magis in gratia tua me confirmaret, corroboraret consolidaretque. Amen.

Quando sentis adversitatem tibi imminere aliquam, præpara te flectendo genua, aut quomodo potes, et dic humiliter in fervore spiritus :

Dulcissime Domine Jesu Christe, in unione illius charitatis qua teipsum obtulisti in mortem, offero tibi cor meum, ut de me et per me fiat beneplacitum tuum.

Dulcis Jesu, hoc beneplacitum tuum eligo et desidero, quantalibet instent adversa, et me totum sanctissimæ fidelissimæque providentiæ tuæ committo. Spero enim et rogo ut me et omnia quæ circa me sunt tu dirigas ad gloriam tuam et animæ meæ salutem. Amen.

Quum improperium irrogatur aut injuria, dicito :

Benedictus es, Domine Deus meus, quia tibi soli debetur omnis honor, mihi nil nisi ignominia. Quapropter in tui amore, dulcissime Jesu, et in unione improperiorum tuorum, volo hanc, quia dignus sum, adversitatem sustinere, et per Cor tuum mansuetissimum tibi offero. Amen.

Resignatio alia ad sustinendam injuriam aut aliquam pressuram.

O Jesu amabilissime, mitissime ac patientissime, in unione omnium adversitatum, pœnarum et opprobriorum, quæ tu innocentissime passus es pro me, volo hæc molesta, aut hanc pressuram, licet modica sit, pati etiam pro te, id est, pro tui amore, et quia tibi sic placet. Dignus enim sum omnibus malis, et multo graviora commerui. Hæc igitur quæ patior, offero tibi per mitissimum Cor tuum, ut tu quoque illa tibi unita pro me offeras Patri tuo in amore illo quo ipsum diligis.

O dulcis Jesu, da mihi perfectissimam patientiam, mititatem, benignitatem et veram humilitatem, ut omni contemptu et pœna me dignum ex animo cognoscam, cuncta quæ super me veniunt mala patientissimo atque desiderantissimo corde suscipiam, et tui amore quamdiu tibi placuerit, cum gaudio et gratiarum actione, atque cum plenissima resignatione meiipsius longanimiter omnia sustineam. Amen.

Digitized by Google

Inter patiendum sui oblatio atque commendatio ad Deum.

Omnem hanc pressuram quam nunc patior, o misericordissime Domine Jesu Christe, et si quid gravius etiam pati me volueris tui amore, de manu providentiæ tuæ et de voluntate amantissimi ac paterni Cordis tui suscipio, et pro immenso amore tuo, quo ab æterno in salutem meam hæc ordinasti, tibi gratias ago. Jesu fidelissime, quid dicam, nisi quia pejora merui, et omni gratia tua, consolatione ac beneficio tuo indignus sum? Idcirco ad honorem acerbissimæ Passionis et mortis tuæ, ad quas te ultro pro me obtulisti, offero me ad sustinendum hanc pressuram seu adversitatem, proponens nullam aliam consolationem seu liberationem quærere, nisi per te, Domine, aut secundum beneplacitum tuum. Hoc tamen rogo et obsecro te per misericordissimum Cor tuum, quia nulla virtus et penitus nihil boni est in me, adjuva me, et da quidquid necessarium est (plura enim necessaria sunt mihi peccatori misero et imbecilli, quam servis tuis fidelibus) ad obtinendum et perficiendum beneplacitum tuum. Et fac ut ita me semper habeam, ita sim coram te, sicut maxime tuæ placet voluntati. Atque utinam valerem, utinam tantam a te gratiam acciperem, qua omnium et singulorum, qui pro te passi sunt, pressuras solus sufferre possem, ut pro omnibus tibi gratias agendo, aliquid quod tuæ charitati gratum esset offerrem, et me totum tibi impenderem! Eia, benignissime Jesu, fac me, quæso, totum in omnibus secundum beneplacitum tuum, in agendo et patiendo, et voluntatem meam sic unias tibi, ut non aliud possim velle, quam quod tu vis. Amen.

Quando existimas te gravatum tribulatione aut pressura, recurre ad crucifixum Salvatorem tuum, et inde præsidium roga, modo quo sequitur : procide ad pedes ejus, et osculatis pedum vulneribus, dic :

Respice, quæsumus, omnipotens, æterne Deus, super me miserum famulum tuum, pro quo Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum. Illumina cor meum, ut intelligam et sentiam quanto amore hanc adversitatem super me venire permisisti. Amen.

Deinde ad manus crucifixi dic :

Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, quæ intellectum meum illuminet, cor meum purificet, et affectum meum inflammet ad cognoscendum et amandum te Dominum Deum meum, in omnibus et super omnia omni tempore : et ut ipsa æterna tua sapientia mihi assistat, me confortet mecumque operetur, ut ad perfectum usque finem hanc pressuram sufferre possim, pro gloria tua, et pro vita et omnium fidelium salute. Amen.

Tert'o ad Cor accede, et dic :

O amor ineffabilis, o charitas ad nos fidelissima et immensa, Christe Jesu amantissime, per amorem Cordis tui, quo pro omnibus omnium gravamina pertulisti, adjuva me ut hanc pressuram æquanimiter sustineam quamdiu tibi placuerit. Amen.

Cogita sæpius ita :

Dulcis Jesu, Deus meus, si mihi dares optionem et promitteres quæcumque peterem te daturum, non aliud quam hoc peterem, et hoc millies et millies peto, ut laudabilissima voluntas tua secundum optimum beneplacitum tuum in me, de me et per me, et in omnibus fiat. Amen.

Quando aliquid tibi quod delectabile est subtrahere aut vitare volueris, dicito :

Domine Jesu Christe, ad honorem et memoriam tui, et in gratiarum actione, quod pro meis peccatis satisfaciendo, propter me quæ carni duriora erant semper elegisti, et a noxia omni delectatione immunis fuisti, quæso te, da mihi sensuum meorum continentiam, vitiorumque omnium, passionum, delectationum et affectio-

Digitized by Google

num inordinatarum perfectam mortificationem.

Dulcis Jesu, in unione amoris tui, quo propter me delectabilia tibi subtraxisti, volo me continere a delectatione hac : vel volo intermittere aut carere hac re sive consolatione. Da mihi, pie Jesu, ut sincere et pure propter gloriam tuam hoc velim, possim et perficiam juxta beneplacitum tuum. Amen.

Pro imploratione divini auxilii in tempore adversitatis et tribulationis, precatio.

O AFFLICTORUM requies et desolatorum summa consolatio, Christe Jesu amabilissime, qui tempore tuæ acerbæ derelictionis clamore valido preces tuas in Cruce ad Patrem tuum cœlestem fudisti, ut similiter et nos, aut tentationibus variis immersi, aut molestiis et gravaminibus obruti ad te pro auxilio clamaremus, exaudi, quæso, me propitius in hora tribulationis et angustiæ, in tempore horroris et desolationis extremæ ad te clamantem, atque oculis consuetæ tuæ pietatis super me benigne respice, ab omnique noxia dæmonum impugnatione me erue, ne forte supergaudeat mihi inimicus meus, et dicat : Prævalui adversus eum.

O Deus immense, fortis atque terribilis, suscipe clamorem vermiculi et exigui pulvisculi tui, in solio regni tui, in cœlo sancto tuo valide fortiterque clamantis et ejulantis, quoniam de nullis viribus meis confido, nec tantam in me fortitudinem reperio, ut possim resistere his, qui de die in diem quærunt perdere animam meam. Igitur nunc et deinceps omnem meam spem in te reponam, omnes causas meas quam fidelissime tibi committam, ut tu pro me pugnes, hostiumque meorum insidias et impetus potenti tua virtute destruas. Amen.

Pro confortatione in tribulatione.

O DESPERATORUM fortitudo Christe Jesu, qui mundo deperdito ac quasi desperato novam in tua assumpta humanitate advexisti salutem : obsecro te, per illas acerbissimas passiones et dolores, quos benedictissima ac intemerata Mater tua semper Virgo Maria in sua sanctissima anima sensit, quando te in Cruce propter pœnarum et angustiarum vehementiam valido clamore anxioque corde clamantem audivit, peneque squalore et Sanguinis exhaustione confectum et consumptum vidit, ut eadem fidelitate, constantia et animi fortitudine, sicut illa tunc tibi adstitit, mihi quoque Cruci tuæ adstare immobiliter concedas, neque ulla adversitate aut injuriarum quarumcumque me frangi permittas perpessione, sed magis divina tua virtute me conforta, corrobora et vires patiendi administra, ut tibi possim placere, ac in omni rerum eventu patientiam servare. Amen.

Adversus incontinentiam linguæ et sensuum.

Multa ac varia sunt delicta linguæ, pericula inductiva, ac damna multiplicia, ideo sæpenumero orandum est, ac propositum bonum renovandum contra linguæ incontinentiam. Qui enim in lingua non delinquit, teste S. Jacobo, perfectus est vir. Et qui linguæ incontinens est, hujus nulla est religio.

DOMINE Deus meus, lego et experior, quanta est infirmitas, quanta lubricitas linguæ : da mihi gratiam frenandi et continendi linguam meam. Domine Deus meus, quoties proposui refrenare linguam, ut non dicerem nisi quæ ad necessitatem meam aut proximi essent ædificationem ! et non emendavi me nec institutum servavi. Legimus quantam gratiam his præbuisti, amabilis Jesu, qui a loquendo abstinuerunt, donec utiliter loqui didicerunt. Quantum placuit tibi silentium in Catharina Senensi, in Maria de Oegenes? etc. Domine Jesu, eripe me a lingua mea. O si, dulcis Domine Deus meus, dares mihi gratiam hanc, ut non solverem linguam meam ad loquendum, nisi in laudem et honorem tui, aut pro beneplacito tuo ! Da mihi, Domine Deus, linguam mutam ad

Digitized by Google

omnia mundana, vana, mala et otiosa. Conclude linguam meam, obtura aures meas, purum fac cor meum et incontaminatum ab omni detractione, ab omni murmuratione, ab omni derisione, ab omni carnalitate, ab omni vanitate, ab omni scurrilitate, dulcis Domine Deus meus. Jesu piissime, da mihi linguam secundum linguam tuam, aures secundum aures tuas, cor secundum Cor tuum, et omnia membra secundum membra tua, ut gratia tua ducente, merear te imitari, tibi merear conformari, per te merear præservari, tuo lumine dirigi, tui amore accendi, tua custodia protegi, tuis virtutibus ditari, tuis meritis salvari. Amen.

Orationes hæ duæ contra peccata frequentandæ sunt : præcipue ab his qui sunt in conflictu vitiorum.

Mitissime atque misericordissime Jesu, obsecro te per cruenta roseaque vulnera tua, per omnes dolores ac pœnas tuas, per amarissimam mortem, et per omnia merita ac intercessiones beatissimæ Virginis Mariæ Matris tuæ et omnium Sanctorum tuorum, libera et custodi me a superbia, invidia, acedia et omni peccato. Da mihi ex toto corde meo te diligere, et voluntatem tuam perfectissimam in omnibus implere. Amen.

Ad B. V. Mariam ipso tentationis tempore.

O purissima, nobilissima atque speciosissima omnium virginum, dignissima Dei Mater Virgo Maria, obsecro te per profundissimam humilitatem tuam, per sanctissimam castissimamque puritatem et per ferventissimam charitatem tuam, perque omnia dona, virtutes et gratias, quibus ornata es a Deo, ut sis dignissima ejus Mater, recipe me in custodiam et amorem piissimi materni Cordis tui, tanquam filium, licet indignissimus sim, et impetra mihi tui amorem sanctissimum atque castissimum. Impetra mihi perfectissimam humilitatem, castitatem, charitatem et cæteras virtutes omnes, quibus tu placuisti Deo. Impetra etiam mihi, ut per singularem misericordiam Filii tui, per merita Passionis ejus, et per jugem contritionem peccatorum meorum in hac vita totus purificari merear ab omnibus vitiis et peccatis meis, ut post hanc vitam sine dilatione ad vitam recipiar sempiternam. Et propterea, o dulcissima Domina misericordiæ, impetra mihi, ut semper quæcumque super me tristia evenerint, patientissime et cum gratiarum actione hic sustineam, omneque tempus vitæ meæ in gloriam et laudem Filii tui fideliter expendam. Amen.

Ad eamdem pro sui reconciliatione et peccatorum indulgentia.

O Domina nobilissima, o Mater Dei dignissima, o cœli Regina excellentissima, extrema mea infelicitas et calamitas ad te me accedere compellunt, sed prohibet et retrahit me a te vilitas mea et turpitudo propria. At quo vadam alio, quam ad clementissimam reus, ad misericordissimam peccator, ad sanctissimam vitiorum omnium plenus, ad beatissimamque infelix ? Ah Domina piissima ac desperatorum spes unica post Filium tuum dulcissimum, pedibus tuis provolutus per omnia quæ in te operatus est Dominus Deus tuus mirabilia, te obsecro ne me despicias aut a te repellas. Impetra mihi apud Filium tuum veniam et gratiam, ne mearum iniquitatum recordetur amplius, sed absumat eas suæ immensæ miserationis abyssus. Recordare, quæso, te nobis matrem esse datam : ostende ergo filiis tuis piæ matris viscera, et securum nobis ad Filium accessum para. Confitebor tibi, o misericordissima Domina mea, quod prorsus nihil in me habitet nisi peccatum. Et si vel millies jurarem me posthac non peccaturum, aut mores meos correcturum, vix sine mendacio hoc fari possem, eo quod ad

Digitized by Google

peccandum et male agendum nimia pronitas, ratione etiam renitente, sæpe præoccupet spiritum meum. Hoc igitur flagito, o Mater suavissima, quæ omnibus peccatoribus maxima salutis consequendæ es spes, naufragantibus item in hoc mare magno et spatioso unicum refugium, via et salutis porta, obtine mihi voluntatem perfectam, in adversis et tentationibus vires, et dimicandi fortitudinem, Deique mei amorem, ut ex toto corde meo meipsum in primis vincam, peccandi malam consuetudinem gratia Filii tui mortificem, et ex intimis visceribus cordis mei, quod tam benignissimum et beneficentissimum Dominum Deum meum tam graviter offenderim, doleam. Per te enim, o Regina cœlorum, omnes ad Christum veniemus salvandi. Utinam nunc scinderetur cor meum lapideum doloris et contritionis magnitudine, lacrimæque meæ fluerent die ac nocte quod tam rebellis, tam ingratus hactenus Domino Deo meo fui, et ad omnem Dei cultum augendum sive promovendum tam negligens et tardus, ad malum vero perpetrandum tam promptulus et agilis!

O virginum decus, o Dei Mater electissima, o pulcherrima omnium feminarum, et inter omnes matres benedicta, utinam tua mihi adjuvante gratia ex his meis fœcibus quandoque resurgam, qui ex propria malitia in hoc usque extremæ desperationis barathrum collapsus sum, tuæque sanctissimæ vitæ exemplar ad imitandum jugiter ante oculos meos statuam, quo sic dæmonum callide devitem insidias, et virtutibus aggregandis strenuam dem operam. Heu me, Mater Dei dignissima ac Virgo pulcherrima, quamvis sim turpis, fœdus et sordidus peccator, ac tua familiaritate penitus indignus, te tamen amare cupio, tibi placere desidero, ac totum me tuis Filiique tui benedicti obsequiis mancipare posthac intendo. Quare denuo sanctissimis pedum tuorum vestigiis me prosterno, suppliciter orans ac deprecans per omnia pietatis et miserationis tuæ viscera, per omnia item dona et beneficia, quibus præ cæteris hominibus te honoravit Altissimus, et post se, super omnes creaturas honorari voluit, ut me (licet fœdum et abominabilem) filiorum aut saltem infimorum servulorum tuorum numero adscribere digneris, talemque me facias qualem tantæ Reginæ decet esse servulum, castum videlicet, humilem, mansuetum, pium, obedientem, simplicem, divinique amoris facibus, accensum. Quod per te mihi præstare dignetur Jesus Christus Filius tuus. Amen.

Pro peccatorum expiatione alia brevior ad eamdem precatio.

O GLORIOSISSIMA et inenarrabilis, omnium creaturarum dignissima, sola post Deum proxima, ab æterno præelecta, omnique virtutum et gratiarum plenitudine copiosissime superfusa, Domina mea superdulcissima Virgo Maria, ob singularem illum amorem, quem erga genus humanum, singulariter vero erga peccatores, afflictos et miseros semper geris, te humiliter oro et suppliciter pietatis tuæ deprecor viscera, ut omnium peccatorum meorum præteritorum indulgentiam et veniam impetrare a dilectissimo tuo Filio Domino nostro Jesu Christo digneris, atque abundantissimis meritis tuis intervenientibus perfecte in ejus me gratiam restituas, gratiamque copiosam mihi obtineas, per quam de cætero ab omni me peccato liberum et immunem servem, tuæque ac Filii tui integerrimæ vitæ omnem meam conversationem conformem, atque in omnibus sanctissimæ tuæ voluntati me subjiciam. Amen.

Ad eamdem, pro vitiorum mortificatione.

O DULCISSIMA Virgo Maria, per virtutem sanctissimæ et integerrimæ tuæ puritatis te humiliter oro, ut gratiam mihi impetres a dulcissimo Filio tuo, veterem in me mortificandi et occidendi hominem cum omnibus actibus ac concupiscentiis suis, atque sine omni querela, caste, pie religioseque

Digitized by Google

vivendi in hoc seculo. Expelle a corde meo, o pia Mater, omnes passionum improbos motus et cogitationum malarum importunos tumultus, et redde mihi veram pacem tranquillitatemque pectoris, ac mentis jamdudum amissam puritatem. Amen.

Ad eamdem, pro tentationum et peccatorum tutela.

O INCLITA et excellentissima Dei Genitrix Virgo Maria, deprecor pietatem tuam ineffabilem et admirabilem tuam excellentiam, per quam naufrago mundo salus orta est, ut te mihi miserabili, piam atque benignam matrem in omni tentatione et dæmonum impugnatione exhibere digneris, atque semper et ubique gratia tua me protegere ac defensare, ne blanditiis malorum spirituum seducar, aut in peccatorum consensum pertrahar. Amen.

Ad eamdem, pro peccatorum præservatione.

O EXCELLENTISSIMÆ dignitatis Mater Dei, Virgo Maria, obsecro te, per singularem illam præeminentiam tuam, qua cunctis mortalibus præstas, utpote munda et immunis ab omni contagione peccati, libera et custodi me ab omni peccato. Aufer quidquid oculis tuis in me displicet, et tribue quidquid placet, et perduc me ad statum vivendi tibi gratissimum et mihi saluberrimum. Amen.

Ad eamdem, pro exstinctione omnis mundani amoris.

O EXCELLENTISSIMÆ dignitatis Mater Dei, Virgo Maria, obsecro te, per singularem ac ineffabilem præeminentiam tuam, qua cunctis mortalibus præstas, utpote electissima Virgo perpetua, et Mater non cujuscumque hominis, sed Filii Dei, exstingue penitus a corde meo omnem tam carnis quam mundi amorem, et reple illud castissimo amore tui, quo, ad placendum tibi, purissimam castitatem animæ et corporis, et in aliis omnibus gratissimam tibi exhibeam servitutem. Amen.

Digitized by Google

PARS QUARTA

CONTINENS IN SE VARIA EXERCITIA ET PRECATIONES PRO VIRTUTUM INFUSIONE CASTIGATIONEQUE VITÆ IN VITIIS TRANSACTÆ.

PRECATIONES

Pro fide, spe et charitate, precatio.

PER ineffabilem misericordiam tuam, obsecro te, misericordissime Domine Jesu Christe, infunde animæ meæ fidem simplicem et rectam, spem firmam, et charitatem ignitam atque perfectam, ut a cunctis erroribus et peccatis liber, intellectum meum in captivitatem obedientiæ tuæ Ecclesiæ tradam, atque omnem cogitatum meum in te projiciam, totumque me tuæ providentiæ credam : nihil ad creaturas respiciens, sed in cunctis paternam, amorosissimam atque fidelissimam Cordis tui curam et pietatem erga me intelligens, de manu tua omnia accipiam, pro omnibus te laudem et gratias agam, et in beneplacitum tuum totum me semper resignem, offeram et expendam. Amen.

Pro fide, spe et charitate ad Patrem.

BENIGNISSIME Domine Deus Pater, cum nulli obtinendæ salutis spes sine theologicis virtutibus, fide, spe et charitate, relicta sit, supplico excellentissimæ majestati tuæ, Filii tui amantissimi intercedentibus meritis, ut rectam, sinceram, vivam illuminatamque interiori animæ meæ fundo infundere digneris fidem, cujus virtute omnes meæ cogitationes cum intima tui fruitione in te subleventur : spem item firmam atque securam, qua intellectus meus in vultus tui claritate dilatetur : charitatemque ignitam, per quam voluntas mea imperfecta ac instabilis in te omnium creatore firmetur atque solidetur. Amen.

Pro dilectione Dei, proximi atque inimicorum.

AMANTISSIME Domine Jesu Christe, qui dilexisti nos et lavasti nos in Sanguine tuo, dulcis Jesu, qui dedisti in mortem animam tuam pro nobis, et cum sceleratis reputatus es, vulneratusque propter iniquitates nostras et attritus propter scelera nostra. Disciplina enim pacis nostræ super te, et livore tuo sanati sumus. Per hanc charitatem et ineffabilem misericordiam tuam obsecro te, infunde cordi meo gratiæ tuæ inexstinguibile lumen, quo simul ardeat in me juge incendium tuæ charitatis, ferveat, operetur, et crescat in me semper castissimus ac indeficiens affectus miserationis, compassionis, benevolentiæ ac pietatis, qui ad omnes creaturas tuas tui amore et contemplatione se effundat, et nihilominus inavertibiliter tibi semper inhæreat. *Apoc.* 1, 5. *Is.* LIII, 5.

Amantissime Jesu, reple, quæso, animam meam, omnes sensus, vires, actus et affectus meos perfectissima, sincerissima, ferventissima, fidelissima atque perpetua charitate, ut te ex toto corde meo diligam in omnibus et super omnia : in te vero et propter te omnem proximum sincerissime atque perfectissime, secundum beneplacitum tuum. Dulcis Jesu, da mihi ut honorem tuum et animarum salutem ardentissime sitiam, quæram et promoveam. Da mihi ut omnium hominum salutem, profectum et commodum atque consolationem ex toto corde diligam, quæram et promoveam ad gloriam tuam.

Digitized by Google

Misericordissime Jesu, aufer a me omnem amaritudinem, livorem, iram, malum rancorem, indignationem, suspiciones, invidiam, et quidquid sincerissimæ charitati adversatur, ut de omnibus hominibus in simplicitate cordis bene sentiam, neminem temere judicem, universos piissimo dulcissimoque affectu cordis in te diligam, et quomodocumque tibi placuerit, miserationis, beneficentiæ, dulcedinis, benignitatis atque dilectionis affectu verba et beneficia cunctis, maxime autem illis qui mihi injurias aut molestias intulerunt, toto corde impendam.

Piissime Jesu, da mihi ut diligam omnes inimicos meos perfectissime non verbo aut lingua tantum, sed opere et veritate. Dulcis Jesu, omnem acceptionem personarum longe fac a me, ut in omni creatura pure te diligam, et tui imaginem in omni homine honorem. Amen.

Pro divina proximique charitate.

Amantissime Domine Jesu Christe, infunde cordi meo perfectissimam, perpetuam atque ardentissimam charitatem, quæ omnem a te alienum amorem, omnes vitiosos affectus, omnes inordinatos animi motus, omnem livorem, amaritudinem, iram, odium, et quidquid divinæ charitati adversatur, in me occidat atque radicitus evellat.

Dulcis Jesu, per immensam charitatem, quam ad nos habes, obsecro te, reple me hac eadem divinissima virtute : et largire mihi ut nunquam inveniatur in me quidquam quod hanc a me exturbet. Absorbeat me ignita vis dilectionis tuæ, ut in te et propter te diligam proximum meum sicut meipsum, et sicut tu dilexisti nos. Te vero amem, Deus meus, lumen oculorum meorum, consolatio, refugium ac dulcedo animæ meæ, propter temetipsum, in omnibus et super omnia. Amen.

Pro divino amore.

Eia rubens rosa flagrantissimæ charitatis, Domine Jesu Christe, obsecro te per virtutem illius amoris, qui tuam nobilissimam animam a tuo corpore separavit, da mihi amorem, qui me totum liquefaciat in memoria pretiosæ ac amorosæ mortis tuæ. Da amorem, dulcis Jesu, qui me tecum uniat inseparabili et felicissima unione. Eia Jesu, meum desiderabile bonum, da ut tua saluberrima mors vivificet me ad vitam plane laudabilem, in tuæ amorosæ mortis compensationem. Eia, Jesu amantissime, da mihi intentionem, quæ in omnibus te quærat et super omnia laudet, da mihi devotionem indeficientem, quæ tuam semper et in omnibus desideret atque perficiat laudabilissimam voluntatem. Amen.

Item, pro divino amore.

Transfige, dulcissime Jesu Christe, medullas animæ meæ suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere. Perfode et confige omnia viscera animæ meæ, vera, superna igneaque charitate, ut langueat et liquefiat anima mea semper castissimo amore vehementissimoque tui desiderio. Concupiscat te salvatorem suum et deficiat in atriis tuis, Domine. Non delectet eam ulterius hujus fallacis mundi vanitas, non eam ulla prosperitas elevet, nec adversitas conturbet. Tu Domine, sis illi divitiæ et gloria, tu gaudium et consolatio, tu requies et voluptas, tu refugium et firmum præsidium. In te radicata non errabit, in te manens, fructum multum feret, quia sine te nihil boni præstare potest. Amen.

Pro incremento divini amoris.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, propter tuam largitatem et Filii tui, qui pro me sustinuit Passionem et mortem, et per Matris ejus Virginis gloriosæ sanctitatem, atque beati Brunonis et omnium Sanctorum tuorum merita, concede mihi vilissimo peccatori et omni beneficio tuo indigno, ut te solum diligam, tui amore semper ferveam, tuum honorem

Digitized by Google

semper sitiam, beneficium Passionis Filii tui continue in corde meo habeam, meam miseriam recognoscam, et ab omnibus conculcari et contemni appetam. Nihil me afficiat nisi tu, nihil me contristet nisi culpa. Amen.

Pro illuminatione mentis ac ebrietate amoris Dei.

Oriens splendor Lucis æternæ, et sol Justitiæ, veni et illumina me cognitione misericordiæ tuæ et miseriæ meæ ; fac in me vitium deperire, et omnis boni germen oriri. Per desiderium quod ab æterno habuisti ad nostram redemptionem, trahe omne desiderium meum in te per vinculum amoris, quod te traxit de sinu Patris in gremium Matris. Da ut inebriet me ignita et melliflua vis amoris tui, quæ me faciat omnium terrenorum funditus oblivisci præ magnitudine amoris : adeo ut, sicut flamma ardens, totus ardeam tui desiderio, quod nulla creatura possit exstinguere. Amen.

Pro divini honoris zelo, contemptuque rerum pereuntium.

Bone Jesu, fac ut totis medullis et omnibus viribus amem te, summe timeam et reverear. Fac me pro omni honore tuo fortissime zelari, ita ut omne opprobrium tuum, tanquam gloriæ tuæ zelotypus, vehementissime exhorrescam, mei contemptum diligam, et mundum cum omnibus quæ transitoria sunt tui amore contemnam. Amen.

Pro animæ mystica satietate.

Amator ardentissime dulcis Jesu, da ut anima mea te solum esuriat panem Angelorum, refectionem animarum, panem nostrum supersubstantialem habentem omnem dulcedinem, saporem atque omne delectamentum suavitatis, te, inquam, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat et comedat anima mea, et dulcedine saporis tui repleantur omnia interiora mea. Te sitiat semper fontem sapientiæ, fontem æterni luminis, fontem vitæ, torrentem voluptatis, ubertatem domus tuæ. Te semper ambiat, te quærat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur et omnia operetur in laudem et gloriam nominis tui, cum humilitate et discretione, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et affectu, cum sancta perseverantia usque in finem. Amen.

Pro unione animæ cum Deo.

Jesu Christe, corona æternæ jucunditatis, per gaudium quod in Passione tua sanctissima anima tua habuit de humana redemptione, obsecro te, intrahe in te cor meum et animam meam, ut extra te nunquam in aliqua creatura valeam vel ad momentum delectari. Concede mihi, o suavissime Domine Jesu, ut omne desiderium et gaudium meum, omnis amor et delectatio mea nusquam tendat, nullibi sit, nusquam requiescat præterquam in te solo Domino Deo meo. O Domine, tu solus esto unica spes et consolatio mea, præsidium et requies mea, vita et salus indeficiens ac sempiterna. Amen.

Pro unanimitate cunctorum fidelium.

Jesu redemptor omnium benignissime, exuberantissime fons omnium gratiarum, inclyta proles summi Dei, benedicant te omnia quæ in cœlo sunt sursum, et quæ in terra deorsum. Quæsumus, illo igneo stillicidio charitatis et miserationis tuæ, purga, innova, illumina, inflamma, exhilara, confirma et uni corda credentium tibi, ut unum sint, unum sapiant, unum unanimiter requirant et apprehendant, videant et benedicant te Deum deorum. Amen.

Pro integritate sanctimoniaque cordis, et virtutum omnium perfectione.

Benignissime Domine Jesu Christe, amabilissime sponse virginitatis, amator casti-

Digitized by Google

tatis, qui verbo et exemplo mundum erudiens, cœlestem in carne vitam, hoc est, castam atque virgineam docuisti, nec ab alia matre quam virgine concipi ac nasci voluisti, quique sanctissimas virgines Catharinam, Barbaram, Ursulam, N.N. atque alias innumeras ad sui contemptum, ad cœlestis thesauri, id est, virginitatis cultum, ad tui denique amorem ac desiderium adeo roborasti, ut mallent corpora sua variis pœnis ac etiam morti tradere, quam aut amissa virginitate semel pollui, aut immundis amoribus abs te alienari. Obsecro te per omnes miserationes tuas, per immensam tuam ad nos charitatem, per passiones et vulnera tua, per livorem, dolores et sanguineas guttas, libera et præserva me ab omni carnis peccato. Da mihi perfectam castitatem mentis et corporis, et sine qua castitas præservari non potest, temperantiam atque in cibo potuque discretionem. Infunde mihi humilitatem, mansuetudinem, patientiam, mititatem, benignitatem, simplicitatem, puritatem, resignationem, charitatem et reliquas virtutes omnes, quibus electissima dignissimaque Mater tua, aliæque virgines sponsæ tuæ tibi placuerunt.

Exstingue in me omnem privatum et mundi amorem, ut mundum et quidquid in mundo est ac meipsum totum tibi offeram, dedicem atque in beneplacitum tuum ex toto corde resignem. Dulcis Jesu, absorbeat cor meum ignita et melliflua vis amoris tui, ut ex toto corde meo te quæram, sitiam, intendam, diligam et benedicam in omnibus et super omnia, ut tibi semper inhæream, in te quiescam, et omne tempus vitæ meæ omnesque vires animæ et corporis mei, in gloriam, honorem et beneplacitum tuum, amando te jugiter expendam. Amen.

Pro virtutibus et imitatione vitæ Christi.

Jesu mansuetissime, obsecro te per mitissimum Cor tuum, infunde mihi ex eodem fonte salutari perfectissimam humilitatem, mititatem, patientiam, simplicitatem, castitatem, charitatem cæterasque virtutes omnes, ut tui amore cupiam diligamque nesciri, contemni, contumelias et injurias pati. Dulcis Jesu, fac me imitari vestigia sacrosanctæ vitæ et Passionis tuæ in vera meiipsius abnegatione et ardentissima charitate. Vulnera cor meum jugi recordatione Passionis tuæ, ut aliud nesciam quam te Dominum Deum meum pro me crucifixum. Hæc sit cogitatio a me nunquam recedens, cor meum amore scindens, et intima animæ penetrans. Amen.

Aspiratio sequens crebrius per diem, pro divina charitate obtinenda, est repetenda.

Dulcis Jesu Deus meus, absorbeat me, quæso, ignita et melliflua vis amoris tui, quæ penetret cor meum, purgetque et rapiat in se omnia interiora mea, ut sicut flamma ardens aut ferrum candens, tui amore semper ardeam, totus a meipso deficiam, te vero solum cogitem, te solum desiderem, te solum sciam, te sentiam tibique soli inseparabiliter inhæream. Amen.

Pro Dei amore, ad Deiparam Virginem Mariam precatio.

O puella speciosissima, moribus et vitæ sanctimonia quam maxime decorata, o virtutibus vernantibus odorifera, ac cunctis gratiis donisque cœlestibus repleta, utinam tui me amore vulneres, et tui suavissima dilectio ita cordis mei penetralia sauciet, ut omnia mundi præsentis gaudia in nauseam mihi vertantur. O Virgo ex regia stirpe orta, atque in Dei Matrem ante mundi constitutionem electa, mei pauperis noli, quæso, despicere preces : sed quem tantum tui desiderium capit, ut putet sibi bene esse sine te non posse, in tuam recipe gratiam, piumque tuum illi ostende vultum, ex cujus consideratione omnes desolati et mœsti reficiuntur. O glo-

Digitized by Google

riosissima atque misericordissima Domina mea, utinam in filium tuum me adoptes, et exuberantissimam misericordiam tuam super me effundas, ab omnibusque malis præsentibus et futuris me protegas, suavissimo tuo Cordi me constringas, et quidquid tibi in me displicet procul repellas, quo sic tuam voluntatem adimpleam, et quæ obedientis sunt filii incessanter perficiam. Amen.

Pro sanctificatione animæ et corporis, ad beatissimam Virginem Mariam.

O Virgo gloriosissima et omni laude dignissima, Mater Jesu Christi charissima, per omnia quæ beatissima Trinitas in te et sanctissimis membris tuis operata est magnalia, et per ineffabile illud gaudium quod in conceptu et partu Filii Dei sensisti, dignare de singulis membris tuis, dulcedine redundantibus, tanta efficacia in me stillare gratiam tuam, ut perfundatur totum corpus et anima mea, sanctificenturque omnia membra mea, ita ut de cætero nunquam moveantur ad prava opera, sed serviant amori tuo cum lætitia, et per amorem vivificentur, regantur, roborentur, perficiantur usque ad exsiccationem medullarum omnium ossium meorum. Amen.

Pro cordis commutatione et perfectione, ad eamdem.

Dulcissima Domina mea, facias, quæso, mecum felicissimum cambium. Aufer a me cor meum pessimum, et fac cum illo sicut volueris, et da mihi pro illo Cor tuum virgineum, sanctum, perfectum, omni gratia et virtute plenum, et in æternum benedictum : aut saltem, dilectissima Domina, da mihi cor aliud novum secundum Cor tuum, humile scilicet, mansuetum, pacificum, castum, mundum, quietum et charitate Dei et proximi repletum, quod mundum et omnia quæ in mundo sunt veraciter contemnat, in tribulatione humiliter gaudeat, sui contemptum diligat, Dei honorem sitiat, necessitatibusque proximorum compati sciat. Amen.

Pro amore Dei et proximi, ad eamdem.

Amabilissima Virgo Maria, impetra mihi a Filio tuo, ut occidat in me et auferat omnes carnales, mundanas, privatas et creaturarum affectiones, exstinguat in me omnia illicita desideria omnemque amorem inordinatum, et impleat cor meum castissimo, suavissimo ac ferventissimo tui amore, ardentissima et perfectissima charitate Dei et proximi. Amen.

Aspiratio ad eamdem.

Ah! vulnera cor meum, dulcissima Virgo Maria, ut tui amore totus inardescam et langueam, Deoque charitate perpetua inseparabiliter inhæream.

Ah utinam omnium transeuntium rerum et etiam meiipsius oblitus, nihil cogitem, nihil diligam, nihil desiderem nisi Deum et te dulcissimam Dominam meam sanctam Mariam. Amen.

Pro divini amoris repletione, ad eamdem precatio.

O Regina cœlorum dignissima Dei Mater Virgo Maria, pauperculus ego homuncio obsecro te per singularem illam prærogativam præ cunctis mortalibus tibi præstitam, ut scilicet voceris et revera etiam sis Dei Mater, Angelorum Domina, cœli Regina, hominumque Mediatrix, ut ex toto corde meo omnem tam carnis quam mundi amorem atque vanitates exstirpes et evellas, repleasque illud divinissimi amoris tui, quo tu semper plena fuisti, balsamo, ita ut nil terrenum libeat, nilque carnale mentem meam a cœlestium contemplatione præpediat. Amen.

Pro divinæ gratiæ illustratione et virtutum quotidiano incremento.

O Jesu candor Lucis æternæ ac omnis boni origo atque principium, obsecro te per

Digitized by Google

tuam largifluam pietatem, misericordiam et liberalitatem, illustra cor meum splendore gratiæ tuæ, et accende illud igne immensæ charitatis tuæ, et fac ex eo tibi purissimum perpetuumque habitaculum, in quo jugiter moreris, meque secundum tuum beneplacitum regas ac gubernes. Et quia vere pauper et inops sum, omnibusque bonis et donis tuis indigeo, dignare, quæso, sanctissimis tuis virtutibus animam meam excolere et exornare, ut quotidie in omni virtute et vitæ sanctimonia proficiam, antiqui hominis sordes exuam, et te Dominum meum, qui es via per quam ad æternam vitam pervenitur, perfecte induam, perfectissimamque tuæ humanitatis conversationem in corde ac interiori animæ meæ fundo scribam, quatenus ex integro me relinquam, atque omnibus creaturis ex vero amore te anteponam et præferam.

Ah pie Jesu, vel jam tandem sufficiat mihi aberrasse a te, et in vitiorum meorum sordibus hæsisse, exulasse etiam tamdiu a te in hujus peregrinationis et exilii tenebris.

Recipe, obsecro, ultro revertentem ad te, ut corpore et voluntate de vitiis ad virtutes transiens, ad te, qui vere es terra sancta nobis promissa, et beatorum omnium in cœlesti patria commorantium satietas et beatifica visio, pervenire merear. Amen.

Pro sui humiliatione.

O Jesu summa mea benignitas, per omnes tuas ignominias ac molestias, quas in tua Passione pro mea salute sustinere dignatus es, te suppliciter oro, ut omnem a me animi tumorem profliges, concupiscentias et affectiones omnes rerum temporalium funditus occidas, mihique ferventissimum me abjiciendi, contemnendi humiliandique desiderium tribuas, atque sub omnibus creaturis cor meum superbum ac inflatum deprimas. Amen.

Pro humili subjectione.

O infinita ac interminabilis Bonitas, Christe Jesu piissime, inspira et confirma in me spiritum bonum, qui me semper ad ferventiorem profectum inflammet: spiritum, inquam, veræ et perfectæ humilitatis, qui me dirigat, doceat et informet, quomodo ex toto cordis affectu, sine aliqua cordis remurmuratione sub omnium pedibus, maxime seniorum et Prælatorum meorum me subjicere, humiliare atque inclinare, omnemque proprium sensum relinquere, et eorum ductum atque judicium sequi possim, quo tanto expeditius te Deum meum, qui usque ad mortem animam tuam humiliasti, per regiam humiliationis viam gratia tua adjuvante sequar. Amen.

Pro stultitia quadam laudabili.

O Jesu clementissime, ex intimis præcordiis te oro, ut me ad omnia quæ hujus mundi sunt stultum facias, quatenus præter te nil sciam aut velim: utque in oculis meis totus sim vilis ac abjectus, nec ab ullo unquam appetam honorari, sed magis despici atque ut fatuus vilipendi. Amen.

Pro propriæ vilitatis agnitione.

O Jesu superdulcissime, utinam tuam profundissimam humilitatem cordi meo tam profunde inscribas, ut nulli superbiæ motus in me locum inveniant, neque me ulli unquam creaturæ propter nimiam meam indignitatem et vilitatem comparare audeam, sed quasi omnium vilissimum atque novissimum ex animo omnibus substernam, omniumque quos mundus continet hominum imperfectissimum ac infimum judicem. Amen.

Pro sui vilipensione.

O Jesu desiderantissime, supplico quam devotissime possum ardentissimæ tuæ er-

Digitized by Google

ga me charitati, ut ad profundissimæ humilitatis virtutem cor meum præparare digneris, tantoque tui suavissimi amoris igne me succendas, ut omnia mundi blandimenta, omniaque transitoria et meipsum totum propter te contemnam, nec ulla mundi adversa, vel convitiantium mihi probra pertimescam, sed totis viribus te per viam despectionis et Crucis opprobrium gaudens imitari desiderem, neque, quod seculi hujus amatoribus proprium est, doleam si alii mihi præferantur ; imo vehementer contrister, si aliquis mihi honor a quoquam deferatur. Amen.

Pro humilitate.

Jesu Christe, amator et magister humilitatis, qui abjecta hujus mundi eligis, ut fortia quæque confundas : quique secreta tua abscondis mundi sapientibus, et revelas ea parvulis, apud quem etiam abominabile est, quod altum est hominibus : infunde cordi meo perfectissimam, tibique acceptissimam humilitatem. Dulcis Jesu, qui dixisti : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde :* doce me ut ferventissimo desiderio optem, gaudensque accipiam omnem humiliationem, vilificationem atque contemptum meiipsius. Exstingue, piissime Jesu, in me appetitum omnem inanis gloriæ, ut ex toto corde meo cupiam gaudeamque nesciri, contemni, vilis reputari, et opprobria pati. Eia, pie Jesu, fac ut tibi soli placere cupiam et propter te nemini displicere timeam. Fac ut propriam vilitatem, miseriam, inconstantiam, pravitatem et quam nihil sum vere cognoscam, et ex animo detestabilem me sentiam, atque ab aliis sentiri cupiam. Iterum te obsecro per humilitatem Cordis tui, misericordissime Jesu, da mihi humilitatem spiritus, ut in me servo tuo nihil unquam de peste superbiæ aut vanæ gloriæ inveniatur. Dulcis Jesu, libera et custodi me semper ab hoc malo, quocumque modo illud me possit inquinare : quandoquidem tot bonæ spei homines, et qui perfecti in gratia tua videbantur, ex hac peste perierunt. Amen.

Matth. xi, 27.

Ibid. 29.

Pro humilitate, precatio alia.

Humillime Jesu, qui in hoc mundo vilia, acerba, probrosa et ignominiosa pro me passus es, da mihi profundissimam humilitatem, da mihi abyssalem cognitionem meæ vilitatis, qua contempler simul altitudinem et bonitatem divinæ tuæ majestatis. Attendam quanta beneficia mihi contulisti, quantam paupertatem, pœnam et ignominiam sustinuisti pro me, hoc est, pro tam vili vermiculo terræ et sordido pulvere, tanta majestas, tanta sapientia, tanta bonitas ; et quanta e diverso facinora, quantam ingratitudinem, quantum contemptum ego rependi. Hæc, quæso, dulcissime Jesu, sint omni momento in oculis, in corde, et in continua cogitatione mea, videlicet, tua bonitas atque majestas, et mea pravitas ac vilitas, ut insatiabili desiderio semper ardeam, et pro tui honore, et pro mei contemptu nihil me æstimans, nihil aliter de me sentiens, quam de vilissimo peccatore, et hujus mundi omnium infimo atque novissimo, et idcirco vilissima quæque ac novissima eligam, omnibus creaturis indignum me sentiam, et de contemptu mei, atque injuriis et molestiis ex toto corde gaudeam.

Eia, piissime Jesu, exaudi me, et infunde mihi humilitatem quantam tu in me velles maxime tibi acceptam. Rogo te, pie et exorabilis Deus, per omnipotentem et piissimam bonitatem tuam, qua justificas impios, et vivificas mortuos ; qui mutas peccatores et non sunt, ut non permittas dirissimam pestem superbiæ dominari, nec aliquatenus inesse servo tuo.

Dulcis Jesu, obsecro te per humilitatem Cordis tui, nunquam veniat in animam meam, nunquam in aliquod membrum corporis, aut sensum animæ meæ, quod superbiam, arrogantiam, propriam complacentiam, aut inanem gloriam ullo modo redoleat. Amen.

Digitized by Google

Pro patientia.

O Agne mansuetissime Domine mi Jesu Christe, obsecro te per ineffabilem mansuetudinem, et per mitissimam patientiam tuam, quam inter omnes injurias, persecutiones, irrisiones et pœnas in teipso usque ad extremum vitæ punctum perfectissime exhibuisti, illustra cor meum gratia tua, et omnem amaritudinem, duritiam, iracundiam impatientiamque in me mortifica, ut ad honorem acerbissimæ mortis tuæ, tuique amore æquanimiter, tranquille ac desideranter suscipiam, libenter et hilariter sustineam omnem injuriam, derisionem, confusionem, detractionem, persecutionem, pœnam, et quidquid triste aut adversum super me venerit. Omnia, dulcis Jesu, fac ut de manu providentiæ tuæ, cum laude et gratiarum actione suscipiam, et mansuetissimo, mitissimo, patientissimoque corde ; imperturbabilem mentis tranquillitatem inter omnia tristia possideam, et adeo nihil eorum quæ patior ad cor recipiam, ac si non mea, sed prorsus aliena adversitas esset. Rogo ergo te, dulcissime Jesu, ut nullo odio, nulla amaritudine, nullo rancore gratia tua cor meum sinat inquinari, sed dulcedinem, mansuetudinem, benignitatem, serenitatem atque perfectissimam charitatem ad omnes, etiam inimicos et adversantes, mihi infundat atque confirmet. Infunde mihi, quæso, mitissime Jesu, ardentissimam charitatem, affectumque patiendi quæcumque molesta et contraria pro te, quia tu tam molesta, tamque indigna passus es pro me. Da mihi tantam charitatem et patientiam, ut nullis passionibus aut molestiis adeo possim unquam fatigari, quin majora et graviora semper desiderem pati. Amen.

Pro abnegatione et patientia in adversis.

Dulcissime Domine Jesu Christe, da mihi misero peccatori crucem veræ pœnitentiæ ferventer amplecti, tuæ Passionis vestigia imitari, atque per viam perfectissimæ abnegationis te sequi : ea quæ in mundo sunt blanda aut delectabilia execrari, et pro tui amore quæcumque dura et adversa desideriis sitibundis amplecti. Amen.

Pro mititate.

O Jesu mitissime, qui stupendum et admirandum mititatis et patientiæ nobis exemplum in tua Passione reliquisti, ita ut ne unum verbulum amarum omnibus inimicis et tortoribus tuis responderis, aut impatientiæ aliquod signum demonstraveris, da mihi misero veram cordis mititatem et mansuetudinem, ne unquam in adversis casibus frangar, aut repentina ira vel ulciscendi passione permotus inimicis meis mala pro malis rependam. Transeat, quæso, Domine, virtus amarissimæ Passionis tuæ omnia interiora mea, atque ad omnem injuriam, molestiam, contumeliam perferendam promptum me reddat. Da præterea mihi gratiam tuam ne humana pertimescam judicia, neque proximorum meorum increpationes indigno aut amaro recipiam animo, sed semper et ex animo optem ab omnibus argui et reprehendi, quatenus hac occasione omnes superbiæ et impatientiæ motus in me conterantur, meique despectio et contemptus in dies magis ac magis excrescat. Amen.

Pro fortitudine animi in adversorum perpessione.

O Jesu amabilissime, admoneo te illius ardentissimæ et admirandæ charitatis, qua toties tuorum discipulorum corda es consolatus, et ad futuras tentationes, vexationes, et hominum malignorum persecutiones benigne tolerandas præmonuisti, dicens : *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem occidere non possunt;* Matth. x, 28. item : *Non turbetur cor vestrum neque formidet ;* Joann. xiv, 27. item : *Si me persecuti sunt, et vos persequentur,* Ibid. xv, 20. dignare et me in omni

Digitized by Google

adversitate et malorum perpessione confortare et animare, ne succumbam, aut hostium importunitate aut nimia malignitate a te Deo meo exturber, neve hac ratione tuam gratiam hactenus misericorditer mihi indultam amittam, meque ipsum miseriis extremis involvam. Ah Jesu superdulcissime, qui ipse in te expertus es quam durum quamque molestum et difficile sit sensualitati adversari, et hominum improborum improbos sufferre mores, noli me, obsecro, in hac despicere hora, cum undique ingruant tentationes, foris pugnæ, intus timores et dæmonum callidissimæ suggestiones, carnis quoque indomitæ illecebræ, et id genus alia : sed pro solita tua pietate oculos tuos ad me converte, atque auxilium gratiæ tuæ mihi impende.

Ah Jesu clementissime, en tibi soli, ab omnibus derelictus omniumque charorum auxilio destitutus, conqueror, quod non valeam ultra, nisi cito succurras, hostibus meis resistere, neque eorum diutius sustinere impetum. Adjuva me igitur, virtus mea, fortitudo mea et liberator meus, in opportunitatibus, in tribulatione, ne separer a te. Suscipe, tene et posside me, refugium meum et misericordia mea. Omnia aspera tui amore fiant mihi dulcia. Detester omnia mundi oblectamenta, delectationesque externas, quæ non sunt in te : et fastidiam quidquid tu non es, aut in te me non ducit. *Intende in adjutorium meum. Adjutor meus esto, ne derelinquas me. Deus ne elongeris a me, Deus in auxilium meum respice. Amen.*

Ps. XXXVII, 23. *Ibid.* XXVI, 9. *Ibid.* XXI, 20.

Pro paupertate spiritus, et amoris rerum temporalium mortificatione.

Dulcissime Jesu Christe, obsecro te per paupertatem et nuditatem tuam, qua cum dives esses propter me egenus factus es, extra patriam natus, in exilium fugatus, sub paupere Virgine tenuiter educatus, veste et cibo humili ac modico usus, sine hospitio sæpius in monte pernoctatus, de eleemosynis piorum hominum sustentatus, in Passione tandem ab amicis destitutus, a discipulis derelictus, nudus crucifixus, atque adeo pauper, ut non haberes quo caput tuum spinis vulneratum reclinares, nec quo æstuantissimam sitim tuam refocillares. Sed et decore, robore, incolumitate, forma, specie hominis, et ad extremum vita propter nos privatus, in alieno sepulchro es positus.

Cor. VIII, 9.

Eia, piissime Jesu, aufer a me mundi et creaturarum omnium inordinatum amorem, ut nihil extra te concupiscam, nulli creaturæ inhæream, nusquam nisi in te requiescam. Da ut nihil mihi adscribam, nihil tribuam, nec in aliquo donorum tuorum, sed in te bonorum omnium largitore gaudeam, et tuam benignissimam misericordissimamque largitatem erga me admirans et laudans, nihil in omnibus donis tuis nisi te cupiam, quæram et intendam.

Christe Jesu, amator paupertatis, qui vitam tuam in hoc mundo ab infantia usque ad mortem crucis paupertate consecrasti, illumina cor meum ad cognoscendam et contemnendam omnium rerum temporalium vilitatem, instabilitatem et deceptionem.

O Jesu, mi amabilissime, et ex millibus electe, qui nudus propter me, deformis ac sanguine cruentatus pependisti in Cruce, sis tu mihi pretiosissimus unicusque thesaurus. Esto animæ meæ cordisque mei satietas contra omnium aliarum rerum quæ extra aut sine te sunt, appetitum.

O desiderabilissime Jesu, pro universo mundo quem tibi offero, et tui amore relinquo, tibique resigno, da mihi felicissima commutatione teipsum pauperem, nudum et pro me crucifixum. Eia, Jesu amabilissime et desiderantissime, præ omnibus te desidero.

O paupertas desideratissima, in Christo Jesu amatore sponsoque meo sublimiter consecrata. Utinam te præ omnibus rebus et deliciis mundi amicam et sponsam accipere merear.

Eia, Deus meus, da mihi omnium rerum

Digitized by Google

temporalium præ tui amoris magnitudine oblivisci, et omnem gloriam, omnemque consolationem mundanam aspernari.

Domine Jesu Christe, da mihi tui amore in omnibus necessariis corporis inopiam, tenuitatem, vilitatem, penuriam, privationem et indigentiam ex toto corde meo semper optare, quærere, diligere et amplecti, et in vera discretione, patientia, perseverantia, et gratiarum actione hilariter longanimiterque perpeti. O Deus meus, tollantur mihi omnia, tu saltem remaneas mihi, obsecro, tu me possideas, vita mea, refectio mea, exultatio mea, quies mea et beatitudo mea. Amen.

Pro paupertate et charitate.

O Jesu Fili dulcissime Virginis Mariæ, obsecro te per omnem inopiam ac paupertatem tuam, quam pro me in hoc miserabili exilio pati es dignatus, ut ab omnibus rebus creatis mentem meam elonges, spiritumque meum in te rapias et stabilias, ut nihil in hoc mundo aliud quæram, quam quod ad simplicem nudamque corporis et animæ sustentationem mihi necessarium fuerit : nec quidquam appetam vel concupiscam, nisi te Deum meum super omnia et in omnibus diligere, ardentissimaque charitate inseparabiliter sine fine possidere. Amen.

Pro paupertate, alia precatio.

O Jesu pauperrime, rogo te per exuberantissimam tuam pietatem, fac me semper et ubique tuæ amaræ potionis atque extremæ paupertatis in Cruce recordari, quatenus discam paucissimis et vilissimis esse contentus, neque delicata aut exquisita quæram cibaria, quæ magis appetitum provocent, quam famem exstinguant. Sustineam præterea tuo exemplo libenter paupertatem, omniumque rerum etiam necessariarum penuriam, ac omnia carnis oblectamenta ex integro et perfecto corde fugiam atque detester. Amen.

Pro perfecta obedientia.

O perlucidum obedientiæ speculum, omniumque virtutum forma absolutissima, Christe Jesu amabilissime, cum alia via ad cœlestes tuas mansiones non perveniatur, nisi per simplicem ac perfectam mandatorum tuorum obedientiam, quippe cum omnes per protoplasti rebellionem ac transgressionem filii iræ simus effecti, da mihi, obsecro, intellectum, ut legem tuam diu noctuque cum regio illo psalte David scruter, ac in toto corde meo illam custodiam. Deduc me ergo in semita mandatorum tuorum, quia ipsam volo, ipsam desidero, ad ipsam toto affectu aspiro et anhelo. Nam qui operantur iniquitatem, et pravis suis desideriis carnalibusque concupiscentiis obediunt, longe redeunt a te, neque in viis tuis ambulant. Non intret in concilium eorum anima mea, Domine Deus meus, qui dicunt : *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus, quia contrarius es studiis nostris, et viæ tuæ iniquæ sunt.* *Ps.* cxviii, 34. *Job* xxi, 14.

Ah pie Deus, afflictorum solamen et errantium reductor, ne in finem usque errare me sinas a te : sed jugo sanctæ obedientiæ subjice humeros meos et cervicem meam durissimam. Sit tibi anima mea filia Sion, cui in pace advenias, quamque cum omni benedictione eximiæ charitatis tuæ ingrediaris, inhabites et possideas : in qua omnes actus meos dijudices, passiones refrenes, viresque animæ meæ pristinæ integritati restituas, quæque agenda et vitanda sunt edoceas. Fac me etiam vere subditum Vicariis tuis in omnibus, quæ ad tuam spectant gloriam, et ad animæ meæ salutem. Illumina quoque oculos meos internos, ne a sancta fide catholica unquam desciscam; aut sanctæ Ecclesiæ instituta Patrumque antiquorum sanctiones despiciam, aut perversorum corruptorumque hominum persuasionibus me seduci unquam permittam. Amen.

Digitized by Google

Pro sensuum viriumque animæ reformatione.

Jesu Christe patientissime, deprecor te per tolerantiam omnium intolerabilium tuorum cruciatuum, quos Cruci confixus in tuis sacratissimis pertulisti sensibus, ut sensus meos omnes custodire et reformare digneris, eosque in temetipsum intrahere, atque in vulneribus tuis mellifluis includere, quatenus nihil videam, nihil cogitem, nihil intelligam, nisi te. O Jesu piissime, averte oculos meos ne videant hujus mundi vanitates, ne concupiscentiis aut aliis pravis desideriis irretiatur anima mea. Sepi etiam aures meas spinis timoris tui, ut verba scurrilia, vana, detractoria, audire horream ac detester. Odoratum meum reprime, ut viriliter carni oblectationem inordinatam ingerentia a me rejiciam. Gustum meum felleo potu, quo in Passione tua potatus fuisti, ciba, quo extra te nil petar gustare, neque quidquam in cibo vel potu quæram quam simplicem necessitatem. Tactum meum custodi, ne quid in me vel in alio tangam, quod carnis possit provocare voluptates. Postremo te rogo, ut singularem gratiam mihi infundas, ut omnia membra corporis mei, omnesque vires animæ meæ in tuo divino servitio cum intensissima charitate, profundissima humilitate, perfectissimaque obedientia expendam, omniaque bona mea opera cum gratiarum actione in te refundam a quo effluxerunt, nec quidquam illorum mihi unquam attribuam, Amen.

Pro mandatorum Dei impletione.

O Jesu doctor ac magister fidelissime omnium in te credentium, qui amantissimis tuis discipulis præcepta et consilia saluberrima pie et religiose vivendi tradidisti, viamque per quam ingrederentur clare demonstrasti, atque eorumdem mandatorum tuorum transgressoribus æterna es minatus supplicia, patriæque cœlestis exhæredationem, supplex te rogo, discipulorum tuorum infimus, ut et mihi misericorditer viam, per quam ab æterno me ambulare decrevisti, manifestare digneris, et gratiam specialem mihi infundas, qua tuæ divinæ, et mihi sæpenumero incognitæ voluntati inhæream fixusque maneam, atque præcepta tua ex corde et animi strenuitate perficiam, semper in hoc intendendo, ne quid minus quam tu a me desideras, agam. Devitem quoque omni conatu quo possum, ne quam in præceptis tuis ac divinis consiliis transgressionem admittam, ut aut te ad iracundiam provocem, aut mandata tua transgrediens prævaricantium pœnam incurram. Adsit mihi divina tua virtus, quæ me in omnibus viis tuis confortet atque corroboret, ipsissimamque mihi veritatem intus infundendo animæ meæ plene atque integre edoceat, uti ad tui sanctissimi nominis honorem, cum tuis electissimis discipulis fructus bonorum operum locupletissimos, tanquam bonorum omnium auctori, humili corde pioque affectu offerre valeam. Hoc vero cum tu summe desideres, et a meipso solo præstare non possim, ad te, dulcis magister, rudis et ignarus discipulus humiliter accedo, sanctissimæ humanitatis tuæ vestigiis me quam humillime prosterno, obnixe cum beatissima tua amatrice Maria Magdalena, quæ inde gratiam et indulgentiam hausit, orans, ut meorum operum imperfectionem tuis sanctissimis operibus perficias, eaque tibiipsi perfectissimo modo offeras, omniaque ignorantiæ et cæcitatis velamina penitus ab oculis meis interioribus auferas et abstrahas, ut te viam veritatis et beatæ vitæ januam tanto lucidius cognoscam, et mandata, consilia et monita tua, item internas inspirationes ac allocutiones observem, ad laudem et gloriam tuam, et ad salutem animæ meæ. Amen.

Pro divinæ voluntatis consummatione.

Benignissime Domine Jesu Christe salvator et redemptor humani generis, ac diligentissime operis illius consummator,

Digitized by Google

quod a Patre tuo cœlesti tibi fuit impositum, scilicet nostræ redemptionis opus, quod multis cum laboribus incepisti, et cum maximis doloribus perfecisti, ac tandem totius Passionis tuæ consummationem Pa-
Joann. XIX, 30. tri tuo in summa obtulisti, dicens : *Consummatum est.* Benedictum sit, Domine, ex hoc nomen tuum sanctum, quia ad hoc consummasti, ut nos simus in bono consummati, et inimici nostri consumpti. Rogo ergo te humiliter, da mihi mandata tua perficere, in eis usque in finem perseverare, quotidie in tuis sacratissimis virtutibus proficere, omniaque bene acta et agenda ad tuam laudem ordinare et consummare : consummata vero tibi, et per te Deo Patri offerre, ut in hora mortis meæ merear dicere : En, Domine Deus meus, opus quod præcepisti mihi ut facerem, perfectum est. Nunc venio ad te lætus salvatorem et redemptorem meum, ut videam te facie ad faciem, omnis consummationis scopum et finem. Amen.

Pro intentione simplici quolibet in opere.

Amantissime Domine Jesu Christe, obsecro te per amorem illum perfectissimum, quo salutem nostram zelando, ubique tam fideliter quam ferventer quæris : da mihi rectam, puram, simplicem ac deiformem in singulis intentionem, ut in quibuscumque agendis aut dimittendis, eligendis atque cavendis, et vivens et moriens non aliud quæram, non aliud intendam, quam pure gloriam et beneplacitum tuum. Da igitur mihi, fidelissime amator, ut ex toto corde meo desiderem, diligam et quæram nihil in tempore et æternitate, exstincto per gratiam tuam in me penitus omni privato amore, quam tuum honorem et gloriam. Amen.

Pro divini beneplaciti impletione, ad B. V. Mariam.

Excellentissimæ dignitatis Mater Dei Virgo Maria, obsecro te per singularem illam præeminentiam, qua cunctis cœlestibus spiritibus præstas, utpote gloriosissime super omnes Angelorum choros exaltata, cœlestium civium Regina constituta, summæ adorandæque Trinitati proxima, potentissima simul ac misericordissima, impetra mihi velle et perficere omne beneplacitum dilectissimi Filii tui, illucque ordinare omnes cogitatus, conatus et affectus cordis mei, ut voluntati ejus jugiter obediam, et ita placeam, ut post hanc vitam tecum æternam feliciter percipere merear. Amen.

Pro fidelitate et gratitudine, ad divam Virginem Mariam.

O abyssus omnium gratiarum et speculum omnium virtutum misericordissima atque dulcissima Domina mea sancta Maria, impetra mihi a Deo, cujus es Mater et filia, ut propter suam pietatem et tuam benignitatem auferat a me odibilem ingratitudinem, omnemque cordis duritiam : ut beneficia ejus, scilicet, creationis, redemptionis, misericordissimæ vocationis, protectionis, et cætera, cum summa animi gratitudine recolere valeam, ipsumque indesinenter laudem et honorem, ipsi cum castissimo cordis jubilo gratias agam, ipsum continenter cum profundissima humilitate, filiali timore, summaque reverentia magnificem et adorem, ipsiusque mandatis perfecte obtemperem. Rogo te præterea, o Mater suavissima, quæ revera meritis es potentissima, pietate affluentissima, miserationibusque exuberantissima, fac ut tuarum pariter in me misericordiarum et beneficiorum sine cessatione memor sim, tibique vel aliquam fidelitatis et amoris vicissitudinem, pro omnibus quæ hactenus mihi tribuisti, rependere non cessem : quatenus a tua et Filii tui Domini mei Jesu Christi gratia non excidam. Amen.

Pro Dei voluntatis agnitione, et vera animi resignatione

O Jesu clementissime, qui omnibus voluntatem Patris tui cœlestis perficientibus

Digitized by Google

divitias gloriæ tuæ atque regni tui immensos thesauros communicas, quique solem tuum super malos et bonos oriri facis, neque ulla apud te est personarum acceptio, sed in omnibus tibi complacet, qui te tuaque imitantur vestigia, seque ex toto corde ad te convertunt, ideo ex intimo fundo animæ meæ tuæ immensæ ac summæ supplico majestati, ut doceas me agnoscere in omnibus tam agendis, quam omittendis et tolerandis, voluntatem Patris tui cœlestis, ne tenebris ignorantiæ involutus, contra te tuaque præcepta quidquam illiciti agam. Obsecro quoque te per tuam incomprehensibilem bonitatem, ut veram atque integram mihi dones animi resignationem, quandoquidem nunquam sine hac vera potest vel consistere vel custodiri virtus. Oculos meos intellectuales lumine tuo divino illumina, ut omnia quæ mihi accidunt sive a mundo, sive a diabolo, sive a propria carnis corruptione de sola manu tua cum summa gratiarum actione accipiam, credens pro certo ea mihi a te transmissa aut ad exercitium, aut ad æternæ felicitatis augmentum. Quid enim, mi Domine, fons vitæ ac omnis boni scaturigo, hoc non crederem, cum certum est in nullo errare te posse? Tu nosti, dulcis Jesu, quid magis mihi expediat, dulcedo an amaritudo : ideo omnes causas meas tibi quam fidelissime commendo, hoc tantum rogans ; ut divina gratia tua me custodiat, ne impatientia aut aliis improbis motibus passionum te offendam. Infunde etiam mihi ad gratiæ tuæ custodiam æterni cruciatus timorem, hujus miserrimi exilii fastidium, atque cœlestis patriæ perfectum desiderium. Amen.

Pro plena suiipsius abnegatione, et animi resignatione.

Benignissime Domine Jesu Christe, in unione illius resignationis, qua teipsum Patri in omne ejus beneplacitum obtulisti, et hominibus etiam omnibus te subjecisti, offero et resigno me in omne beneplacitum tuum ad omnia tam tristia, quam læta. Fac tu me et mecum, quomodo tibi maxime placet. Hoc unum mihi, fidelissime Jesu mi, tribue, ut gratia, dignatio, ac amicitia tua, quibus licet indignissimus sim, exuberantissima, sempiterna, atque indeficiens in me sit et semper perseveret, qua roborante et impellente, mihiipsi et universo mundo moriar, tibi vero soli vivam.

Dulcis Jesu, fac ut omni amori privato, omni amori et affectui ad quascumque creaturas inordinato, cunctis vitiis et passionibus, omnibus delectationibus sensuum, omni superfluitati, omni proprietati, omni curiositati, et desideriis quibuscumque non puris, perfecte abrenuntiem et moriar.

Dulcis Jesu, per mortem tuam amarissimam te obsecro, da mihi omnibus desideriis et inclinationibus naturæ vitiosis, et quidquid in me est quo te non pure quæro aut intendo, perfecte mori, ut tu solus plene atque perfecte me possideas, nec aliud velle vel posse ego habeam extra te, sed anima mea in omnibus viribus et potentiis suis tibi sit maneatque unita, ut in me tu solus vivas et operaris, sicut in proprio instrumento. Misericordissime Jesu, hoc est quod ex abysso cordis mei desidero ac rogo, ut omnes vires et potentias animæ meæ, quidquid sum et possum, tu solus habeas, et per amoris incendium consumas, absorbeas, et in te transformes.

Pro perfecta sui abnegatione obtinenda, posset quis quasi ad numerum omnium membrorum et virium suarum, dicere ter centies et sexagies quinquies verbum, quo Christus in horto Patri suo se resignavit, videlicet : *Non mea, sed tua voluntas fiat, mi amantissime Jesu. Amen.*

Resignatio animi ad Dei Matrem Virginem Mariam.

O gloriosissima cœlorum Regina, dignissima Angelorum Domina, peccatorum

Digitized by Google

firmum refugium, mœstorum solatium, veniæ spes, et misericordiarum Mater, totum me tibi ad tuos mellifluos pedes resigno et offero, ut doceas me una cum benedictissimo Filio tuo omnia vota et debita mea, et quæcumque spectant ad vocationem meam diligentissime atque fidelissime persolvere, totumque tempus vitæ meæ in vita et Passione superbenedictissimi Filii tui ad gloriam et honorem tuum expendere. Amen.

Resignatio alia brevis ad eamdem.

Dulcissima Domina mea sancta Maria, tibi commendo et plene resigno corpus et animam meam, ut custodias et dirigas ea, sicut custodisti et direxisti corpus tuum virgineum et animam sanctissimam ad omnem virtutem, in laudem et beneplacitum omnipotentis Dei, præservans et cohibens me ab omni peccato. Amen.

Resignatio sui humillima ad Dei Matrem Virginem Mariam.

O Mater pientissima, o Virgo clementissima et omnium desolatorum afflictorumque consolatrix singularissima, misericordiæ Regina atque unica post Filium tuum animæ meæ spes. Ad te, o misericordissima, desolatus, afflictus, et malorum meorum pondere pressus, tanquam ad securissimum portum confugio, ad benedictissima virginalia pedum tuorum vestigia me prosterno, corpus et animam, velle et posse meum, omnesque vitæ meæ miserrimæ difficultates ac necessitates tibi resigno, offero atque commendo, et me totum cum humili subjectione maternæ custodiæ tuæ dedo, subdo, ac sine ulla retractione trado : eligens te præ omnibus, o benignissima, ego pauperculus et vilissimus peccator matrem meam : rogans proinde corde humili et animo contrito, toto corpore pedibus tuis sanctissimis provolutus, per viscera misericordiæ tuæ, per mansuetudinem virginei Cordis tui, sub quo novem mensibus requievit Jesus Christus Dei Filius, noli me a te repellere, noli a suavissimo tuo me alienare consortio, noli, inquam, a pedum tuorum sacris vestigiis me amovere, sed propter eum qui ante te nudus et expansis pro me pependit manibus, totus dissectus et dilaceratus in Cruce, me suscipito, et cum dilectis tuis filiis et discipulis dirigito ac custodito. Amen.

Pro crucifixi Christi conformatione et perseverantia, precatio.

O Jesu Christe, rex summe amabilis, corona confitentium, fortitudo pugnantium, atque civium cœlestium perfecta beatitudo, memento, oro, mei, et verbi tui quod locutus es, per quod mihi spem dedisti, illius, dico, jucundissimæ promissionis, qua dixisti : *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* O amabilissime Domine, si cœlum et terra transibunt, verba autem tua in æternum permanent, firmentur nunc verba tua super servo tuo. Ecce sto in conspectu tuo, qui omnium tibi sum causa pœnarum, vilis peccator, cinis et exiguus pulvis, attamen creatura tua et plasma tuum. En non solum exaltatus, sed ab omnibus etiam derelictus fuisti, insuper ita distentus, dilaceratus, et excruciatus, ut vix potueris respirare. Trahe ergo me nunc ad te, quatenus de reliquo non mihi, sed soli tibi vivam. Occide veterem in me hominem cum vitiis et concupiscentiis suis, et quidquid in me latet quod gratiæ tuæ obstaculum parare possit, et indue me novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis, ut sicut tu omnia sanctissima tua membra pro me in Cruce extendere non es dedignatus, ita posthac ad tui dulcissimi nominis honorem omnia mea dilatem membra et viscera, atque ad tuos suavissimos aspirem, anhelem, et æstuem amplexus, neque quoad vivam, hanc ad quam gratiose me vocasti conversa-

Joann. XII, 12.

Digitized by Google

tionem commutem aut dimittam, sed in finem usque fideliter in ea perseverem, hoc mihi præstante gratia tua. Amen.

Pro vera simplicitate et vitæ innocentia.

Jesu Christe dulcissime, amabilissime, innocentissime atque simplicissime, rogo te omnium creaturarum indignissimus per calidissimas infantiæ tuæ lacrymas, teneraque tua membra, absterge omnes animæ meæ sordes, et restitue mihi jamdiu amissam pristinam vitæ innocentiam et simplicitatem, quatenus consors fieri merear tuæ gloriæ, qui particeps es factus infirmitatis et miseriæ meæ. Et qui puer natus et datus es nobis, miserere, obsecro, nobis, et solve maledictionem in qua natus sum filius iræ, et da benedictionem tuam, per quam renascar filius gratiæ et æternæ gloriæ, ut te jugiter cum omnibus sanctis tuis pro inenarrabilibus tuis beneficiis collaudem hic in tempore, et post hac in æterna felicitate. Amen.

Pro puritate et simplicitate cordis.

Jesu Christe splendor Patris, candor Lucis æternæ, et speculum sine macula, per incomprehensibilem divinitatis tuæ majestatem obsecro te, da mihi castitatem corporis, munditiam cordis, simplicitatem spiritus, et sincerissimam puritatem mentis. Dulcis Jesu, omnia vitia, omnes inordinatos motus et passiones mortifica in me. Quidquid illicitum, quidquid inordinatum est, quidquid tibi displicet aufer a me, et da mihi cor rectum, simplex, purum, deiforme, secundum Cor tuum. Libera et custodi me ab omni peccato. Omnia membra mea, sensus, animæ potentias, et quidquid sum; hæc omnia reformanda, custodienda, regenda atque possidenda offero tibi, benignissime Jesu, custodique me ab omni opere illicito, ab omni verbo otioso, ab omni cogitatione vitiosa, vana aut superba, ab omni motu inordinato, ab omni affectione non casta, aut abs te aliena, ab omnique intentione impura, ut te solum pure quæram, in te solo requiescam. Domine Deus meus, fac ut nihil me afficiat, nihil me delectet, nihil mihi placeat, nisi tu, et ego tibi soli placere cupiam, tibique soli inhæream. Amen.

Pro puritate animi.

Domine Jesu Christe, puritatis et innocentiæ ardentissime amator, qui mei amore splendidissimam ac roseam faciem tuam sputis atque putentibus phlegmatibus voluisti inquinari et fœdari, multisque injuriis et blasphemiis affici, quo faciem animæ meæ peccatorum fuligine obductam expurgares et renovares, concede, obsecro, mihi gratiam tuam, ne unquam eamdem sordidis cogitationibus, impuris affectionibus, aut illicitis operibus et obscenis verbis commaculem : sed integram, omnisque maculæ expertem jugiter tibi custodiam, atque in puritate simplicitateque cordis omne tempus meum posthac transigam, omnibusque quibuscum vivo bonum conversandi exemplum tradam, et post me relinquam.

Imprime quoque et renova in anima mea clarissimam et splendidissimam faciem tuam, quoties contigerit me a te per carnis infirmitatem, aut aliam ob causam, averti, ne cæcitate percussus tui ignorantiam incurram, ut hic dulci tua familiaritate privatus, postmodum cœlesti tua gloria destituar. Amen.

Pro cordis stabilitate et nuditate.

Quæso te, benignissime Jesu, da mihi cor stabile quod nulla a te abstrahat evagatio : da rectum, quod nulla obliquet sinistra intentio : da simplex, quod nulla distrahat curiosa cogitatio : da nudum, quod nulla occupet formarum aut rerum sensibilium imaginatio : da castum atque fervidum, quod indigna nulla tangat affectio.

Digitized by Google

Dulcis Jesu, da mihi cor mundum ac novum, da mihi cor secundum Cor tuum, quod tibi perfectissime ac semper placeat, quodque semper inhabitare te delectet. Dulcis Jesu, si non vis reformare cor meum, tunc auferas a me et da mihi Cor tuum. Amen.

Pro devotione stabilitioneque cordis in laudibus Dei, ad B. V. Mariam.

O DIGNISSIMA Dei Genitrix Virgo Maria, propter Filii tui sanctissima vulnera, quæ animam tuam sanctissimam dissecuerunt, omnique dolore repleverunt, oro te humiliter, ut omnem levitatem cordis atque instabilitatem mentis longe a me profliges, ut sancta compunctione peccata mea incessanter deplorem, et ad æternam vitam, mundi contemptis voluptatibus et deliciis, ardentissimis desideriis aspirem.

Impetra etiam mihi, o pia Mater, in omni loco et tempore, præcipue autem in divinis laudibus, veram cordis devotionem, puritatem et munditiam, ut ea ad quæ ex Ordinis vel status mei obligatione teneor, devote, attente et reverenter in conspectu summæ majestatis Filii tui persolvam, ne aliquam Filio tuo aut tibi, o reverenda Mater, irreverentiam exhibeam, aut inimicis meis occasionem calumniandi me propter cordis vel sensuum dissolutionem, præstem. Amen.

Pro puritate et simplicitate cordis, ad eamdem.

O MARIS stella lucidissima, mœstorum consolatrix dulcissima, miserorum adjutrix potentissima, reorum advocata promptissima, desperatorum spes unica, Domina mea benignissima semper Virgo Maria, impetra mihi, obsecro, a dulci Filio tuo Domino meo Jesu Christo cor simplex, rectum et mundum, cor pium et humile, cor gemina charitate et omnigenis virtutum floribus exornatum, cor aptum et ad omnem divinam inspirationem recipiendam paratum. Amen.

Pro vera ad Deum conversione.

O JESU suavissime, qui omnibus a te aversis compendiosam ad te revertendi tradidisti semitam, dicens : *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum*, et per Prophetam tuum locutus es dicens : *Convertimini ad me in toto corde vestro,* doce me, obsecro, veram atque integram animi conversionem, quomodo instar parvulorum sine omni malitia ac cordis amaritudine vitam meam instituam, atque eorumdem simplicitatem, puritatem et innocentiam sectando, meam jamdudum amissam recuperem, animæque meæ vires in suam originem, hoc est, in te Deum meum referam, naturales meas passiones, sensus, et illicitos animi motus comprimam, jugiterque constringam. Quod, pie Deus, quam necessarium mihi sit, ipse cernis, quando tam faciliter et leviter per sensus a te defluo, multisque perplexitatibus et curis superfluis sæpe me involvo. Ah, revoca me, quæso, ad te, et erige cor meum pondere peccatorum pressum ad cœlestia, et abstrahe me ab omnibus quæ mundi sunt, jugo suavissimæ servitutis tuæ me subdendo, omnesque affectus et cordis mei desideria in Cor tuum divinissimum, omni virtutum odore respersum, totiusque divinitatis gazophylacium, rapiendo, atque in investigabili tuæ divinitatis abysso mentem meam absorbendo. Subharra me etiam in hac præsenti vita annulo gratiæ tuæ, et indissolubili charitatis tuæ vinculo me constringe, ne in æternum a te separer, et a cœlestibus tuis mansionibus, culpis meis et peccatis exigentibus, excludar. Amen.

Matth. XXIII, 3.

Joel II, 12.

Digitized by Google

SUSPIRIA MENTIS ET ASPIRATIONES AD DEUM,

SEU IGNITA QUÆDAM AMORIS JACULA, QUIBUS VELUTI AMANTIUM DUORUM MENTES, DEI SCILICET ET HOMINIS, VULNERANTUR UNIUNTURQUE

Quisquis charitatem Dei sine qua nulli unquam speranda est salus, citius obtinere desiderat, illi impendio necessarium est, ut ignitis et quasi continuis quibusdam assuescat aspirationibus, devotisque mentalibus orationibus, quibus mentem suam ad Deum elevet, et cuncta visibilia et caduca transcendere discat. Præterea ut quotidie ad minus unam horam capiat, in qua se et actus suos, omniaque sua interiora, motus, inclinationes et intentionem, solerti cura discutiat, diligenter attendendo in quem finem omnia sua peragat opera, an videlicet se magis quam Domini Dei sui honorem et gloriam quærat.

Si super omnia Deum suum magnificare et honorare desiderat, ipsiusque laudem ubique promovere conatur, bene se res habet. Sin minus, doleat necesse est, et convertat se ex imo cordis sui his vel similibus verbis ad Deum creatorem suum, orando ut ab omni proprio privatoque amore cor suum expurgare dignetur, verumque illi amorem infundere, quo nulli rei afficiatur, quam soli Deo suo.

Ad Patrem aspiratio supplex.

O PATER potentissime, ego creaturarum tuarum omnium novissimus, rogo te per summam potentiam, sapientiam ac bonitatem tuam, ut super omnia creata me subleves et in te stabilias, quatenus ex totis viribus animæ meæ te diligam, et perpetua charitate inseparabiliter in te fixus maneam. Amen.

Ad Filium aspiratio supplex.

O SEMPITERNA Dei Patris Virtus et Sapientia, Christe Jesu, per amorem illum fortissimum, quo ab æterno genus humanum dilexisti, te supplex oro, ut inexstinguibili tui charitate me repleas, accendas et inflammes, ut nunquam cogitem aliud quam te, nec in aliqua re quiescam nisi in te, Deus meus et Dominus meus. Amen.

Ad Spiritum Sanctum aspiratio supplex.

O ÆTERNA Dei Bonitas et Spiritus Sancte Deus meus, ignis inexstinguibilis et flamma amoris immensi, totum cor meum consume, omnemque amorem peregrinum procul a me repelle. O amor cœlestis dulcedinis, et dulcedo divini amoris, o amor non crucians, sed delectans; o amor semper ardens et nunquam deficiens, transforma me in te, accende me suavitate, dulcedine, jucunditate, exultatione concupiscentiaque tui, quæ semper est casta, munda et secura, quatenus te diligam ex toto corde meo, ex totisque medullis præcordiorum meorum. Amen.

Ad Filium Dei supplex aspiratio alia

O JESU suavissime ac præ filiis hominum speciosissime, utinam perfecte te desiderarem, et amore flagrantissimo te prosequi possem, qui omnino immensus, incircumscriptibilis et incapabilis es in teipso, qui ut me ad redamandum te induceres, tot mihi miseræ et deperditæ tuæ creaturæ amoris insignia declarasti, ut nullo modo ea enumerare possim. Amen.

Aspiratio alia ad Christum Jesum devota.

O JESU dulcissime Deus meus et Dominus meus, accende me igne ardentissimo

Digitized by Google

Sancti Spiritus, et reple me tui desiderio immenso, ut totus suavitate liquefiam ac pietate erga te fluam. Diligam te, obsecro, dulcissimum, pulcherrimum atque amabilissimum Deum meum, ex omnibus viribus meis, ex tota intentione cordis mei, cum multa contritione et lacrymarum fonte, cum multa humilitate et reverentia. Amen.

Aspiratio alia ad Jesum Christum ignita.

O Jesu unicum desiderium animæ meæ, mollifica cor meum durum, lapideum, saxeum et ferreum, tua sacratissima et potentissima unctione, ut omnis meditatio cordis mei semper in te tendat, ut mediter te per dies sine cessatione, sentiam te per soporem in nocte, alloquatur te spiritus meus, fabuleturque tecum mens mea jugiter. Amen.

Aspiratio alia ad Christum supplex.

O utinam, pie Domine, ex nimio tui desiderio totus hic mundus cum omnibus suis vanitatibus in me quandoque marcescant, et gravis illa concupiscentiarum desideriorumque carnalium sarcina quæ usque adeo spiritum meum ad terrena deprimit, in me allevietur quo expeditius post te in odore unguentorum tuorum cœlestium curram, et quandoque ad tuæ excellentissimæ majestatis beatificam visionem satiandus te duce atque auctore pertingam. Amen.

Alia aspiratio ad eumdem devota.

Benignissime, amantissime, charissime, potentissime, desiderantissime mi Jesu Christe, o utinam multitudinem dulcedinis tuæ atque eximiæ charitatis cordi meo infundas, ut nunquam carnale aut terrenum quid cogitem, sed te solum vitam animæ meæ amem, te solum in corde et ore meo circumferam. O Jesu fons omnis dulcoris divinique saporis, scribe digito tuo dulcem tui melliflui nominis memoriam in memoria mea, nulla unquam oblivione delendam. Exara in tabulis cordis mei voluntatem tuam, omnesque tuas institutiones, ut te immensæ majestatis Dominum, tuaque divina præcepta semper et ubique locorum habeam præ oculis. Amen.

Scintillæ animæ amantis Deum flammigeræ.

Deus meus, pulchritudo oculorum meorum, satietas cordis, numquid non sufficis amanti? Quid extra te evagamur? quid aliud quærimus? quid aliud desideramus?

Eia, quæso, vulnera animam meam, o speciosissime, o deliciosissime, vulnera animam meam amoris tui jaculo, imple omnia desideria mea, ut nihil me extra te delectet, nihil afficiat : te solum in omni creatura videam, ad te æstuantissimis desideriis semper anhelem, et castissimo amore te solum omni momento cogitem.

O Domine Jesu, incende cor meum tui amore sanctissimo ac fidelissimo.

O utinam amore tui ardeam, o utinam amore tui langueam!

O amantissime Jesu, da mihi continuum amoris tui incendium, trahe me post te, curram et non deficiam.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita, quæso, sitiat anima mea ad te, Deus meus.

Da mihi, benignissime Jesu, insatiabile et immensum desiderium tui, quod nulla creatura consolari possit.

O amabilissime Domine Jesu Christe, electissime sponse animæ meæ, obsecro te per Cor tuum lancea transfixum, et amore vulneratum, transfige, vulnera, perfunde et inflamma cor meum amoris tui incendio tam valido, ut ex toto corde meo hoc est, pleno desiderio, et perfecta voluntate te diligam, te quæram, te intendam in omnibus et super omnia.

Diligam te, Domine Deus meus, ex tota anima mea, ut omnes sensus meos in te convertam, et tibi soli intendam.

Diligam te ex tota mente, ut intellectum et memoriam meam in te solo, et ad gloriam tuam occupem, tibique soli inhæream.

Digitized by Google

Diligam te ex omnibus viribus meis, ut omnes illas et animæ et corporis in tui laudem, amorem, ac beneplacitum tuum expendam. Diligam te, Domine Deus meus, ut tu solus me totum possideas, ut me totum in te absorbeas atque transformes.

Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, da mihi toto corde, pleno desiderio, sitienti anima ad te aspirare, in te dulcissimo atque suavissimo respirare, ac totum spiritum meum et omnia interiora ad te, qui es vera beatitudo, semper anhelare.

Da mihi ut omnis creatura mihi vilescat, et nihil me afficiat, nihil mihi placeat nisi tu.

Dulcis Jesu, vulnera et accende cor meum tui amore castissimo.

Trahe omnia desideria mea post te, et te solum anima mea esuriat, sitiat, te solum concupiscat, ad te indesinenter suspiret et currat, tuique amore langueat, et mundana omnia fastidiat.

Dulcis Jesu, imple cor meum castissimis desideriis, quibus anima mea tui amore semper ardeat, et te semper cogitans præter te aliud nesciat.

O utinam tu solus cordi meo dulcescas, tu solus mihi placeas, suavissime Jesu.

Heu Domine Deus meus, quando perfecte diligam te? Quando constringam te dulciter, o vita mea, inter brachia animæ meæ?

Quando amplexabuntur te, o dulcissime amator, omnia desideria cordis mei?

O Domine Deus, utinam meipsum et universum mundum tui amore perfecte contemnam.

Utinam anima mea tui amore liquefiat. Utinam in te rapiatur et absorbeatur.

Suavissime et desiderabilissime, te solum desidero, te solum concupisco.

Redde te mihi, et posside me tibi. Atque utinam te solum vere et perfecte desiderem.

Quousque arida est anima mea, aquas sitiens alienas? Oh imple eam ardore æstuantissimæ charitatis, ut sitiat ad te, Domine Deus meus.

Amabilissime Jesu, utinam vero et perpetuo amplexu constringere te merear.

Dulcis et speciose, quam amabilis es, cur non amo te? Potesne hoc tu sustinere, benignissime Creator, quod aliqua creatura non diligat te? Quæso, suavissime Domine, in me hoc non sustineas, sed irrumpas in cor meum, et vim facias mihi, potentissime.

O violentiam suavissimam, quando vim patiar, Jesu bone, rapias tibi spiritum meum, et infunde mihi spiritum tuum.

Deus meus, quam bene mihi esset, si diligerem te. Et quantæ prudentiæ est amare te, quantæ suavitatis quiescere in te, quantæ utilitatis possidere te!

Dulcis Jesu, da mihi illas divitias, hoc est, teipsum, et in cæteris omnibus sim pauper. Fac me pauperem spiritu, ut non quæram aliud nisi te.

O adorande, colende, metuende, omnipotens sempiterne Deus, o amator ardentissime, o zelator fidelissime, quando redamabo te?

O quando me totum exibo, et totus in te introibo? Utinam meipsum totum relinquam, et in te me totum effundam.

Excita cor meum, Domine, ut requiram te; illumina cor meum, ut inveniam te: posside cor meum, ut requiescam in te, et obliviscar omnium quæ sunt extra te.

Nobilissime Jesu, quam pulcher, quam amabilis, quam speciosus, quam suavis es tu! Beati omnes qui diligunt te.

Benignissime et amabilissime Jesu, tu cordis mei thesaurus et unicum gaudium, da mihi ut medullitus exeam et relinquam meipsum, et æstuantissimis desideriis ad te semper aspirem.

O lumen verum, o vita indeficiens, o amor semper ardens, da mihi mundo et carni perfecte mori, et omnium rerum temporalium funditus oblivisci, ut pro illis neque gaudeam, neque doleam, neque aliud præter te amatorem meum sentiam.

Altissime, potentissime, pulcherrime, nobilissime, dulcissime, benignissime, amabilissime, desiderabilissime, suavissime

Digitized by Google

Domine, veni et visita me, et fac tibi cor meum secundum Cor tuum, ut maneas semper mecum.

Suscipe me tibi, et da te mihi. Fac me tibi indissolubili vinculo amoris colligari, ut neque mors, neque vita possint nos ad momentum separare.

Domine Jesu, fac me cognoscere vilitatem meam, et majestatem ac bonitatem tuam, ut inde in me crescat profundissima humilitas, et hinc accendatur perfectissima charitas.

Clementissime Jesu, cum tu aliud nihil imperas, et illud unum ego desidero, videlicet, diligere te ex toto corde meo, tibique placere in omnibus et super omnia : heu, cur hoc in me non impletur?

Amantissime Jesu, ego nihil boni desiderare, quanto minus agere possum, nisi quod gratia tua mihi desiderandum aut agendum inspiraverit : quod ergo inspiras, quod præcipis, quod laudas, infunde mihi, ut velim et perficiam.

Diligam igitur te, Domine Deus meus, ex omnibus medullis animæ meæ, et faciam omnem voluntatem et omne beneplacitum tuum, quia Deus meus es tu.

Eia, misericordissime Jesu, nunc eadem repeto : Noli mihi negare quod tu mandas, quod tibi acceptum, et mihi est desideratissimum, nec esset, nisi tu faceres desideratissimum.

Imple ergo cor meum perfectissima, ardentissima, fidelissima, atque perpetua charitate, ut quidquid sum et possum, et quæcumque intra et circa me sunt, colant, quærant, sitiant, diligant te, serviantque et placeant tibi perpetuo et perfectissime.

Domine Jesu Christe, ostende virtutem et potentiam tuam in me miserrimo peccatore, ostende quod major est bonitas tua, quam malitia mea.

Fac, ut qui hactenus a te totus aversus et frigidus fui, nunc convertar ad te totus et tui amoris flamma in te transformer accensus.

Deus meus, Creator meus, usquequo non cognosco te? Quamdiu lates, et non requiro te? Imo præsto es, et non invenio te. Tu salus mea unica es, et non quæro te.

Ergo amantissime fidelissimeque zelator, qui cum non essem diligebas me, et ut essem, tu fecisti me, da mihi ut desiderem te, sitiam te, quæram te, curram post te : non quiescam donec inveniam te, et præ amore tui, cætera omnia fastidiam extra te.

Aspirationes hæ sæpius sunt repetendæ. Si tibi illæ aut aliæ cordi fuerint, et ejusmodi ex animo desideraveris, non erunt otiosa desideria tua.

O benignissime Domine Jesu Christe, da mihi ut totus diligam te ferventissime. O fidelissime Domine Jesu Christe, da mihi ut sentiam quam immensa charitate nos dilexisti et diligis.

O dulcissime Domine Jesu Christe, quam libenter te amarem. Et quia ut hoc velim tu dedisti, da ergo ut diligam te ex toto corde meo, quia sine te nihil possum.

Dulcis Jesu, ignosce vilitati ac temeritati meæ quæ peto, et da quod rogo.

Fac me castissimo ardentissimoque tui amore igniri, in te rapi ac absorberi, ac omnium quæ extra te sunt oblivisci.

O amor cordis mei, da mihi ut moriar tui amore.

O amabilissime Jesu, da mihi amorem erga te fidelissimum, strenuissimum, castissimum atque purissimum, qui incessanter te sentiat, te laudet, tibi gratias agat, tibi obediat, tui honorem ardentissime sitiat, et totum se tibi impendat.

O Jesu pro me crucifixe, transforma, quæso, me in te, et fac ut clavis amoris inavertibiliter sim crucifixus in te.

Fac ut placeam tibi totus, semper et perfectissime. O Jesu amabilissime, o amator fidelissime, o amate deliciosissime, utinam totus tui amore merear inebriari.

O quando videbo te facie ad faciem? O utinam tui amore in te absorberi merear.

Utinam incendio amoris tui in te conflari, tibi uniri, et in te consumi merear!

Dulcis Jesu, age mecum, et fac me ita,

Digitized by Google

ut ultra nequeam te offendere, ut tibi ultra non possim displicere.

Desiderabilissime Jesu, da mihi desiderium tui, ut vivere sine te nequeam, et amore tui langueam : esuriat et sitiat ad te anima mea, vivat et subsistat in te solo anima mea. Requiescat in te uno mens mea.

Pie Jesu, imple me charitate tua et perfectissima humilitate. Sic tui amore semper perfectissimaque charitate ardeam, ut vilitatem meam simul attendere non desinam.

Ego peccator sum, tu Deus meus, tu mihi omnia es. In manus tuas commendo spiritum meum ac totum meipsum.

PRECATIONES PRO OMNI STATU SANCTÆ CATHOLICÆ ET APOSTOLICÆ ECCLESIÆ

Pro sanctis in mundo, precatio.

CLEMENTISSIME Domine Jesu Christe, omnes justos et amicos meos, *(si vis aliquos singulariter recolere, potes N. N.)* tibi in Cor tuum commendo. Fac ut in omni sanctitate per imitationem vitæ tuæ, atque in perpetua charitate ipsi in dies crescant. Eorum vero orationes, virtutes ac merita coram te mihi pauperi ac universo mundo subveniant. Amen.

Pro tribulatis.

DULCIS Jesu, omnes tentatos, tribulatos, miseros ac mœstos in Cor tuum, quæso, suscipias, ut in te confortati, extra te nec consolationem, nec aliud quidquam requirant, sed in te solo vivant, gaudeant et requiescant. Amen.

Pro defunctis.

FIDELISSIME ac piissime Jesu, ex vulneribus tuis, et ex misericordissimo Corde tuo omnibus fidelibus defunctis refrigerium largire. Amen.

Pro peccatoribus.

FIDELISSIME amator, omnes peccatores nos in Sanguine tuo emunda, et in gratia tua nos resuscita. Amen.

Pro seipso.

GLORIA et honor sit tibi Domine Deus meus. O misericordissime Domine Jesu, trahe me post te, ut inseparabiliter imitari merear vestigia vitæ ac Passionis tuæ. O Domine Deus meus, trahe me in te, ut aliud non sentiam quam te, ut aliud cogitare ac velle nequeam præter te. Amen.

Sero iturus ad requiem, lauda Deum pro omnibus in cœlo et in terra, eosque qui adhuc in mundo sunt, eidem commenda, dicens :

GRATIAS ago tibi, Jesu piissime, Domine Deus meus, pro immensa charitate, et pro omnibus beneficiis tuis, quæ tu universo mundo singulisque et Angelis et hominibus exhibuisti, a nobilissima omniumque dignissima creatura Matre tua, usque ad infimam ac omnium ingratissimam, hoc est, usque ad me vilem, vanum et terræ vermiculum. Neque enim sum dignus ut in conspectu tuo appaream, propter nimiam indignitatem, vilitatem et ingratitudinem meam.

Eia, benignissime Jesu, sis tu benedictus in æternum, qui hanc singularissimam Virginem ab æterno tibi in Matrem elegisti, ab omni peccato immaculatam ac totam pulchram præservasti, præparasti, præsignasti, omnium virtutum et gratiarum plenitudine exornasti : in ea concipi, ex ea nasci, et ejus lacte pasci voluisti, prædicationi, Passioni ac morti tuæ ipsam adesse, et nostræ redemptioni cooperari tribuisti; atque nunc in cœlis corpore et

Digitized by Google

anima assumptam, gloriosissimeque coronatam, eamdem nobis in advocatam, misericordiæ reginam atque matrem dedisti. Pro his sit tibi laus, honor et gloria sempiterna. Dulcissime Jesu, ejus Cor et merita pro me et universa Ecclesia tibi nunc offero, et per eamdem nos in Cor tuum piissimum commendo. Amen.

Ad beatissimam V. Mariam, precatio.

O CLEMENS, o pia, dulcis Maria, utinam ego totus tuus, et tu tota sis mea, me custodiens, gubernans, possidens, et ab omni peccato, ab omni malo, ab omni impedimento, ab omni quoque medio inter me et Deum me liberans atque præservans. Amen.

Pro Sanctis in cœlo Deum lauda, dicens :

BENEDICO te, amantissime Jesu Deus meus, pro omnibus gratiis ac donis, quæ Sanctis tuis in hac vita mortali olim, et nunc in gloria tecum constitutis contulisti : præcipue tamen his, quorum hodie est festivitas in cœlis, aut in Ecclesia memoria : et potissimum patronis meis, Barbaræ et Magdalenæ, et sanctis omnibus virginibus. Horum omnium orationes ac merita tibi pro me offero, et per illos me tibi nunc in Cor tuum piissimum commendo. O Sancti Dei omnes, intercedite pro me, et ad vos me trahite. Amen.

Pro justis in mundo constitutis, precatio.

ADORO, laudo et benedico te, piissime Domine Deus meus, pro donis, gratiis ac beneficiis omnibus, quæ N. et N. id est, huic et huic, et aliis omnibus electis ac dilectis tuis amicis in mundo adhuc constitutis, contulisti. Horum preces ac merita tibi pro me nunc offero et me per illos in Cor tuum tibi commendo.

Oro quoque immensam bonitatem tuam, Deus meus, ut tu illos semper in gratia tua custodias, provehas, dirigas, et omnia eis bona ac dona tua augeas atque multiplices ad gloriam tuam. Amen.

Pro peccatoribus et seipso.

ADORO, laudo et benedico te, misericordissime Deus meus, et gratias tibi ago pro immensa clementia et bonitate tua infinita, qua nos miseros peccatores, ingratos, atque adeo vita ipsa indignos, misericorditer non solum sustines, sed etiam parcis et benefacis nobis. Vincat igitur tandem, o Deus meus, vincat quæso, malitiam nostram bonitas tua, emolliat duritiam nostram pietas tua, inflammet congelata corda nostra ardentissima charitas tua, ut ex vasis iræ mutemur in vasa misericordiæ, et ab omnibus peccatis liberati, tanto efficiamur in amando te ferventiores, quanto hactenus fuimus frigidiores.

Dulcis Jesu, da nobis post te currere, et imitari vestigia vitæ et Passionis tuæ, ut devotionis in nobis magnitudo compenset nostræ conversionis tarditatem, et inde magis puri ac sitibundi te quæramus, quo diutius ac gravius te contempsimus fontem æternæ vitæ. Da nobis ut toto corde ad te conversi, et in gratia tua confirmati laudemus te redemptorem et salvatorem nostrum in æternum. Amen.

Pro commissis ac commendatis.

ORO autem te, o Bonitas infinita, præcipue pro meipso omnium miserrimo atque vilissimo, qui gratiæ tuæ auxilio præ cæteris tanto magis egeo, quanto infirmior, et ad omne bonum impotentior sum. Scis tu, benignissime Deus, quam nihil et inutilis sum, et gratiam tuam in me et in aliis impedio atque evacuo. Quapropter, o omnium liberalissime atque piissime Domine, supplex te oro pro omnibus mihi commissis ac commendatis. Hæc enim omnia, id est, animas et corpora et quæcumque mihi commendata sunt, tibi iterum commendo, et in Cor tuum, dulcissime Jesu, eadem abscondo atque immergo.

Digitized by Google

Tu, quæso, cuncta regas, protegas, custodias et salves juxta beneplacitum tuum, ad gloriam tuam sempiternam. Domine Deus meus, pro hoc loco et hujus loci habitatoribus obsecro te per effusionem Sanguinis tui, et per omnium miserationum tuarum abyssum, ut super nos omnes abundet confirmeturque gratia tua, et nemo ex nobis pereat. Tu vero et spiritualia et temporalia nobis secundum beneplacitum tuum largiaris, nosque et illa administres et dirigas, ut cultus tuus animarumque salus hic semper vigeat, crescat perseveretque in æternum.

Dulcissime Jesu, fidelissime amator, res hominesque ac omnia hujus monasterii et omnium mihi commissorum iterum tibi in Cor tuum offero ac commendo, quia tu ab æterno scivisti quod ego nihil sum, et necesse est ut tu ipse illa custodias, regas nosque possideas. Hoc modo etiam tibi commendo omnes qui a me petunt orationes. Tu misericordissime, qui dives es in omnibus, juxta fidem illorum et pro misericordia tua glorifica nomen tuum, et facias illis non juxta vilitatem et demerita mea, sed secundum bonitatem tuam. Amen.

Pro confœderatis.

Omnes, piissime Jesu, qui mihi propter te confœderati atque uniti sunt, tibi offero: tu, quæso, tibi eos confœdera, ut omnes tecum unum simus. Amen.

Pro benefactoribus.

Omnibus mihi benefacientibus atque faventibus, tu clementissime Domine, pro me teipsum retribuas, quia melius nec ego petere, nec tu dare potes nobis, quam teipsum, suavissima atque æterna Bonitas. Amen.

Pro tentatis ac afflictis.

Omnes tentatos, desolatos, afflictos ac mœstos, misericordissime Jesu, pro infinita pietate tua consolare, juxta eorum utilitatem et tuam voluntatem. Esto memor quia te solum habemus, Domine, ad quem securi confugiamus in omnibus necessitatibus nostris. Absit igitur a tua bonitate, ut tu repellas nos, qui es Deus noster, refugium nostrum et virtus in omni tribulatione. Amen.

Pro fidelibus defunctis.

Memor esto, benignissime Deus, misericordiarum tuarum, quæ a seculo sunt, et fidelibus omnibus defunctis da refrigerium et requiem sempiternam. Descendat, piissime Jesu, Sanguinis tui rosei ac calidi effusio in purgatorio, et recreet refrigeretque omnes ibi captivos ac patientes: libera eos, Domine Deus noster, ex omnibus angustiis eorum. Domine Jesu, ego do illis mortem tuam et Sanguinem tuum. Quomodo enim aliter possum illis succurrere aut mederi? Largire tu, ut horum virtute liberentur. Amen.

Quando pro aliquo aut pro te etiam ipso orare desideras.

Domine Jesu Christe clementissime, illustra cor N. gratia tua, consolare et imple cor ejus ardentissima charitate, ut honorem tuum, beneplacitum tuum ac teipsum solum ex toto corde suo quærat ac diligat, et seipsum tibi funditus relinquat ac resignet, omnique tempore in oculis tuis inveniatur secundum beneplacitum tuum. Amen.

Pro parentum, consanguineorum amicorumque vita, correctione et salute.

Rogo te, o clementissime Jesu, per sanctam Incarnationem, Passionem et mortem tuam, et per omnia quæ ab initio usque ad finem vitæ sustinuisti, miserere parentum, fratrum, sororum, amicorum benefactorumque meorum et eorum omnium qui mihi occasio aut subsidium fue-

Digitized by Google

runt ad hunc statum perveniendi. Et dignare in nobis corrigere quæ tibi displicent, largirique quæ tibi placent, ut nunc gratia tua digni reddamur, et posthac tecum sine fine lætemur. Amen.

Pro afflictorum desolatorumque sublevamine.

Rogo te, o dulcedo cordium et tribulatorum summum refugium, Christe Jesu, ut per merita omnium anxietatum et angustiarum piissimi Cordis tui, omnibus afflictis, tentatis ac desolatis subvenire digneris, eosque ab omnibus malis atque periculis tam corporis quam animæ eripere, gratiamque tuam in ipsorum cordibus augere, ac ad æternæ felicitatis bravium perducere. Amen.

Pro Ecclesiæ catholicæ reformatione et errantium animarum revocatione ad viam veritatis.

O PASTOR bone et fidelis Christe Jesu, oves tuas ferocissimorum luporum dentibus raptas ad ovile tuum sanctam reduc Ecclesiam, et renova eos spiritu dulcedinis tuæ, ac omnium errorum totiusque perfidiæ et infidelitatis caliginem ab eorum cordis oculis deterge, quo vocem tuam agnoscant, teque in vera humilitate et ardentissima charitate sequantur.

Reforma quoque pristinæ charitatis et innocentiæ fervore Ecclesiam tuam sanctam, quam proprio Sanguine redemisti, ac de diabolica captivitate liberasti : maxime autem ecclesiasticos Ordines, oviumque tuarum Pastores et Prælatos, ut oves tuas viam veritatis edoceant, quæque ore docent, opere ipsi implere satagant. Tu enim, pie Domine, oculis tuis ipse cernis, ad quantam omnes nos miseriam et calamitatem dilapsi simus, sed non absque nostro demerito. Non enim injustus es, qui infers iram. Tibi, Domine, peccavimus. Tu patres nostri ad iracundiam concitaverunt, neque nos a via eorum recessimus, ut te ex toto perquireremus corde. Ideo satis juste invenerunt nos hæc omnia quæ patimur. Sed spero quod tandem misericordissimis tuæ pietatis oculis super nos respicies, qui non in finem irasci soles, sed juxta Prophetam tuum : *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Hac spe fretus, pro tua desolata Ecclesia, cujus et ego membrorum minimus sum, tibi supplico, te oro et obsecro, omniaque pietatis tuæ viscera precibus meis pulso, ut omnibus nobis, præcipue in necessitatibus et periculis variis constitutis, juxta solitam tuam benignitatem succurras, nosque protegas et gratia tua, sine qua nihil sumus, munias et defendas. Amen. *Habac.* III, 2.

Effusio cordis pro suiipsius, sibi commissorum, cunctorumque Christianorum conversione et correctioris vitæ prosecutione.

O MI dilectissime Domine Jesu Christe, obsecro te, ut amabilis et infinita bonitas tua omnia peccata mea propria dignetur remittere, et per amarissimam Passionem tuam delere, consumereque in immenso amoris tui incendio : et me miserum in gratiam et unionem tecum adeo intrahere et confortare per amorem, ut exiens ad proximos meos, omnium hominum et maxime mihi commissorum peccata in me suscipere, et continue deplangere et expiare valeam : ut tu in me, et ego in te manens, simul impleamus opus fraternæ charitatis. O misericordissime Domine, tuum ad omnes homines amorem extendo, et cum illo vias peccantium lugeo, et in illum omnium hominum, et singulariter mihi commissorum, crimina suscipio, et in abyssum misericordiæ tuæ projicio : obsecrans ut illis et mihi veræ contritionis et emendationis gratiam largiri digneris. O piissime Deus, confido immensæ bonitati tuæ, quod si ego solus omnium hominum peccata commisissem, et me cum illis perfecto ad te corde convertere et emendare vellem, mox ab omnibus peccatis me liberares, et in ardentissimi amoris tui

Digitized by Google

igne, velut modicam stuppam illa omnia concremares.

Hinc ad januam infinitæ misericordiæ tuæ veniens pulso, et obsecro pro gravissima inhonoratione et infinitis injuriis, offensis et blasphemiis, quæ tuæ dignissimæ majestati a me et aliis creaturis tuis vivis et defunctis irrogatæ sunt, et adhuc absque cessatione multum nimis irrogantur, ut propitiatus miserearis super omnibus malis istis, et respicias oculis clementiæ tuæ, quam gravi me sarcina miser oppressi hæc in me suscipiens, qui tam infelix et vitiosus sum in meipso. Verum quoniam te tam fidelem et clementem Patrem in meipso expertus sum, ut sitias etiam omnium hominum salutem : hinc te humiliter accedens rogare audeo, ut si miser ego, propriisque vitiis nimis onustus, tam mea, quam mihi specialiter commissorum, et omnium hominum peccata cum sanguine cordis mei emendare possem, etiamsi deberem millies mori omni hora, et omnium damnatorum pœnas cum gratia tua sustinere, quo illos tibi adducerem, ut tu in me et in illis quiescere valeres, ad quod nos omnes creasti, ad hoc me totum tibi offero et hilariter resigno.

Sed quoniam nihil sumus, nihil habemus, neque valemus absque te, obsecro te, clementissime Domine Deus noster, o summe sacerdos, qui temetipsum obtulisti Deo Patri pro nobis in odorem suavitatis, ut omnium nostrum miserearis, tua ardentissima charitate, vita, Passione et Sanguine pretiosissimo, universa nostra delicta deleas, neglecta nimis multa suppleas, impedimenta nos a tui accessu remorantia tollas, et nobis ut peccata nostra clara cognitione, amara contritione, vera confessione et integra satisfactione emendare, et tibi de cætero toto corde reconciliari, obedire, placere valeamus, concedas.

O Verbum æternum propter nos incarnatum et crucifixum, parce, quæso, ignosce et succurre plebi tuæ. Præveni, tange et converte corda nostra, quamvis excæcata et indurata, ut totis viribus quæramus te, et sapiamus quæ tua sunt : sicque unanimiter resistamus omnibus hostibus honoris tui et salutis nostræ, vivamusque de cætero juxta tuam voluntatem bonam, beneplacentem et perfectam, ut perfecta tibi charitate uniamur et adhæreamus, et nunquam amodo a te separemur. Amen.

Pro cunctorum Christi fidelium vitæ castigatione per septem extrema verba Christi in Cruce, precatio.

O DULCISSIME Domine Jesu Christe, obsecro te per amorem quo septem verba ultima in Cruce pro nostra salute dixisti, miserere miseris omnibus vivis et defunctis, et da nobis veniam et gratiam plenariam.

O piissime Jesu, qui dixisti : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt;* ignosce nobis et omnibus nos lædentibus, odientibus et persequentibus : similiter quos nos læsimus unquam aut offendimus.

Et qui dixisti : *Hodie mecum eris in paradiso* ; redde nobis et omnibus fautoribus, amicis et benefactoribus nostris propter nomen sanctum tuum vitam æternam.

Et qui dixisti : *Mulier, ecce filius tuus ;* miserere nobis et omnibus parentibus, Prælatis, fratribus, commissis et conjunctis nostris carnalibus et spiritualibus. Et commenda nos omnes fideli curæ piissimæ Matris tuæ in filios, nunc et in ultima angustia nostra.

Et qui dixisti : *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* miserere omnibus tentatis, afflictis, miseris, oppressis et desolatis hominibus, et libera nos omnes a malis.

Et qui dixisti : *Sitio ;* miserere nobis et omnibus peccatoribus, errabundis, excæcatis, induratis, et desperatis hominibus, quorum salutem tantopere sitiebas in Cruce, et converte nos omnes perfecte ad te.

Digitized by Google

Et qui dixisti : *Consummatum est;* confirma nos et omnes pios in bono quod habent, et fac illos in tua gratia continue proficere et perseverare, et supple omnia bona quæ hactenus negleximus.

Et qui dixisti : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum;* præveni tua gratia omnes nascituros. Præserva a lapsu juvenes. Da lapsis resipiscentiam et constantiam, senibus et morientibus contritionem et veniam, defunctisque requiem et pacem perpetuam : propter amorem qui te vitam viventium mori coegit pro omnibus istis redimendis, suscipe animas nostras egredientes in manus tuas, et merito tuo illis succurrente, protege illas ab insultibus omnium hostium suorum, et salva illas secundum infinitam misericordiam tuam. Amen.

Pro cunctorum Christi fidelium conversione et vitæ in melius castigatione, quam efficacissima precatio.

In spiritu humilitatis et in animo contrito, benignissime Domine Jesu Christe, coram abysso bonitatis tuæ ego miser peccator prosterno me cum abysso miseriæ meæ, me profunde contemnens et quasi annihilans meipsum, et omnia opera mea existimans quasi pannum menstruatæ : sed in tua misericordia, o Domine, respirans, qui adeo bonus es, ut nullum quantumvis enormem peccatorem, quoties ad te redire voluerit, repellas, venio ad te cum universis meis propriis, et mihi commissorum, omniumque hominum vivorum et defunctorum peccatis, criminibus, abominationibus, malitiis, nequitiis, delictis et negligentiis, quibus tuam bonitatem gravissime et multipliciter supra numerum arenæ maris, heu! per superbiam, invidiam, iram, acediam, avaritiam, gulam, luxuriam, et alia vitia, cogitatione, locutione, opere et omissione, nimis offendimus, inhonoravimus et blasphemavimus : obsecrans te per infinitam charitatem tuam, qua nostram humanam naturam, et causam nimis malam assumere dignatus es, et per merita precesque gloriosæ semper Virginis Mariæ, et omnium Sanctorum tuorum, ut nos omnes et singulos respicere digneris oculis misericordiæ tuæ, quibus respexisti Petrum in atrio, Mariam Magdalenam in convivio, et latronem in Crucis patibulo : et da nobis lucidam peccatorum nostrorum cognitionem, ferventem contritionem, claram confessionem, perfectam satisfactionem et vitæ emendationem. Ad quod obtinendum, da mihi, licet propriis peccatis nimium prægravato, omnia illorum peccata ex charitate libenter in me suscipere, toto corde continue deplorare, et sanguineis lacrymis, si possibile est, abluere, et si necesse fuerit, sanguinem quoque meum pro illorum expiatione effundere.

At, quoniam omnis nostra contritio et pœnitentia, sive quidquid facere possumus, non sufficit pro minimo etiam peccato expiando : imo sine gratia et Passionis tuæ merito nihil est, idcirco ad te venio cum tua amarissima, quam nobis usurpare permittis, contritione et pœnitentia, quam triginta tribus annis, nobis serviens, in paupertate, labore et comtemptu, in jejuniis, vigiliis et incommodis multis fecisti, et cum sanctissimæ animæ tuæ tristitiis, pressuris et anxietatibus mortis, cum tuæ ferventissimæ orationis et ignitorum desideriorum instantia, cum tuis calidis lacrymis et sanguinei sudoris guttis, cum tuis innumeris vulneribus et Sanguinis rivis, cum tua tota cruenta et doloribus repleta humanitate, et cum tua turpissima et amarissima morte, per hæc omnia obsecrans te, o misericordissime Domine Deus meus, ut vitia, impedimenta omnia nos a tuo accessu remorantia auferre, neglecta et imperfecta bona supplere, et peccata nostra et illorum omnia remittere, et in immenso amoris tui incendio consumere, meque et illos perfecta humilitate, abnegatione et patientia cæterisque gratiis et virtutibus tuis omnibus exornare, confortare, illuminare, accendere, et perfecta tecum charitate unire digneris. Amen.

Digitized by Google

Supplex per cuncta Christi Jesu humanitatis mysteria et insignia, pro omnibus Ecclesiæ statibus reformandis, precatio.

O DULCISSIME Domine Jesu Christe, per stupendam tuam charitatem, qua teipsum totum cum omnibus gratiis et meritis tuis in venerabili Sacramento Altaris nobis reliquisti, et per conversionem panis et vini quotidiano sacerdotum ministerio in Corpus et Sanguinem tuum, ignosce mihi et omnibus Christi fidelibus, omnem irreverentiam, contumeliam et proditionem, quam in eodem et aliis Sacramentis tuis, multo deterius quam Judas, indigne illa tractando et sumendo, heu, heu enormiter nimis tibi irrogavimus : et converte nos totos in summum amorem, laudem et beneplacitum tuum.

Per tuam miserabilem captivitatem et ligationem, absolve nos ab omnibus vinculis peccatorum et laqueis dæmonum.

Per omnes colaphos, alapas, ictus, trusiones, illusiones, consputiones, contumelias et blasphemias totius noctis, et profunditatem putentis limi, cui infixus et misere deformatus fuisti, extrahe nos a profundo barathro ignominiæ et turpitudinis nostræ.

Per tuas omnes occultas passiones et cruciatus, libera nos ab occultis peccatis nostris.

Per confusivam et dolorosam tui circumductionem de judice ad judicem, libera nos ab omni tentatione et accusatione dæmonum.

Per crudelissima flagellorum vulnera, castiga nos in hoc seculo, ita ut postea eruas nos a flagellis justitiæ tuæ.

Per tuos acerbos æstus et frigora congelationemque et tremorem omnium membrorum tuorum, mollifica et accende omnia dura et frigida corda nostra, et ablue illa in tuo calido Sanguine, et submerge in tuis profundis vulneribus.

Per infixionem spineæ coronæ in regale caput tuum, illumina et purifica quinque sensus nostros, et reforma in nobis imaginem SS. Trinitatis, et imprime nobis formam tuæ contritæ humanitatis.

Per injustum judicium, quod innocens passus es, factus opprobrium hominum et abjectio plebis, da nobis ita nosipsos et nullos alios judicare et contemnere, ut in extremo et districto judicio tuo te clementem ac misericordem habere judicem mereamur.

Per gravissimum pondus Crucis tibi impositum cum maximo dolore et labore, exonera nos a gravissimis sarcinis peccatorum nostrorum.

Per tui mœstissimum casum sub Cruce, et defectionem tristissimæ Matris tuæ, erige nos a ruina vitiorum nostrorum.

Per diram extractionem vestium tuarum, extrahe a nobis omnes imagines creaturarum, nostrasque proprietates et defectus quibus irretiti sumus, tuamque in nobis divinam operationem impedimus : et adorna animas nostras sanctissimis tuis virtutibus, quibus nobilissima tua anima est exornata.

Per lamentabilem tui sessionem super lapidem in frigido vento, accende frigida pectora nostra in amorem tui.

Per crudelem tui projectionem super Crucem et diram extensionem omnium membrorum tuorum, et per dirissimam manuum pedumque tuorum transfossionem ac affixionem in Cruce, omnium hominum corda tui amore transfode, a cunctisque vitiis expurga, inseparabiliterque in te confige atque unito.

Per erectionem tuæ crucifixæ humanitatis cum Cruce, et gravissimam pœnam membrorum tuorum quam sensisti, dum quam atrocissime ponderosissima Crux tua in lapidem excavatum cadere est permissa, imprime cordibus nostris tuam crucifixam imaginem et concute saxea pectora nostra ad pœnitentiam et tui compassionem, et reforma illa in te, et clarifica teipsum in eis, ut in spiritu nostro videre valeamus et cognoscere tuam fulgidissimam divinam essentiam in nobis latentem, et ut formam tuæ crucifixæ humanitatis semper nobiscum circumferamus

Digitized by Google

omnibus viribus et sensibus nostris infixam, in qua velut summatim tota vita et Passio tua comprehenditur. Et fac nos semper et ubique in mente nostra, intus in simplici veritate et indepicta nuditate, te quærere, invenire, frui et præsentem habere, in abyssali amore et essentiali unitate : sicque sentire in nostro spiritu, anima et corpore, quod in te fuit, Christe Jesu rex benedicte.

Per amorem quo Patrem pro inimicis tuis rogasti, converte misericordes oculos tuos ad nos miseros peccatores, qui te altera vice, imo millies millies, iniquis cogitatibus, verbis, operibus et sceleribus crucifiximus. Et suscipe nos cum pœnitente latrone, et aperi nobis paradisum gratiæ tuæ, et fac nos totos transire in te, et per te in fundum et regnum animæ nostræ ad Patrem, et in ipso splendidam Deitatem tuam contemplari. In quo quidem fundo teipsum, ut ita dixerim, cœlesti et univisti, a quo nunquam nec vis nec potes separari. Fac, inquam, in eo nos te sentire, et agnoscere te nostram nobilem originem in nobis latere, ex qua manavimus omnes, et in eamdem nos divinam originem refluere, fierique unum tecum spiritum ex gratia in intima essentia animæ nostræ, quam ut in nobis invenire et intrare possemus, depulsa virium nostrarum cæcitate, qua nobis diabolus viam intus ad te accedendi per culpam præclusit, tibique ibidem uniri, de cœlo descendere, et amarissimam mortem perpeti es dignatus. Sed væ, væ omnibus qui tantam negligunt salutem, teque in seipsis captivum et ligatum detinent, conspuunt, flagellant et crucifigunt peccatis suis : sicque apertis oculis ad infernum currunt, seque proprio judicio condemnant antequam a te condemnentur. Per amorem quo sanctissimam Matrem tuam in maxima tristitia et dolore propter nos reliquisti, commenda illius maternæ pietati et fidelissimæ tutelæ peccatrices animas nostras tibi desponsatas, quæ te in maximis pœnis derelicto et contempto, heu pessimo amatori diabolo turpiter adhæserunt, fidefragæ et adulteræ vilissimæ factæ. Quas tamen quia expansis brachiis, lacerato corpore et aperto Corde ad te revocare non desinis, in Cor tuum dulcissimum offero, ut illas benigne suscipere, ab omnibus sordibus in Sanguine tuo lavare, et cœlesti Patri tuo reconciliare et unire digneris, qui propter illas sanandas in tantis pœnis et angustiis foris et intus es derelictus, ut nunquam fuerit homo tam misere derelictus : in qua tamen derelictione semper permanere paratus eras, si opus fuisset pro salute nostra.

Per asperrimam sitim tuam, in qua pro salute animarum nobilem naturam tuam felle et aceto amaricari permisisti, exstingue in nobis omnem sitim mundani amoris, et aperi in nobis venam vitæ, et pota nos vino gratiæ tuæ, ut post te jugiter ignitis desideriis currere non cessemus.

Per amorem, quo omnia redemptioni nostræ necessaria fidelissime consummasti, et voce magna clamans, dixisti : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum :* sicque expirasti, dirissima morte pro nobis miseris peccatoribus redimendis voluntarie occumbens : fac nos omnibus vitiis et peccatis nostris funditus emori, tibique soli vivere atque tuæ amarissimæ mortis memoriam omni in loco ac tempore in cordibus nostris circumferre.

Per amorem, qui te vivificatorem omnium creaturarum mori coegit, et ob honorem pretiosissimæ mortis tuæ, toto corde et corpore prostratus, obsecro te, dulcissime Domine Jesu Christe, ut mortifices in animabus nostris et omnium hominum, universa vitia et impedimenta quæ tibi displicent, et adjuves nos, ne tantus amor in nobis miseris frustretur.

Per amorem quo ad carcerem infernalem descendere dignatus es, frange vincula omnis pravæ consuetudinis in nobis, et illumina tenebras cæcitatis nostræ, et omnium fidelium defunctorum piissime miserere.

Per tuum transfixum Cor, transfige,

Digitized by Google

amantissime Domine Jesu Christe, corda nostra jaculis amoris tui, et introduc nos intus ad Patrem tuum.

Per sanctam sepulturam tuam, fac nos totos mundo mortuos et sepultos, in te solo vivere et abscondi.

Per gloriosam Resurrectionem tuam, fac nos a vitiis perfecte resurgere, et in novitate vitæ ambulare.

Per admirabilem Ascensionem tuam, fac nos a terrenis expeditos, ardentibus suspiriis te caput nostrum sequi ad cœlestia, et per virtutum exercitia regnum animæ nostræ tecum incolere, quod nobis restituisti.

Per conversionem omnium pœnarum et contumeliarum tuarum in gloriam, o misericordissime Domine, qui animarum vita es, conserva teipsum in eis, et permitte divinitatem tuam radiare in illis, et expelle ex eis quidquid te impedit ne possis in illis gratiose habitare. O amabilis Pater, memento quod omnes homines ab æterno fuerunt in te increati, et nunc quando illos creasti, imaginem supersanctissimæ Trinitatis illis impressisti et univisti, replestique eos teipso toto, qui principium ipsorum es, unde emanaverunt, sine quo fèliciter vivere nequeunt.

Per omnem hanc bonitatem et fidelitatem tuam, obsecro te, piissime Deus, ut omnia nostra et ipsorum peccata remittere et delere digneris ex memoria tua, et abscindere ex cordibus illorum, ipsosque in te regenerare per Passionem tuam, abluere in fonte pretiosi Sanguinis tui, omnem spiritualem languorem sanare, obtenebratam conscientiam illuminare, indurata corda frangere, cor mundum illis reddere, et spiritum rectum in visceribus eorum innovare.

Expelle omnes errores a cordibus illorum, et doce eos omnem veritatem, et fac nos in lumine tuo ambulare, in semitis tuis currere, ascendere per scalam humanitatis tuæ ad te, in te intrare, et tecum uniri.

Congrega, bone Pastor, oves tuas, ex omni gente et terra, in quas dispersæ sunt, et reduc eas in terram suam, quæ tu ipse es. Effunde pluviam miserationum tuarum super illas, et ablue omnia inquinamenta ipsarum, et fac eas cum gaudio redire in Sion, et aperi in animabus ipsarum fontem gratiæ, unde haurire possint aquam vivam in ipso fundo bonitatis tuæ in ipsis latentem, teque in æternum laudare.

O dulcissime Domine Jesu Christe, require tu ipse perditas oviculas tuas, et visita eas sicut pastor oves suas visitat. Collige illas in ulnas tuas et leva eas in sinum tuum, pasceque illas ex intimis misericordiæ tuæ. Quod infirmum est sana, et quod confractum est consolida, et quod forte est confirma. *Ezech.* XXXIV, 11. *Ibid.* 16.

O amabilis Domine, dignare eas salvare, defendere et custodire intra extensa brachia tua a morsibus luporum infernalium, et duc eas ad pascua æternæ beatitudinis tuæ. Qui vivis et regnas, etc. Amen.

Digitized by Google

PARS QUINTA

COMPLECTENS IN SE EXERCITIA PIISSIMA, NON MODO RELIGIOSIS, VERUM CUNCTIS FIDELIBUS NECESSARIA, QUIBUS SPIRITUS NOSTER IN SEIPSUM COLLIGI ET TRANSFORMARI IN DEUM POSSIT.

EXERCITIUM AD PIISSIMUM ET FIDELISSIMUM COR DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI

Ad venerationem Cordis piissimi Domini nostri Jesu Christi, amore ac misericordia exuberantissimi, studeas teipsum excitare, ac sedula devotione ipsum frequentare, illud osculando et mente introeundo. Per ipsum petenda petas, et exercitia tua offeras, quia charismatum omnium est apotheca et ostium, per quod nos ad Deum, et ipse ad nos accedit.

Itaque figuram aliquam Dominici Cordis aut quinque vulnerum aut cruentati Jesu, vulneribus ac livore saucii, ponas in loco aliquo, quem sæpius transire habeas, qua sæpius exercitii tui et amoris excitandi in Deum admonearis. Hanc intuens memor sis exilii, miseræque captivitatis in peccatis. Proinde gemebundis suspiriis desiderioque ferventi cor tuum erigas ad Deum, et mente duntaxat, sine strepitu oris, aut etiam verbis si hæc te juvant, ad illum clama: desiderans cor tuum mundari, atque cum Christi Corde, id est, cum divino beneplacito, tuam voluntatem uniri.

Posses etiam, urgente devotione interna, figuram hanc, id est, Cor Domini Jesu osculari, et animo tuo persuadere, quasi verum deificum Cor Domini Jesu sub labiis habeas deosculandum, in quod cor tuum imprimere gestias, atque spiritum tuum immergere absorberique desideres, videarisque tibi ex gratioso Corde ipsius attrahere in cor tuum spiritum ejus, gratiam quoque ejus et virtutes, ac prorsus quidquid fuerit ibi, quod mensuram excedit, salutare. His enim omnibus Cor Jesu exuberantissime scatet.

Expedit autem et valde pium est, Cor Domini Jesu devote honorare; ad quod in omni necessitate confugias, unde quoque consolationem et omne auxilium haurias. Nam ubi cunctorum te mortalium corda deseruerint, ubi imposuerint tibi, securus esto; hoc fidelissimum Cor te non decipiet, nec derelinquet.

Aspirationes ad Cor Domini Jesu ignitissimæ.

AH, Jesu dulcissime, utinam mundare, purificare expurgareque digneris cor meum ab omni iniquitate, vanitate et vilitate, replereque illud perfectissima atque ardentissima charitate. Amen.

O Jesu amabilissime, quando tolles a me cor meum fœdum, et dabis mihi Cor tuum? aut quando erit cor meum odore virtutum tuarum respersum, atque amore cœlestium totum succensum? Amen.

Ah, Jesu suavissime, conclude cor meum intra Cor tuum, ut illius tu solus sis inhabitator atque possessor, ut nobilitate Cordis tui cor meum nobilitetur et exornetur. Amen.

Utinam, piissime Jesu, ex benignissimo ac suavissimo Corde tuo hanc mihi infundas gratiam, ut omnia ex corde meo excludam, quæ divinam tuam operationem in anima mea vel impedire vel interturbare possunt. Amen.

Ah, misericordissime Domine Jesu Christe, utinam omnia vulnera saucii Cordis tui in corde meo inscribas, ut in eis jugiter amorem tui erga me immensum, et dolorem tuum vehementissimum legam. Amen.

Utinam, Domine Deus meus, vulnerum tuorum memoria in secreto cordis mei

Digitized by Google

semper permaneat, ut dolor Passionis tuæ quotidie in me excitetur, et ardor dilectionis tuæ in dies augeatur. Amen.

Ah, Domine Deus salvator et redemptor meus, aufer a me peccata mea et quidquid tibi displicet in me : quidquid vero tibi placet ex sanctissimo Corde tuo infunde mihi. Converte me et posside me totum in sanctissimum beneplacitum tuum, et in tui amorem. Amen.

Fac ut uniatur cor meum suavissimo Cordi tuo ; voluntas mea voluntati tuæ, ut nunquam aliud velim, nunquam aliter velle possim, quam tu vis et tibi placet. Diligam te, dulcis Jesu Deus meus, ex toto corde meo, in omnibus et super omnia, etc. Amen.

Precatio prima ad Cor Domini Jesu nobilissimum.

O Cor nobilissimum, piissimum atque suavissimum fidelissimi amatoris mei Jesu Christi, Dei et Domini mei, trahe atque absorbe, quæso, cor meum, omnes cogitatus et affectus meos, omnes denique vires animæ et corporis mei, et quidquid in me est, quidquid sum aut possum, in te, ad gloriam et sanctissimum beneplacitum tuum.

O misericordissime Domine Jesu Christe, in Cor tuum commendo atque resigno tibi meipsum totum. Oro te etiam, benignissime Deus, aufer a me cor meum pravum, impium ac ingratum, et da mihi deificum Cor tuum : aut fac cor meum secundum Cor tuum, et secundum perfectissimum beneplacitum tuum. Amen.

Precatio secunda ad Cor Domini Jesu vulneratum nostri amore.

Ah, Domine Jesu Christe, summa animæ meæ suavitas, aperi mihi ostium Cordis tui, portam misericordiæ, januam vitæ fontemque gratiæ tuæ, et attrahe cor meum per pretiosissimum vulnus lateris tui ad amantissimi Cordis tui arcanum, ut cor meum cum sanctissimo Corde tuo indissolubili dilectionis vinculo uniatur atque in te absorbeatur, quatenus tu in me, et ego in te habitem. O charitas ardens et nunquam deficiens, utinam illo igne, quem misisti in terras, et voluisti vehementer accendi, tam valide cor meum spurcitia ac ingluvie defœdatum inflammes, ut omnes mihi creaturæ insipidæ fiant.

Imprime, superdulcissime Jesu, cordi meo amplissimum, profundissimum, recentissimumque amoris tui vulnus, tanquam perpetuæ desponsationis arrham, ut tibi soli adhærere, nullumque præter te amatorem admittere, nec quidquam eorum, quæ tu odis, appetere possim : exhibeamque tibi, ut dignum est, perpetuam fidelitatem, castissimam quoque animæ et corporis, cum omni humilitate, puritatem : quatenus tibi castissimo et purissimo amatori cor meum semper sit pervium et apertum, sibiipsi vero et mundo alienum, diabolo clausum, et contra quæcumque tentamenta signo Crucis et vexillo Passionis tuæ undique præmunitum.

Transeat præterea, obsecro, militaris lancea Passionis tuæ incurabiliter per viscera animæ meæ, perfodiatque omnia interiora mea, ut ex hac salubri vulneratione perfectam sanitatem sortiri mereatur anima mea. Amen.

Precatio tertia ad Cor Domini Jesu, omni pietate et devotione referta.

Ah, Jesu dulcedo cordium, ne irascaris, quæsò, mihi peccatori, si iterum atque iterum te rogem, ut concludas omnes sensus, affectus, desideria, et adeo totum interiorem hominem meum intra sanctissimum vulnus Cordis tui, nec uspiam extra te me patiaris evagari, sed in meditatione benedictæ Passionis tuæ indesinenter occupari, eo quod magis id mihi necessarium sit quam cunctis creaturis tuis, qui toties tamque repetitis vicibus per diem, per sensus meos inordinatos me extroverto, tibi-

Digitized by Google

que intus in anima mea commorantem non intendo.

Obsecro etiam, ut omnia mea tua sint, et tua mea : ut benedicta Passio tua sit animæ meæ adoptio, Sanguinis tui pretiosi effusio sit mihi peccatorum ablutio : vulnera tua sint mihi habitaculum : Cor tuum sit mihi cœnaculum : vita tua mihi lectio : charitas tua sit mihi refectio : Crux tua sit mihi virtus in tentatione : dolor tuus sit mihi consolatio in tribulatione : mors tua sit mihi salus, vita indeficiens et sempiterna. Amen.

Precatio quarta ad B. V. Mariam cum Corde Jesu.

Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum. Ah, sancta Maria,utinam ejus gratia et tua semper sit mecum, et cor meum semper vobiscum. Benedicta tu in mulieribus. O piissima Mater Dei, fac me totum secundum beneplacitum Filii tui; atque utinam ego totus tuus, et tu tota mea sis. Et benedictus fructus ventris tui Jesus Christus, Deus meus pro me crucifixus et mortuus.

Eia, benignissime Jesu, benedictum sit etiam piissimum Cor tuum pro cunctis miserationibus ac beneficiis ad nos inde manantibus. Tibi sit laus, honor, gloria et gratiarum actio ex me et a singulis creaturis tuis, pro tua ad nos immensa charitate. Dulcis Jesu, miserere nostri, et præcipue mei miserrimi peccatoris, qui me omnium vilissimum atque tibi ingratissimum feci. Fac ut diligam te ex toto corde meo, atque ut placeam inhæreamque tibi totus perpetuo et inavertibiliter.

Ah, Dominus Deus meus. utinam vere ego sim totus tuus, et tu totus meus.

Hoc, qui sic oras, ita intellige: tunc es totus Dei, quando nihil in te est quod displicet Deo; tunc vero Deus est totus tuus, quando tu nihil amas, nihil desideras nisi Deum, quando nihil tibi placet extra Deum.

EXERCITIA PRECATIONESQUE

AD SACRATISSIMA QUINQUE VULNERA DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI,

JUXTA CUJUSQUE DEVOTIONEM ORDINATA, QUÆ MIRUM IN MODUM MENTEM HUMANAM EXPURGANT AC IN DEUM TRANSFORMANT

Ad vulnus dextri pedis Jesu, precatio.

Dulcissime Domine Jesu Christe, in hoc vulnere dextri pedis, peto ignoscas mihi quidquid cogitatione aut affectione prava contra te deliqui, suppleasque tuis sanctissimis meritis, quidquid boni cogitare aut amare debui et neglexi : et facias ut posthac te solum cogitem, te solum desiderem ; nihil mihi placeat, nihil me afficiat nisi tu, Domine Deus meus. Amen.

Ad sinistri pedis vulnus.

Dulcissime Domine Jesu Christe, in hoc vulnere sinistri pedis, quæso, ignoscas mihi quidquid sensuum meorum incontinentia ac abusu in te deliqui, et concludas omnes sensus meos intra te, ut velut mortuus mundo, nihil videam, nihil sentiam nisi te, Deum meum pro me crucifixum. Amen.

Ad vulnus dextræ manus.

Dulcissime Domine Jesu Christe, in hoc vulnere dextræ manus, quæso, ignoscas cunctis actibus meis, et operibus malis ac vitiosis, quibuscumque benignitatem tuam unquam offendi, et suppleas tuis operibus præclarissimis, atque sanctissimis, quidquid unquam ego, quod facere debui, ne-

Digitized by Google

glexi: et facias ut posthac per gratiam tuam emundatus a peccatis, vitæ tuæ sanctissimæ per devotissimam imitationem merear conformari. Amen.

Ad vulnus sinistræ manus.

Dulcissime Domine Jesu Christe, in hoc vulnere, quæso, ignoscat omni impatientiæ atque immortificationi meæ, quomodocumque per eadem deliqui, et mihi propines ex hoc vulnere mitissimam patientiam in omnibus adversis. Tibi enim hic offero et commendo et me et omnia mea, tam lœta quam adversa. Amen.

Ad vulnus amantissimi Cordis Domini nostri Jesu Christi.

O dulcissime Domine Jesu Christe, in hoc vulnere, quæso, ignoscas mihi quidquid voluntate mala aut intentione non sincera contra te unquam deliqui, et offero tibi nunc cor meum, ut illud Cordi tuo unias, ut te solum in omnibus quæram et pure intendam, aliamque præter tuam voluntatem posthac nullam habeam. Amen.

Exercitium aliud ad eadem sacratissima quinque Christi vulnera.

Ad gloriosum vulnus dextri pedis.

Benedictum sit sacratissimum vulnus dextri pedis tui, Domine Jesu Christe. Rogo te, clementissime Jesu, ut in hoc vulnere tribuas mihi pauperi peccatori profundissimam ac perfectissimam humilitatem, cum desiderio propriæ annihilationis et despectionis: obedientiam cum plenissima resignatione et abnegatione meiipsius, castissimam puritatem cum simplicitate cordis. Amen.

Ad gloriosum vulnus sinistri pedis.

Benedictum sit sacratissimum vulnus sinistri pedis tui, dulcissime Domine Jesu Christe. Tribue, quæso, misericordissime Jesu, ex illo vulnere mihi miserrimo peccatori patientiam perfectam et veram, omnia gaudenter et desideranter pro tuo amore tolerare: fortitudinem, qua valeam omnia quæ tuo inimica sunt nomini, per te et in te superare: et constantiam, quatenus omni momento in gratia tua et virtutibus proficiens, æternaliter cum gratiarum actione et indeclinabiliter tecum valeam perseverare.

Providentiæ discretionique tuæ me, benignissime Jesu, commendo, quia ego me regere nec possum, nec scio, nec volo, sed tu et dilectissima Mater tua, et Angelus meus custodiat, regat et dirigat me in viam justitiæ. Amen.

Ad vulnus gloriosum dextræ manus.

Benedictum sit sanctissimum gloriosissimumque vulnus dextræ manus tuæ, Domine mi Jesu Christe. Obsecro te per omnes tuas pœnas et cruciatus, omnemque fructum sacratissimæ Passionis tuæ, ut in hoc vulnus immergas miseram fœdamque animam meam, et eam per tuum pretiosum Sanguinem lavare digneris a cunctis maculis omnium peccatorum meorum, præcipue quæ unquam admisi contra tuam paternam, Superiorumque meorum voluntatem: mihique infundere digneris gratiam simplicissimæ humillimæque obedientiæ. Amen.

Ad gloriosum manus sinistræ vulnus.

Benedictum sit sanctissimum vulnus sinistræ manus tuæ, amabilissime Domine mi Christe Jesu. Rogo te, misericordissime Jesu, ut in me omnia vitia, concupiscentias et malas affectiones occidas, et sanctissima vulnera Passionemque tuam cordi meo imprimas indelebiliter, et facias me ab omnibus mundanis ac extraneis consolationibus separari, et mihiipsi funditus mori, ut tuæ sanctissimæ vitæ et Passioni valeam conformari. Amen.

Digitized by Google

Ad vulnus gloriosum amantissimi Cordis Jesu.

Benedictum sit sanctissimum vulnus benedicti lateris tui, dulcissime Domine Jesu Christe. Suscipe, Domine Jesu, cor meum, omnes vires et potentias animæ meæ, et abstrahe eas ab omni affectu, et denuda ab omni specie aut cogitatione rerum temporalium, omniaque interiora mea in hoc reverendissimum vulnus, in plenitudinem charitatis, in fontem vitæ absorbe, et cum Corde tuo suavissimo inseparabiliter et inavertibiliter uni, quatenus nihil amodo facere, nihil velle, desiderare aut cogitare valeam, quod sit contra voluntatem tuam: sed solummodo plenissima et perfectissima meiipsius abnegatione tuam voluntatem in omnibus adimpleam, per spem firmam, fidem rectam, charitatem perfectissimam, tibi Deo et Creatori meo indissolubiliter connexus jugiter adhæream. Amen.

Alio adhuc modo Exercitium tibi occurrere potest, quod circa Rosarium vitæ et Passionis Christi jampridem edidimus, ut in dextri pedis vulnus recondas peccata tua, a quibus petas te emundari, liberari ac præservari. In sinistri pedis vulnus recondas negligentias et obligationes tuas, quas petas emendari et suppleri. In dextræ manus vulnus recondas omnes actus et conatus tuos, Dei gratia in te suscitatos, quos petas conservari et perfici. In vulnus sinistræ manus recondas omnia beneficia, gratias et dona tibi a Deo collata, petens ea confirmari et augeri ad Dei gloriam. In vulnus Cordis Jesu recondas cor tuum, et omnes potentias, vires, intentiones et affectus tuos, petens illa in Cor Christi absorberi, atque ejus spiritui uniri.

Exercitium aliud est ad vulnera Jesu, ut dextri pedis sit tibi balneum aut baptisma, quo munderis a peccatis: sinistri pedis sit valetudinarium seu apotheca, ubi a vitiis cureris: dexteræ manus sit tibi vestiarium quo virtutibus ac meritis Christi vestiaris: sinistræ manus sit tibi castrum ac propugnaculum, quo contra hostes malignos, et tentationes mundi ac carnis protegaris. Cordis vulnus sit tibi thalamus, quo sponso tuo Christo amore uniendus conjungaris.

In singula vulnera ingressus, facile tu ipse potes applicare et desideria et aspirationes tuas.

Habens exercitia prædicta ad Christi vulnera, posses etiam legere Rosarium B. Virginis, et singulas angelicas Salutationes per intentionem devotionis, singulis Christi vitæ articulis applicare, atque mente aspirando ad Christum pro illis gratias agere.

Articuli autem sunt quinquaginta vitæ ac Passionis Christi, quorum versus memoriales infra habentur in exercitio vitæ et Passionis Christi.

Exercitium aliud valde devotum in quinque vulnera Christi, et in quinque dolores piæ Matris ejus, ad SS. Trinitatem, quod solum sufficeret quotidie illud agenti.

Possent quoque haud incongrue singulis præmitti *Pater noster. Ave, Maria.*

Ad Patrem cœlestem oblatio Christi in Cruce pendentis.

Clementissime Pater, æterne Deus, pro omnibus peccatis meis, et pro peccatis totius mundi, offero tibi Unigenitum tuum in Cruce pendentem: omnem quoque Passionem, dolorem, angustiam, pressuram, Sanguinem ac mortem ejus offero tibi in ea charitate et virtute, qua olim semetipsum obtulit pro nobis in ara Crucis. In ejusdem oblationis unione offero meipsum tibi in laudem, in gloriam et in beneplacitum tuum sempiternum. Amen.

In vulnus dextræ manus Christi Jesu oblatio.

Pater noster. Ave, Maria.

Amantissime Pater, hoc vulnus, hunc Sanguinem, hunc laborem dexteræ Unigeniti tui, ejus amorem perfectissimamque obedientiam offero tibi contra omnia peccata mea et totius mundi: præcipue autem contra omnem inobedientiam et rebellionem meam, imo contra omnem propriam voluntatem meam, orans ut ex hoc vulnere mihi infundas perfectissimam obedientiam, qua vel nutum quemcumque beneplaciti tui tam promptus tamque obediens sequar, quam sequitur umbra ad motum corporis sui.

Digitized by Google

Da mihi ut etiam tui amore, et Filii tui imitatione, omni creaturæ meipsum humiliem atque subjiciam juxta beneplacitum tuum. Eia, benignissime Deus, da mihi abyssalem abnegationem meiipsius, tantamque, ut sine ullo respectu, sine ulla retractione cordis, fideliter meipsum totum tibi offeram, totum resignem, totum relinquam, nihil habens de ulla proprietate, sed tuum solum amans, quærens, faciens, suscipiens atque sustinens beneplacitum. Amen.

In vulnus sinistræ manus Jesu oblatio.

Pater noster. Ave, Maria.

Amantissime Pater, hoc vulnus, hunc dolorem sinistræ Unigeniti tui, ejus amorem ejusque perfectissimam humilitatem offero tibi contra omnia peccata mea, et totius mundi, et præcipue contra omnem superbiam, contra vanam gloriam omnem, et contra vitia quæcumque inde nascentia, orans ut per gratiam tuam hæc in me exstinguantur et moriantur.

Oro etiam, mitissime Deus, ut ex hoc vulnere mihi infundas profundissimam tibique acceptissimam humilitatem, qua vilitatem nihileitatemque meam prorsus omnem cognoscam, meipsum despiciam, et nesciri, vilipendi, atque ab omnibus sperni et cupiam et ex animo gaudeam. Amen.

In vulnus dextri pedis Jesu oblatio.

Pater noster. Ave, Maria.

Amantissime ac misericordissime Pater, hoc vulnus, hunc Sanguinem, hunc dolorem dextri pedis Unigeniti tui, ejus amorem, ejusque perfectissimam patientiam ac mititatem offero tibi contra omnia peccata mea et totius mundi, et præcipue contra omnem iracundiam atque impatientiam meam, orans ut ex hoc vulnere mihi infundas perfectissimam patientiam ac mititatem, qua adversa omnia desideranter atque hilariter de manu tua recipiam, nullam evasionem aut consolationem quæram; sed ad finem usque, quæcumque tu mihi patienda miseris, cum omni gratiarum actione sustineam, tibi soli perfectissima, sola, nuda ac purissima charitate inhæream, et plena perfectaque fide ac fiducia meipsum inter quoscumque eventus in amantissimam piissimamque voluntatem, bonitatem ac dilectionem tuam projiciam.

In hoc vulnere ponses Deo Patri gratias agere hoc modo pro tribulationibus.

Amantissime ac fidelissime Pater, ego pro cunctis atque quibuslibet adversitatibus, quas super me unquam venire permisisti, tibi gratias ago, teque laudo, adoro et benedico. Itaque benedico te pro paterno illo amore tuo, quo mihi patienda omnia in salutem convertis. Oro etiam te, dulcissime Pater, pro omnibus qui mihi adversa unquam intulerunt, aut nocere voluerunt, ut tu illis non solum ignoscas, sed etiam non imputes, imo quia fuerunt ministri æternæ dispensationis ac providentiæ tuæ, æternam illis mercedem tuæ beatitudinis conferas.

Præterea, veniam a te rogo et misericordiam, clementissime Pater, quod ea quæ mihi toleranda misisti, ingratus sæpe subterfugi, aut evadere quæsivi, aut non tam patienti atque hilari, sed tepido ac invito corde suscepi.

Porro nunc, benignissime Pater, offero me tibi ad quæcumque toleranda juxta sanctissimum beneplacitum tuum. Non possum, piissime Deus, satisfacere aut pati pro peccatis meis : sed pro iis omnibus tibi Passionem ac mortem offero Unigeniti tui. Verum pro gloria tua, pro beneplacito tuo, ut satisfiat justitiæ tuæ, et ex charitate offero meipsum tibi in manus tuas, obsecrans te per immensam bonitatem tuam, ut mecum agas, meque facias et agere et pati quomodocumque me velis esse, et tibi maxime placeat. Amen.

In vulnus sinistri pedis Jesu oblatio.

Pater noster. Ave, Maria.

Amantissime ac misericordissime Pater, hoc vulnus, hunc Sanguinem, hunc dolo-

Digitized by Google

rem sinistri pedis Unigeniti tui, ejus amorem ejusque perfectissimam ac clementissimam misericordiam offero tibi contra omnia peccata mea et totius mundi, et præcipue contra omnem duritiam, inclementiam atque invidiam meam, orans ut hoc vulnere mihi infundas misericordiam, pietatem, compassionem, benignitatem, mansuetudinem ac charitatem perfectissimam ad omnes homines, potissime autem ad eos qui me offenderunt, ut piissimo maternoque affectu omnium necessitatibus et mœrori condoleam, omnibus succurram, omnibus benefaciam, omnes portem, consoler ac ex animo diligam. Amen.

In vulnus Cordis Jesu oblatio.

Pater noster. Ave, Maria.

Amantissime ac suavissime Pater, hoc vulnus, hunc Sanguinem, hanc aquam Cordis Unigeniti tui, ejusque charitatem immensam, qua te ipse dilexit, offero tibi contra omnia peccata mea et totius mundi, et præcipue contra omnem acediam, teporem, negligentiam ac inordinatum amorem meum, orans ut ex hoc vulnere mihi infundas charitatem intensissimam, purissimam, ardentissimam, perfectissimam atque perpetuam, qua ex toto corde meo te diligam, laudem ac benedicam in omnibus et super omnia ut te solum cogitem, te solum desiderem, te solum quæram ac intendam, tibi soli inhæream, tibi soli placere cupiam, omnesque vires animæ et corporis, omne denique tempus vitæ meæ in laudem ac beneplacitum tuum, in amorem ac gloriam tuam expendam atque consumam. Amen.

Hoc exercitio expleto, accede ad Dominum Jesum crucifixum, et offer ei compassionem Matris pro tuis totiusque mundi peccatis. Ad singulas, si vis, poteris oblationes addere, *Pater noster. Ave, Maria.*

Ad Filium, oblatio pia.

Benignissime Jesu, quem pro nobis et propter nos charitas ardentissima erga nos Cruci affixit, suscipe nunc omnium vulnerum tuorum dolores sanguineasque guttas, suscipe pientissimæ Matris tuæ compassionem et dolorem pro peccatis meis, et pro peccatis universi mundi. Suscipe etiam, quæso, me indignum peccatorem, quem tibi offero in unione doloris Matris tuæ, et in unione charitatis tuæ, et converte me in laudes et gloriam tuam, juxta summum atque supremum beneplacitum tuum. Amen.

Primi doloris beatæ Mariæ oblatio.

Pater noster. Ave, Maria.

Benignissime ac suavissime Jesu, dolorem illum benedictæ ac compatientissimæ Matris tuæ, quo te nudum, pauperem, humiliatum atque despectum vidit in Cruce inter latrones pendentem, offero tibi pro me et pro toto mundo, obsecrans te per misericordiam tuam, ut Passionem tuam Matrisque tuæ compassionem simul imprimas cordi meo, adeo ut eisdem oculis cum Matre tua eodemque Corde, ubique ac semper videam et sentiam te patientem.

Dulcis Jesu, da mihi veram atque perfectam paupertatem spiritus, qua meipsum et omnia extra te contemnam, propter te omnibus creaturis libenter caream, et nihil nisi te aut propter te diligam. Amen.

Alterius doloris materni oblatio.

Pater noster. Ave, Maria.

Benignissime ac suavissime Jesu, dolorem illum benedictæ ac compatientissimæ Matris tuæ, quo te Filium suum olim speciosissimum vidit consputum, cruentatum, fœdatum, plagis ac vulneribus laceratum, non habentem speciem neque decorem offero tibi pro me et pro toto mundo, obsecrans te per misericordiam tuam, ut Passionem tuam Matrisque tuæ compassionem simul imprimas cordi meo, adeo ut eisdem oculis cum Matre tua eodemque Corde, ubique ac semper videam et sentiam te patientem.

Digitized by Google

Dulcis Jesu, da mihi castissimam puritatem, nuditatem ac simplicitatem cordis, qua tibi soli semper inhæream, et locum habitationis in me tibi gratum atque delectabilem semper præbeam. Amen.

Tertii doloris materni oblatio.

Pater noster. Ave, Maria.

Benignissime et suavissime Jesu, dolorem illum benedictæ ac compatientissimæ Matris tuæ, quo te vidit omnibus pœnis expositum, cum fragore ossium ac membrorum distentum, omni consolatione et auxilio destitutum ac derelictum, offero tibi pro me et pro toto mundo, obsecrans te, etc. *ut supra.*

Dulcis Jesu, da mihi mititatem, fortitudinem, atque constantiam spiritus, ut in omni tentatione ac adversitate ad te solum confugiam, omnem cogitatum, omnem spem atque fiduciam meam in te solum collocem, patientissimo ac resignatissimo corde me totum in te projiciam, tibique inseparabiliter inhæream. Amen.

Quarti doloris materni oblatio.

Pater noster. Ave, Maria.

Benignissime ac suavissime Jesu, dolorem illum benedictæ ac compatientissimæ Matris tuæ, quo te Filium suum, quem ubere olim virgineo lactaverat, audivit in aridissima siti, *Sitio,* clamantem, nec qui guttam aquæ ministraret habentem, offero tibi pro me et pro toto mundo, obsecrans te per, etc. *ut supra.*

Dulcis Jesu, da mihi omnem voluptatem carnis, omnemque delectationem sensuum in me funditus abdicare, et ardentissima siti honorem, gloriam, beneplacitum tuum, ac animarum salutem zelari, et pro illis corpus et vitam meam impendere. Amen.

Quinti doloris materni oblatio.

Pater noster. Ave, Maria.

Benignissime ac suavissime Jesu, dolorem illum benedictæ ac compatientissimæ Matris tuæ, quo te Filium suum unigenitum vidit in Cruce morientem, offero tibi pro me et universo mundo, obsecrans te per, etc. *ut supra.*

Dulcis Jesu, da mihi ut mundo, vitiis et concupiscentiis omnibus, mihiipsi et omnibus creaturis moriar, et tibi soli vivam. Dulcis Jesu, tu solus in me vivas, tu solus me totum possideas. Amen.

Ad Spiritum Sanctum supplicatio.

Hæc jungatur cum *Veni, Sancte Spiritus* aut *Veni, creator Spiritus,* et *Deus, qui corda fidelium,* si oratio te vocalis juvat.

Misericordissime, piissime, benignissime Deus, consolator et amator noster, sanctissime Spiritus Paraclete, ignosce et condona nobis peccata nostra. Exurat nos, illuminet nos, inflammet nos lux tuæ visitationis, ut ab omni peccato puri efficiamur et alieni. Imple et confirma nos septem donis tuis, inexstinguibilique gratia tua. Et hoc ipsum nunc operare in cordibus nostris, quod olim in vasis tuis electissimis, hoc est, in Apostolis tuis in die Pentecostes operari dignatus es, ut quidquid tu non es in nobis, pereat, et tui amor castissimus ac ferventissimus nos omnes inebriet, transformet atque in se absorbeat. Amen.

Conclusio hujus exercitii ad beatissimam Dei Matrem.

Ad pedes clementissimæ sanctitatis tuæ prostrati, rogamus te, o misericordissima, piissima et benignissima Dei Genitrix, Mater misericordiarum et gratiæ, esto nunc memor, o virgo sublimis, excellentissimæ dignitatis tuæ, qua propter peccatores Dei Mater, cœli porta, arca fœderis, arca diluvii, civitas refugii, templum Sancti Spiritus, misericordiæ Regina facta es. Suscipe igitur nos omnes peccatores et desolatos in gratiam, in amorem, in tutelam ac patrocinium Cordis tui, et fac nos in illorum esse numero, quos singulari gratia in Corde tuo habes dilectos, impignoratos ac tibi devotos. Infunde nobis, piissima, tui amorem castissimum atque ferventissi-

Digitized by Google

mum, omnesque virtutes sanctissimæ vitæ tuæ : potissime autem humilitatem, mititatem, castitatem, charitatem et obedientiam. Impetra nobis, dulcissima, felicem mortem, et adsta nobis tunc et in omni necessitate ac tentatione fidelissima protectrix. Impetra nobis etiam ut in hac vita, in Jesu Christi Filii tui passionibus, meritis ac miserationibus, mereamur ab omnibus peccatis et pœnis expiari, quo in morte liberi de hoc corpore mox transeamus ad requiem sempiternam. Amen.

Ad vulnera Christi aspiratio.

O SALUTIFERA vulnera dulcissimi amatoris mei Jesu Christi, salvete. Salvete, inquam, salvete, in omnipotentia Patris qui vos dedit, in sapientia Filii qui vos sustinuit, in benignitate Spiritus Sancti qui in vobis opus nostræ redemptionis perfecit.

Benignissime Redemptor meus, imprime hæc vulnera tua cordi meo, quæ me dolore compassionis crucient, amore inflamment, ab omni peccato emundent, ad omnia quæ tibi non placent insensibilem reddant : omnes sensus et vires, omnes affectiones et cogitationes intra se absorbeant, et tibi inseparabiliter perpetuo uniant. Amen.

Pro vulnerum Christi in animam impressione, precatio.

DOMINE Jesu Christe, qui dives es in miserationibus, recordare quod dixisti tu æterna veritas : *Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, et fiet vobis.* Te itaque peto, te desidero, dulcissime Domine Deus meus, tuam Passionem, tua vulnera, tuam charitatem imprimas velim in cor meum, nulla unquam oblivione delenda, ut te semper videam pro me patientem, tibi compatiar propter me morientem, teque diligam me prius diligentem. Amen.

Matth. XI, 24.

Pro spirituali animæ siti amorisque vulneratione, precatio.

DOMINE Deus meus, omnia bona mea tu es, et ego vilissimus, pauperrimus et nihili, obsecro te, respice in me et miserere mei, Domine Jesu Christe, cor meum tuis vulneribus saucia, et Sanguine tuo mentem meam inebria, ut quocumque me vertam, semper videam te crucifixum, quidquid aspexero, tuo Sanguine mihi appareat rubricatum. Hæc sit mihi consolatio, tecum, mi Domine, vulnerari, tecum despici, tecum pati. Hæc sit mihi intima afflictio, sub te aliquid meditari, aut extra te consolari. Non quiescat cor meum, donec inveniat te centrum suum, ubi cubet, ubi terminet appetitum suum. Amen.

Ad vulnera Christi, precatio.

O vos sanctissima vulnera Domini mei Jesu Christi, intra vos animam et sensus meos concludo, ut anima mea, omnibus potentiis et viribus suis recollectis, intra vos abscondita, omnium aliorum oblita, nihil nisi Jesum valeat intueri, nihil nisi vitam ejus et Passionem meditari, donec omnia quæ extra ipsum sunt, mihi vilescant, et ipse solus Dominus meus et Deus meus mihi placeat. Abscondite me miserum peccatorem, o sacratissima stigmata Domini mei Jesu Christi, ut per vos a peccatis meis omnibus purgari, ab omni malo præservari, contra omnes tentationes muniri, et in amorem Domini et imitationem vitæ ipsius accendi merear. Amen.

Digitized by Google

IN LIBRUM SECUNDUM

PHARETRÆ DIVINI AMORIS

PRÆFATIO

EX divinæ Bonitatis abundantia, quæ velut abundantissimum est mare, quod exhauriri non potest, ut abyssus inscrutabilis, contingit ut variis nominibus suæ ad nos dilectionis immensitatem Dominus Deus noster declarari velit, quæ paucis non potest nominibus explicari. Proinde aliquando patrem, interdum fratrem, nonnunquam pastorem regem quoque ac sponsum se nominat. Patrem se nominat et haberi vult propter piissimum, quem erga nos gerit, amoris affectum. Item quod ab ipso sumus, ab ipso pendemus, et sine ipso nihil valemus. Ideoque vult plenam nos ad se habere fiduciam, sicuti ad patrem fidelissimum. Videte quomodo puer, quo infirmior, quo imbecillior, quantoque ætate est minor, nusquam recurrit,nusquam sibi tutum, nusquam sibi bene esse putat, quam apud patrem suum. Et pater quoque, quo filium habet impotentiorem, quantoque illum a seipso juvari minime posse novit, eo promptior occurrit, providet tutaturque filium debilem, deque propriis viribus diffidentem. Eadem plane ratione, sed longe majori cura et fidelitate ferventiorique dilectione filiis suis Deus noster prospicit, maxime si eos debiles, afflictos aut tentationibus oppressos conspicit. Tunc namque eos, ut veri patris officium requirit, gratia sua roborat, donis suis ac innumeris charismatibus, ne in bono deficiant, confirmat, hostium vires enervat, modum certandi et cum hostibus congrediendi iter ex sua gratuita bonitate commonstrat, illorumque affectum mira quadam ac ineffabili sui amoris dulcedine ad se rapit, aliaque innumera ipsis declarat beneficia; quo vel sic discant tempore necessitatis, ad se recurrere, omnem spem in se collocare,ab omnibus quæ mundi sunt se elongare, ardenterque cœlestia desiderare. Et hæc præcipua causa est, quare tam frequenter suos filios pius Dominus variis exponat miseriis, calamitatibus et pressuris, ut omnem proprium et mundi amorem, creaturarum quoque affectiones inordinatas in ipsis penitus extirpet et enecet: ut dum cernunt ab omnibus quæ mundi sunt se desertos, propria itidem

Digitized by Google

virtute destitutos, ad se, hoc est, ad Dominum Deum suum, tanquam ad pientissimum et beneficentissimum Patrem, confugiant, nihilque extra eum in calamitosissimo hoc mundo quærant, nec honores, nec hominum favores, nec prosperitates, nec gaudia mundana, nec divitias, nec mundi gloriam: quandoquidem hæc omnia multo abundantius, imo perfectissimo quodam modo in ipso reperire liceat, ipseque nobis hæc dare et ultro offerre, si tamen ipsius voluntatem, quod filiorum est, perfecerimus, est paratissimus: et vel mille modos nobis benefaciendi, gratiamque suam et divitias gloriæ suæ impartiendi, quærit. Sed nostra redarguenda est tarditas et ignavia, quod nunquam ejus gratiæ recipiendæ nos sufficienter præparemus, aut auscultemus ipsius internas allocutiones, quibus filios suos ad iter virtutum adhortatur. Prædicanda est præterea non minus divina pietas quam miranda, quod maluerit vocari Pater quam Dominus: eo quod suavius sonet et corda tristia citius Patris quam Domini nomen recreet atque reficiat. Itaque exhibeamus nos obedientissimos tam clementissimi Patris filios, a quo tanta tamque ineffabilia nobis proveniunt in dies bona, qui ut altius in filiorum cordibus tam dulce imprimeret nomen, in ipsa creationis nostræ origine dixit:
Gen. 1, 26. *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* O ineffabilis pietas divina et stupenda dignatio! Quid ultra potuit nobis facere, quod hoc verbo non perfecit? Non enim servorum est assimilari dominis suis, sed filiorum patri. Meminerimus ergo quanti nos faciat tam misericordissimus Dominus Deus noster, ad cujus imaginem conditi et creati sumus. Non sit nostra conversatio in terris, sed in cœlis, ubi nostrum Patrem commorari gaudemus.

Postremo, ne filiis orandi deesset formula, ipsa æterna Dei Patris sapientia brevem quidem verbis, sed omni virtute et efficacia refertam docuit orationem, dicens: *Pater, etc.* Qua oratione, ut norunt qui illuminatos fidei habent oculos, nihil potuit dici perfectius, nihilque absolutius. In hac continetur quidquid nobis tam ad corporis quam ad animæ sustentationem necessarium ipsa divina et infallibilis Veritas fore duxit: et ne illius aliquando nos oblivio caperet, adjunxit: *Sic orabitis, etc.* Huic autem dominicæ Orationi, angelica illa succedit Salutatio, quæ in æterno et secretissimo supersanctissimæ Trinitatis consilio est formata, atque per cœlestem illum paranymphum archangelum Gabrielem cœlitus ex sinu Patris emissa: *Ave, Maria, gratia plena.* Quæ Salutatio, quamvis nihil certi per modum orationis exprimat, habet nihilominus miram quamdam in se energiam, ad dæmonum insidias propulsandas, atque eorum astutias detegendas. Unde non dubium quin ex eodem benevolentissimi Patris nostri consilio ortum sit ut filii sui hanc frequentarent et summa devotione pronuntiarent Salutationem; utque Matrem misericordiæ, ipsam puto B. Virginem Mariam, cœli Reginam et

Digitized by Google

Angelorum Dominam, una cum angelicis spiritibus venerari et honorare discerent.

Ne item deesset quod crederemus, ex apostolica cura et providentia actum est, ut piis filiis brevis quædam credendi formula præscriberetur, ut scirent quid credere, quidve de catholica et christiana fide sentire deberent. Nam ex hac fide omnis nostra dependet salus : quando, proh dolor ! tot nostra tempestate exsurgunt pseudodoctores, qui sua falsa doctrina nostræ catholicæ fidei lumen quasi obnubilare conantur, novas quasdam sectas et diabolica dogmata introducentes, quæ nec a Christo nec ab Apostolis tradita sunt. Hæc omnia ut obedientes filii fugiant, pii Patris ac Domini Dei sui vocem auscultabunt, et quid eis aut per semetipsum, aut sanctam et immaculatam suam Ecclesiam loquatur, operibus comprobabunt. Quod si fecerint, a pravorum hominum erroribus immunes se servabunt.

Digitized by Google

PHARETRÆ DIVINI AMORIS

LIBER SECUNDUS

PRECATIONIBUS, EXERCITIIS VARIISQUE ASPIRATIONIBUS AD DEUM, BEATISSIMAM VIRGINEM MARIAM CÆTEROSQUE SANCTOS, REFERTISSIMUS.

PARS PRIMA

COMPLECTENS IN SE EXPLICATIONEM MEDITATIONEMQUE BREVEM IN ORATIONEM DOMINICAM, SALUTATIONEM ANGELICAM, ET SYMBOLUM APOSTOLORUM.

Explanatio ac pia meditatio in Orationem dominicam.

PATER noster. O clementissime Domine Deus meus, tu semper quæ patrem optimum et fidelissimum decent, erga me facis : ego vero non ago quæ digna sunt filio. Sum enim prodigus ille et profugus, qui substantiam, id est, vires animæ et corporis, et omnia tua dona consumpsi in peccatis. Verumtamen quia tanto tempore peccatis meis per misericordiam tuam, o amantissime Pater, dissimulatis, per benignitatem sum sustentatus, beneficiis etiam infinitis ac inspirationibus tuis amorosis vocatus, audeo ad te reverti, clementissime Pater, et dicere : *Pater, peccavi in cœlum et coram te : jam non sum dignus vocari filius tuus* : nolo tamen esse mercenarius, nolo esse servilis servus : sed opto esse aut filius, aut filialis servus. O amantissime Pater, quid nunc reliquum est, aut quid aliud peto, quid aliud exspecto, quam ut inter paternos amplexus, inter brachia suavissimæ misericordiæ tuæ suscipias et constringas me? Ecce venio, ecce curro ad te, dulcissime Pater. Expande brachia tua amorosa ac paterna, et suscipe me licet indignum, licet vagum, tamen ad te revertentem filium tuum, cognosce et recipe quem vocasti. Ecce venio ad te. Utinam Deus meus, oh utinam Deus meus, dignetur me pietas tua supra pectus miserationum tuarum sibi attrahere, adstringere et indissolubili nexu charitatis inavertibiliter sibi colligare!

Luc. xv, 10.

Qui es in cœlis. O clementissime Domine Deus, quem decet sanctitudo, utinam cor meum purifices ab omni privato ac terreno amore, et hoc juxta Cor tuum tibi placentissimum facias habitaculum, in quo te sicut in cœlo jugiter delectet manere.

Sanctificetur nomen tuum, hoc est, adoretur, colatur, benedicatur ab universa creatura, Domine Deus meus : mihi confusio et ignominia, tibi soli honor et glo-

Digitized by Google

ria. Utinam omnes cognoscant, venerentur et benedicant te. Sed et ego quoque, o gloriosissime Domine Deus meus, nihil habens nisi hoc corpus et hanc animam, offero tibi hæc, et quidquid sum aut possum, in tui laudem, gloriam et honorem. Atque utinam des mihi, ut ex toto corde et intimis medullis animæ meæ te solum et gloriam tuam æstuanter sitiam, pure quæram et intendam in omnibus, quocumque se movet anima mea. Hoc idem opto, amantissime Pater, fieri in omnibus creaturis tuis, ut hoc velint, hoc agant et ita sint, quemadmodum tu nosti aut maxime vis, ad gloriam tuam sempiternam.

Adveniat regnum tuum. Sempiterne Deus, hoc age ut in nobis sit regnum tuum, nihil amodo remaneat quod tibi displiceat, tu solus nos omniaque nostra impleas, regas et possideas, tu solus nobis in omnibus placeas, tui amor ardentissimus atque perfectissimus nos totos absorbeat, ut sis nobis omnia in omnibus.

Fiat voluntas tua sicut in cœlo, et in terra. Eia, dulcissime et suavissime Pater, hoc opto, hoc desidero, hoc precor, ut in me, et de me, et per me, atque in omnibus creaturis tuis, sanctissima voluntas tua fiat. Cesset ac pereat in nobis quidquid est proprium, ut tu solus tecum desideria nostra in te rapias atque tibi unias, nobisque idem velle et nolle omnia facias.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Piissime et clementissime Pater, tu scis quidquid nobis est necessarium, quidquid proficuum pro animæ et corporis salute. Ex te enim cuncta bona sperare habemus, a nobis vero nihil nisi peccatum. Da ergo ut perfecte cognoscamus vilitatis nostræ conditionem et indigentiam, simulque charitatem et benignitatem tuam : et ut gratia tua semper nobis adsit, quæ nos illuminet, confortet, dirigat atque perficiat.

Et dimitte nobis debita nostra. Eia, misericordissime Jesu, da nobis juges lacrymas pretiosissimæ contritionis et ignitæ charitatis, effunde etiam super nos undam roseam tui pretiosissimi Sanguinis, quibus a peccatis, a negligentiis, ab omnibus quoque debitis mundemur ac sanctificemur.

Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Deus meus, misericordia mea, ego dimitto, et si quid minus dimitto, obsecro te per singulas guttas pretiosi Sanguinis tui, perque singulos gemitus et suspiria Cordis tui, da mihi perfectissimam charitatem ad omnem proximum, et præcipue ad eos a quibus offendor : ut ex toto corde ignoscam, diligam, atque eos mitissima dulcedine cordis pariter ac beneficiis semper foveam.

Et ne nos inducas in tentationem. Illustra faciem tuam super servos tuos, et confirma nos in gratia tua, ut ambulemus inter omnes laqueos peccatorum ab omni peccato tuti ac mundi, et inter omnes insidias inimicorum securi, sitque nobis omnis tentatio ad victoriam, et nulla ad ruinam.

Sed libera nos a malo culpæ et pœnæ. Libera nos ab omni quod a te dividit nos, ab omnibus vitiis et concupiscentiis, ut nullo malo obnoxii, et ab omni impedimento liberi, æstuantissimis desideriis semper te sitiamus, ad te suspiremus, ad te curramus, et quæ infra te sunt fastidiamus, donec feliciter te perfruamur. Amen.

Explanatio ac pia meditatio in Salutationem angelicam.

Ave, ex Patris omnipotentia, ex Filii sapientia, ex Spiritus Sancti clementia, o *Maria,* cœlum et terrami lluminans, *gratia plena,* super effluens et implens omnes te diligentes. *Dominus tecum,* Patris Unigenitus, et virginei Cordis tui natus unicus, amicus et Sponsus dulcissimus. *Benedicta tu in mulieribus,* quæ Evæ maledictionem abstulisti, et æternam nobis benedictionem reportasti, *et benedictus fructus ventris tui,* creator Dominus, omnia implens, omnia benedicens, omnia sanctificans

Digitized by Google

Jesus Christus; splendor paternæ gloriæ et figura substantiæ ejus. Amen.

Alia meditatio pia in Salutationem angelicam.

Ave, ab æterno in Dei Matrem electa, ab omni peccato, ab omni macula, ab omni væ seu maledictione mulierum præservata, de sanctissimis sterilibusque parentibus concepta et nata, æternæ adoptionis filia, *Maria,* pulchritudine, puritate omnique virtute et *gratia plena,* Deo in templo oblata, et virginitatis voto primum Deo, deinde sancto justo Joseph desponsata, ab Angelo officiosissime salutata, in Dei Matrem postulata, quæ devotissima humilitate, fide et charitate ferventissima Deo consentiens, Deum virgo de Spiritu Sancto concepisti : *Dominus tecum,* in te incarnatus, et novem mensibus gestatus in utero, qui animam tuam nunquam inhabitare desiit. *Benedicta tu in mulieribus,* quæ Elisabeth officiose visitasti, ad cujus eloquium Joannes in utero exultavit, prophetavitque mater. *Et Benedictus fructus ventris tui* ex te sine dolore genitus, qui mundum docens et oves suas colligens, pro nobis captus, flagellatus, crucifixus est et mortuus *Jesus Christus, Amen.*

Alia meditatio in eamdem.

Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum. Ah, sancta Maria, utinam ejus gratia et tua semper sit mecum, et cor meum semper vobiscum. *Benedicta tu in mulieribus.* O piissima Mater Dei, fac me totum secundum beneplacitum Filii tui. *Et benedictus fructus ventris tui Jesus Christus,* pro me crucifixus et mortuus. O misericordissime Jesu, Deus meus, propitius esto mihi peccatori. Amen.

Explanatio ac pia meditatio in Symbolum Apostolorum.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli et terræ. Te clementissime Pater, Domine Deus cœli et terræ, te toto corde credo, adoro confiteorque Deum meum solum, verum et vivum, bonum, increatum, æternum, summum, infinitum et immensum, omnipotentem, cui nihil est impossibile, quem nullum latet secretum, cui omnia nuda, pervia et aperta sunt. Te cognosco, laudo et confiteor justissimum, misericordissimum, ac mei amantissimum Patrem, qui nobis dedisti potestatem filios adoptionis tuæ fieri. Credo etiam te creatorem cœli et terræ, qui ex nihilo propter teipsum, hoc est, in laudem et gloriam tuam, et in utilitatem nostram, quo tuæ bonitatis beatitudinisque nos faceres participes, me, mundum et omnia quæ in eo sunt, creasti. Atque utinam tu me facias, ut non solum te credam, nec tibi verbisque tuis solum assentiam, sed etiam in te confidens, te diligens, meipsum exiens, et me in te Deum meum projiciens, fide, spe et charitate constantissima perpetuaque plenus in te credam, totumque meipsum tibi tradam.

Et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum. Credo quoque in Jesum Christum Filium tuum, tibi coæternum, consubstantialem, in eadem gloria, sapientia, virtute parique majestate æqualem, quem tu, Pater piissime, sic mundum diligens nobis, licet unigenitum, dedisti, *ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Omnibus enim nobis ex delicto primi parentis nostri damnatis, originali justitia privatis, prævaricatoribus, iræ filiis, in peccato conceptis et natis, hic in mundum a te missus Salvator nobis advenit. Joann. III 15.

Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. Non ex virili semine, sed Spiritus Sancti virtute, imo sanctissima Trinitate cooperante, propter nos Deus homo factus est, ut simul particeps naturæ nostræ esset humanæ, quæ idoneus foret ad solvendum pro nobis in eadem natura, quæ peccati rea satisfacere deberet, et simul divinæ esset naturæ, unde pro nobis satisfacere posset unus

Digitized by Google

Christus, unus Emmanuel, natus quoque post novem menses, quibus in utero fuit Matris, ex Maria Virgine. Quam ab æterno electam, ab omni macula et peccato præservatam, de sanctissimis denique ac sterilibus parentibus natam, omni gratiarum virtutumque plenitudine ornatam sibi dignissimam fecit Matrem, quæ illum virgo conciperet, virgo pareret, et dolorem in partu nullum sentiret.

Quo autem a morte nos æterna redimeret, *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus est.* Passus est, inquam, clementissime Pater, Filius tuus, te illum ad mortem pro nobis tradente, et illo se ultro offerente. Siquidem captus pro nobis, cæsus, consputus, flagellatus, spinis coronatus, ante tribunal stans, ad mortem damnatus est : tandemque reprobis sociatus, crucifixus, mortuus et sepultus est : *Descendit ad inferna, tertia die resurrexit a mortuis*, ubi mortem nostram moriendo destruxerat, ad inferna descendit : non dolores, non captivitatem inferni passurus, sed captivos inde suos amicos educturus : *Mortuus est autem propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.*

Rom. VI, 25.

Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Ubi nunc vultui tuo, o Deus Pater, assistit pro nobis. Ipse quidem Primogenitus ex mortuis ad te rediit, nosque propterea credimus nos resurrecturos tua virtute, et Christum Filium tuum tanquam membra suum caput secuturos. Sedet enim ad dexteram omnipotentiæ tuæ, cui data a te est omnis potestas, o clementissime Pater, in cœlo et in terra.

Inde venturus est judicare vivos et mortuos. Hoc generaliter tunc omnibus in novissimo fiet die, quando oves ab hædis separabuntur, universique simul in corpore et anima, juxta quod meruimus et secundum opera nostra, ibimus aut in vitam æternam, aut supplicium æternum, quamvis in morte cujusvis singulare nihilominus futurum sit judicium, quo animæ reproborum ignem recipient æternum, animæ vero electorum, si ab omni fuerint expiatæ peccato, confestim ; si vero adhuc purgandæ fuerint, per ignem : in vitam æternam ibunt. Quare in te, Jesu Christe Fili Dei vivi, credo, te Deum meum adoro, te denique, ut Incarnationis, Passionis ac mortis tuæ virtus in me non frustretur aut pereat, te per vulnera tua obsecro : quin potius tua opera, tua beneficia, Passionem quoque ac mortem tuam adeo profunde, quæso, cordi meo inscribe, in illis memoriam meam absorbe, ut tua vulnera mea sanent, tuæ me spinæ compungant, tua me flagella expurgent, Passio tua me ad compatiendum exstimulet, charitas tua me inflammet, tuaque mors a peccatis et omnium peccatorum pœnis me absolvat, liberet ac salvet.

Credo in Spiritum Sanctum, de te, o clementissime Pater, de Filioque unigenito tuo procedentem, quem credo vobiscum unum esse Deum, unam eamdemque vobis tribus personis simul esse naturam, unam majestatem. Hic nobis inspirat tuam voluntatem instruitque ad omnem virtutem. Quare te quoque, benignissime consolator Spiritus Sancte Deus, adoro, benedico et tibi gratias ago pro cunctis inspirationibus bonis, pro illuminatione fidei et tui nominis agnitione. Inflamma tu, quæso, et ure cor meum inexstinguibili charitate, castissimo amore, ferventissimoque tui desiderio, o amor ardens et charitas nunquam deficiens.

Sanctam Ecclesiam catholicam credo, quam Christus suo redemptam Sanguine in sponsam sibi consecravit, quam Spiritus veritatis vivificat, illustrat, regit, nec unquam deserit. Quamobrem te, beatissima Trinitas, laudo, adoro et benedico, quæ in hanc Ecclesiam, in hanc fidem orthodoxam, et ut corporis Christi mystici essem membrum, misericordia tua me vocasti.

Sanctorum communionem ; ab initio usque ad mundi finem credo fuisse, esse, futuramque esse turbam justorum, Deum

Digitized by Google

timentium, colentium, credentium, idemque sapientium, qui fidei unitate, spei communione et charitatis glutino juncti, uno hic spiritu reguntur, mercedem unam exspectant, unius Patris filii et hæredes, unius quoque civitatis cœlestis, puta Jerusalem, futuri cives. Horum, obsecro te, Deus, per omnes miserationes tuas, participem me fac timentium te, et custodientium mandata tua.

Remissionem peccatorum nihilominus credo, quoniam tu Pater misericordissimus es, qui non vis mortem peccatorum, sed magis ut convertantur et vivant. Tu enim ut nubem deles iniquitates nostras, adeo ut si peccata nostra fuerint ut coccus rubra, te miserante, quasi nix alba erunt.

Is. XLIV, 22.

Carnis resurrectionem credo, et Salvatorem exspecto, qui in novissimo die suscitabit de terra mortalia corpora nostra, configurabitque eadem in electis corpori claritatis suæ.

Et vitam æternam credo, et de misericordissima tua liberalitate, o Deus clementissimeque Pater, hanc exspecto : quæ utique est plena felicitas, omnia desideria satians, cui nihil deest quod amatur aut desideratur, cui nihil quoque adest quod fugitur, ubi nullus timor, nullus dolor, nulla tristitia : sed pax, gaudium, quies securitasque interminabilis, cujus similitudinem nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Ubi tanta gaudiorum satietas, ut nihil ultra possit desiderari : nec tamen ex satietate est fastidium. Hoc gaudium in te est, Domine Deus meus, qui tua beatitudine, quæ tu ipse es, electorum tuorum imples desideria omnia, adeo ut extra te his nihil libeat, quandoquidem in te habent omnia, et hoc adeo exuberanter, ut nihil eos ultra possit aliud delectari. Tu enim es vita nostra æterna et beatitudo quam precor, obsecroque te per temetipsum, Deus meus, quoniam ex meipso nihil sum, nisi esca infernalis gehennæ, qui nihil nisi æternum supplicium merui, ut pro infinita misericordia tua hanc mihi dones beatitudinem, nempe teipsum, peccata mea in hac vita nunc delens, pleneque omnia remittens, ut ex hac vita egrediens in morte absque ullo medio aut dilatione a te, felix et gaudens recipiar, tibique posthac inseparabiliter et perpetuo beatus inhæream. Amen.

Basis seu fundamentum totius humanæ salutis.

Tota salus nostra in hoc consistit, ut tres supremæ vires animæ, nempe : memoria, intellectus et voluntas, (quæ si bene in Deo conserventur et retineantur, recte itidem habent vires infimæ, puta rationalis, concupiscibilis et irascibilis) per amorem Deo conjungantur, atque unitæ semper conserventur in nuda animæ essentia, quam Deus perpetuo præsens inhabitat. Iteraque ut vires infimæ magno studio cohibeantur et custodiantur, ne tentationi succumbant, sed sint semper viribus supremis morigeræ et subjectæ : atque ut septem animæ affectiones, videlicet, spes et timor, amor et odium, gaudium et dolor ac pudor sint rectæ jugiter, ac ita ut decet relatæ in Deum. Corpus quoque in spiritus servitutem redigatur ; et homo totus sit sui habitator, et custos conscientiæ suæ, ac suo fundo invigilet, et externam omnem non necessariam, quoad potest, vitet occupationem ; atque in summum illud et præstantissimum bonum, quod intra se habet, nempe Dominum Deum suum, sese demergat, ut ipse solus intima illius penetralia sibi vindicet et possideat, qui est vita et lux hominum, lucens et vivens per seipsum in una qualibet anima rationali, idque in fundo seu intimis recessibus illius : quo nullus penetrare potest, nisi solus Deus, Trinitas adoranda, ad cujus imaginem cond ta est.

Ubi igitur anima postpositis rebus quibuslibet externis ad hoc splendidum lumen, quod in ipsa est, contemplandum intro se recipit, creditque Deum esse lumen ipsum, quod in tenebris lucet, et animæ præsens adest, idemque lumen ipsa anima observat et sequitur, jam tum lumen hoc in anima operatur, purgatamque in suam originalem justitiam reducit. Id vero nullis humanis laboribus aut studiis solis obtineri potest, sed gratuito Dei munere et operatione præstatur. At nihilominus exigit a nobis Deus, ut nos huc accommodemus et apparemus per fidem vivam, qua credamus Deum perpetim intra nos commorari, atque per sinceram nostri abnegationem et resignationem in Deum, itemque per virium animæ adunationem et perpetuam a creaturis aversionem, et ad interiorem hominem propensionem, atque per crebras ad Deum

Lumen divinum uti in anima operetur.

Digitized by Google

aspirationes amorosas, cordis humiliationem, intentionis rectitudinem, in cunctis actionibus nostris morum honestatem, ac pervigilem sensuum refrenationem. Enimvero sancta vita et salus vera citius obtinetur simplici introversione quam alta contemplatione, et amorosa aspiratione quam dura et immoderata exercitatione, atque assidua oratione potius quam externo labore. Et hæc jam dicta velut fundamentum quoddam erunt totius spiritualis ædificii : quod qui negligunt, parum proficient; sed quo ascenderint altius, eo cadent gravius; quo processerint longius, eo amplius aberrabunt; et quo extra se sæpius egressi et evagati fuerint, eo tardius ad se revertentur et Deum difficilius reperient.

Vita sancta uti obtineatur.

Christi merita ut nostra fiant, quomodoque nostras actiones et passiones cunctas Christi actionibus et passionibus unire debeamus, institutio succincta.

Ut merita Christi nostra fiant, curandum est, ut ejus ardentissimæ charitati ejusque purissimæ intentioni et actioni quæcumque agimus patimurve uniamus, cum plena nostri resignatione, tradentes nos illi in gloriam ac beneplacitum ejus. Quod ubi fecerimus, dabit se proculdubio et omnia quæ habet nobis Deus. O saluberrimum commercium ! Quis enim merito non stultissimus diceretur mercatorum, qui dare nollet modicum cupri pro grandi massa auri, aut silicem pro margaritis ? Hæc autem spiritualis negotiatio in hoc versatur, quod omnia quæ agis quæve pateris, tam spiritualia quam externa opera necessaria, unias operibus et passionibus salvatoris nostri Jesu Christi. Deinde etiam quæ ore loqueris aut animo meditaris, renovata sæpius intentione, ejusdem verbis et cogitationibus unias, ipsi eadem commendans et offerens ad laudem et gloriam ipsius, et ad communem Ecclesiæ salutem. Verbi gratia sic dicendo, ante vel post aliquem actum : *Domine Jesu, in unione amoris, quo Patrem pro nobis laudasti vel orasti, sive laborare dignatus es in terris, da mihi laudes, orationes sive labores hos digne perficere, et tibi offerre ad laudem tuam et Ecclesiæ salutem.* Aut hoc modo : *Domine Jesu Christe, in unione amoris quo pro nobis homo fieri et mori dignatus es, offero tibi istud ad laudem tuam et Ecclesiæ salutem.*

Similiter quoties deliquisse te senseris, mox vere pœnitens offer Patri in expiatione delicti tui, quod Filius pro te fecit et sustinuit : et te in gratiam rediisse non dubites. Itaque hoc modo cuncta bona opera nostra valde nobilia, valdeque efficerentur fructuosa : utpote qua sic Christi meritis per intentionis oblationem unita, ejusdem efficiuntur opera seu merita.

Et quamvis ad communem Ecclesiæ frugem, si qua nostra sunt bona, hoc modo oblata in Christi meritis absorbentur, quomodo gutta aquæ dolio vini immissa solet absorberi, non tamen pereunt nobis nec evanescunt, sed opportuno tempore feliciter conservata, nobilitata multiplicataque nobis reddentur juxta cujusvis intentionis puritatem. Secure igitur offeramus nostra minima meritis Christi hoc modo unita in sinum matris Ecclesiæ, ut in salutem cedant omnium electorum Christi membrorum. Inde etiam non solum nullum patiemur detrimentum, sed ex divitiis quoque Christi maximum obtinebimus lucrum. Tunc enim teste Gregorio, nostra magis fiunt nostra, cum cœperint fratribus esse communia. Nam omne bonum quanto communius, tanto perhibetur divinius. Quidquid igitur agimus, in merita illud dominicæ Passionis offeramus, ut inde efficaciam et virtutem assequamur tempore necessitatis. Nam etsi vile ac modicum sit quod damus, bona tamen voluntas majora offerendi, si facultas adesset, commendabit opus, atque ad justam perficiet mensuram. Quid enim ditius bona voluntate ?

Digitized by Google

PARS SECUNDA

COMPLECTENS IN SE EXERCITIA EFFUSIONESQUE CORDIS, QUIBUS ANIMA QUÆCUMQUE DEVOTA DIE NOCTUQUE POSSIT EX SINGULIS QUÆ OCCURRUNT INVENIRE VEL MATERIAM ORANDI, VEL OCCASIONEM ELEVANDI SE AD DEUM.

PRECATIONES SEU EFFUSIONES CORDIS

Conscientia uti sero sit examinanda.

Anima quævis christiana Deoque devota omni sero sese introvertere debet, et omnia interiora sua discutiendo advertere, qualiter admonitiones divinas et instinctum Spiritus Sancti secuta fuerit, sive eisdem restiterit : an etiam lumen sive reprehensiones conscientiæ exstinxerit, vel eis adversata fuerit : an etiam aliquo membro recesserit a vivo speculo veritatis : et an exterius etiam aliquod statutum sive ordinationem transgressa sit : utrum etiam aliquem verbis vel operibus læserit, sive impedierit : an per detractionem alicujus famam minuerit, aut aliquem in re qualibet despexerit : utrum etiam aliqua in re delectationes carnis, concupiscentias oculorum, aut superbiam vitæ occulte, quasi sub specie boni, secuta sit, sive in verbis, sive in operibus, in eundo vel stando, comedendo sive bibendo. Utrum in omnibus operibus vel dimissionibus suis, Deum pure quæsierit atque dilexerit, vel suam potius sensualitatem ac delectationem aliqualiter occulte quæsierit et secuta sit. Radix namque corruptæ intentionis profunde nimis in fundo cordis abdita jacet. Ideoque si coram Deo recta et pura debeat esse intentio, ipsi fundo cordis vigilantius est intendendum. Utrum denique aliquid per quinque sensus suos intrare permiserit, quod animæ pacem turbaverit, eamque gravarit.

De his igitur aliisque defectibus, quos in seipso quotidie unusquisque deprehenderit, et in quibus se reum agnoverit et excessisse adverterit, humiliter veniam postulare, et a Deo gratiam petere debet, orans ipsum, ut per amarissimam Passionem suam ipsius misereri et per eamdem pro omnibus peccatis ipsius satisfacere, omnesque negligentias ejus supplere velit : utque per merita sauciati corporis sui, dolorosæ animæ suæ et gaudiosi spiritus sui, se in corpore, anima et spiritu mundum et aptum facere et esurientem animam illius reficere, et in se totaliter transformare dignetur.

Quando vis ire dormitum sic precabere :

DOMINE Jesu Christe, in unione amoris quo istud nobis commodum creasti, et ipse in terris propter nos uti voluisti, jam illud suscipio, tibi in æternam laudem, et corpori meo ad necessitatem.

Quando intras lectum dicito :

PAX Domini nostri Jesu Christi, integritas beatissimæ semper Virginis Mariæ, signum sanctæ Crucis, virtus dominicæ Passionis, custodia sanctorum Angelorum, et intercessio omnium Sanctorum, repellant a me omnes inimicos meos, custodiantque me ab omni peccato, ab omnique periculo corporis et animæ. Amen.

Antequam obdormias, oratio.

DOMINE Jesu Christe, tua vera divinitas mihi benedicat, tua sincera humanitas me custodiat, tua benignissima pietas me foveat, et amor tuus suavissimus in æternum me conservet.

In te dulcissime Jesu, in vulnere lateris tui, in Corde tuo dulcissimo, et sub pallio benedictæ Matris tuæ, ad pedes Dominæ meæ dormiam et requiescam. Amen.

Digitized by Google

Somno jam irruente, precatio.

Dulcissime Jesu, fac me requiescere super pectus tuum, da mihi trahere anhelitum sacrum de sanctissimo Corde tuo, ut spiritus tuus suavissimus influat in animam meam, atque rursus totum spiritum meum post se trahat, in se absorbeat, atque inseparabiliter sibi uniat. Amen.

Post somnum, precatio.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, in nomine Domini mei Jesu Christi surgo, qui me redemit suo Sanguine pretioso. Ipse me dignetur custodire ab omni malo, et implere omni bono, in anima et corpore meo. Amen.

Quando mane surgis sic orabis :

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. In nomine Domini mei Jesu Christi crucifixi, cujus morte sum redemptus, cujus pretio sum emptus, de lectulo nunc surgo. Ipsum adoro, laudo, benedico et glorifico, per quem sum, vivo et subsisto. Ipse me liberet et custodiat ab omni peccato. Ipse me regat, confirmet et possideat in omni bono, et post hanc miserrimam vitam, perducat ad æternam requiem. Amen.

Mane quando surrexisti, adora Deum et sanctissimam benedic Trinitatem, dicens:

Adoro, laudo et benedico te, o Trinitas superbenedicta, Deus meus, gubernator, protector et salvator meus, vita, dulcedo et corona mea, in quo omnia, ex quo omnia, et per quem omnia. En offero me indignissimam creaturam tibi in gloriam et beneplacitum tuum. Eripe me de inimicis meis, id est, ab omnibus quæ tibi displicent. Domine, ad te confugi, eligens te pro omnibus et super omnia : doce me facere voluntatem tuam in agendo et patiendo, in volendo et respuendo, quia Deus meus es tu, o Deus meus, et ego creatura tua, ad nihil tibi utilis, tamen creatura tua sum, Domine Deus meus, miserere mei. O utinam tecum unum esse merear perpetuo et inavertibiliter. Fiat voluntas tua in me, o Deus meus et omnia. Amen.

Benedicta sit piissima Mater tua, o Christe Jesu, et omnes Sancti tui in cœlis, omnesque qui te diligunt in terris. Amen.

Egressus de lecto, humi prostratus Dominum adora hoc vel simili modo, dicens:

Adoro te, dulcissime Jesu, gratias agens immensæ tuæ erga me charitati, qui pro me es captus, ligatus, de judice ad judicem ductus, et morte turpissima interemptus. En, Domine mi clementissime, ab hoc tempore et deinceps totum me tibi trado ac offero captivum, atque in omne beneplacitum tuum me resigno, orans ut hodie et quotidie vinculis ardentissimæ tuæ charitatis me adstringas, adeoque tibi inseparabiliter unias, ut abs te recedere, aut me avertere a te neque possim, neque velim. Amen.

Ad B. V. Mariam, precatio.

Ad pedes sanctitatis tuæ, o benedictissima Dei Genitrix Virgo Maria, me prosterno, suppliciter veniam petens de omni irreverentia et injuria, quam tibi et dilecto Filio tuo Domino meo Jesu Christo exhibui, quod eum propter gravissima scelera mea vendidi, captivavi, et Judæis interficiendum tradidi. Rogo te jam, pia Mater, ignosce mihi peccatum hoc magnum, et in gratiam tuam me recipe. Esto mihi benigna et placata, hostiumque meorum insidias a me repelle, atque pro filio tuo me recipe, et secundum purissimi Cordis tui desideria me rege et dirige. Amen.

Inclyta, pura, pia, gloriosa Virgo Maria,
Sis salutata, per vires mille beata.
Me tibi mente pia commendo, Virgo Maria.
Tu mihi salvatrix sis semper et auxiliatrix.
Salve, mater pietatis, et totius Trinitatis nobile triclinium.
Salve, splendor firmamenti, tu caliginosæ menti desuper irradia. Amen.

Digitized by Google

Ad supersanctissimam Trinitatem adoratio supplex.

ADORO et benedico te, o Trinitas sancta, Deus meus et omnia, gratias ago tibi pro custodia, sapientia et benignitate tua, et pro cunctis beneficiis tuis, quibus cœlum, terram et omnia quæ in eis sunt, in tempore et æternitate imples, et me ingratissimum atque miserrimum peccatorem usque in hanc horam perduxisti. Tibi offero, commendo atque resigno me totum et quidquid intra aut circa me est, in tui amorem, laudem et gloriam. Aufer a me quidquid tibi displicet in me, et da mihi quidquid tibi placet. Dirige et posside me jugiter secundum beneplacitum tuum. Amen.

Salutatio matutina supplex ad æternam sapientiam.

ANIMA mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te, o præclarissima Sapientia, petens ut desiderata tua præsentia omnia aliena in corde meo præveniat, penetralia cordis mei tua gratia perfundat, peccata, vitia et mala mea cuncta a me tollat, virtutibus cunctis me impleat, et amore inextinguibili vehementissime accendat.

Et nunc, dulcissime Jesu Christe, ad me, quæso, convertere, et gratissimam faciem tuam mihi ostende : quia et ego ad te diluculo consurgo, teque ex intimo cordis mei affectu saluto, optans ut millia millium cœlestium agminum tibi ministrantium te ex me salutent, et decies millies centena millia tibi assistentium te ex me glorificent, et omnia præclara desideria Sanctorum omnium te ex me honorificent : et universa melodia omnium creaturarum te ex me collaudent, teque exorent, ut mihi des bonam mortem, peccatorum plenam remissionem et æternam salutem. Amen.

Confessio succincta mane vel sero devota mente ruminanda.

CONFITEOR tibi, Domine Deus, ego peccator miserrimus, et totus abominabilis, omnia peccata mea (innumerabilia enim sunt et maxima et horrenda) omnes peccatorum meorum circumstantias, omnes negligentias, vitiorum passiones ingratitudinesque meas, quas a primæva ætate mea commisi usque nunc, et quorum participem me feci. Multos enim, Domine Deus meus, verbis, exemplo, perversa mea conversatione aliisque occasionibus ad peccandum induxi, et animas, pro quibus tu Sanguinem tuum effudisti innoxium, tibi abstraxi, et in damnationem misi.

Pro quibus omnibus, et meis et alienis flagitiis, tuam infinitam deprecor bonitatem, ut propter Passionem et mortem tuam, quam pro nobis subiisti, cuncta deleas et plenarie dimittas, mihique, dulcissime Domine, ignoscas. Decet enim te maximum, piissimum, potentissimum et misericordissimum, miseris, egentibus, et præter te et nisi a te nihil aliud habentibus, magnum miserationis et largitatis impendere beneficium, quantoque fragiliores sumus et miseriores, tanto copiosiorem gratiæ tuæ benedictionem super nos effundere, atque ad te, ruptis peccatorum nostrorum vinculis, trahere, ut quæ beneplacita sunt tibi, faciamus semper. Amen.

Quando horarum auditur signum, precatio.

ADORO, laudo et benedico te, misericordissime Jesu, gratiasque ago tibi pro amarissima innocentissimaque Passione tua ac morte, et pro omnibus beneficiis charitatis tuæ mihi ingratissimo peccatori, quem usque ad hanc horam misericorditer sustines, exhibitis. Obsecro autem te per singulas guttas pretiosi Sanguinis tui pro me fusi, da mihi veram ac jugem contritionem pro peccatis meis, emendationem vitæ meæ, et imitationem vitæ tuæ, secundum beneplacitum tuum.

Domine Deus meus, converte ab hac hora et posside me totum secundum beneplacitum tuum, et in me, de me, ac per me sanctissima voluntas tua semper fiat. Dulcis Jesu, auge et confirma super me gratiam

Digitized by Google

tuam, et da mihi quidquid tibi placet. Amen.

Ad horologii signum.

Amantissime et misericordissime Deus, gratias ago excellentissimæ majestati tuæ pro cunctis beneficiis et donis tuis, quæ ex gratuita tua pietate mihi ingrato unquam exhibere es dignatus, et præcipue pro omnibus his, quæ pro me et pro totius mundi salute, hac hora vel agere vel sustinere dignatus es.

Illustra, quæso, me gratia tua, et fac me hac hora omnibusque momentis meliorem tibique placentiorem fieri, et concede mihi veram requiem pacemque cordis, ut jugiter cum omnibus Sanctis te collaudem. Hoc idem rogo pro omnibus fidelibus tuis, maxime pro fratribus meis, parentibus, amicis et recommendatis, et pro quibus teneor vel tu desideras. Amen.

Item, ad horologii signum.

Benignissime Domine Jesu Christe, pro omnibus singulisque doloribus, injuriis, blasphemiis, passionibus vulneribusque, quæ tibi propter peccata mea hac hora inflicta sunt, quodque gratuito me creare, redimere, peccantem tolerare, ad statum pœnitentiæ vocare, atque a multis malis periculisque tam animæ quam corporis præservare es dignatus, te adoro, laudo, benedico inmensasque gratias ago, rogans te per temetipsum, ut omnibus miseris et afflictis, peccatis obnoxiis, erroribus implicitis, tentationibus gravatis, calamitatibus oppressis, et dæmonum calliditate astuque deceptis, gratiam tuam concedere digneris, ut propria carnis infirmitate devicta, dæmonumque insidiis superatis, te sine impedimento sequi, tuæque sanctissimæ humanitatis vestigiis toto conatu insistere possint.

Succurre etiam omnibus miseris desolatisque animabus in purgatorii igne detentis, quarum nulla vel modica habetur a vivis memoria, et largire illis requiem, pacem et gaudium sempiternum. Tuæ namque sunt, mi Domine, creaturæ per te creatæ, a te redemptæ, et per te solum liberandæ ac salvandæ.

EXERCITIUM QUINQUAGINTA VENIARUM SEU ADORATIONUM AD SALVATOREM NOSTRUM BENEDICTUM DEVOTISSIMUM,

PRO BENEFICIIS VITÆ AC PASSIONIS EJUSDEM, QUOD PARTIM IN DIE PARTIM AD CANONICAS HORAS, QUOMODO UNICUIQUE MAGIS CONGRUIT, POTERIT DIVIDI.

Expedit autem, ut singulas adorationes sub universo exercitio, aut vocalibus aut mentalibus his facias verbis: *Adoro te, clementissime Jesu Domine Deus meus, et gratias tibi ago pro etc.*

Observa etiam ut si corporalis adoratio a devotione te impediat, corporali adoratione relicta, adora Deum mente ac spiritu, gratias agens; quod inter alios quoque homines constitutus, aut corpore debilis, licet solus et ab aliis abstractus, simili potes facere modo.

Inter Nonam et Vesperas.

Procide ad genua, et peccata tua recolens atque ingemiscens, dicito:

Deus, propitius esto mihi peccatori, pro quo in Crucis patibulo dignatus es mori.

Hoc modo ad singulas Horas, juxta divisionem præsentem, cum gemitu et tuipsius humiliatione, propter peccata tua facito. Deinde decies Christum adora et gratias age.

Adoro te, clementissime Jesu Domine Deus meus, et gratias tibi ago, quia propter me factus es homo. 1.

Adoro te, etc. pro ingressu et incolatu tuo in mundo, qui famem, sitim, et reliqua corporis incommoda propter me patiens pertulisti. 2.

Digitized by Google

3. Adoro te pro exilio, vilitate hominumque contemptu.

4. Adoro te pro obedientia Patri tuo cœlesti, exhibita in observantia legis, puta, circumcisionis, festorum, etc. et Matri, quando parentibus fuisti subditus.

5. Adoro te, quod in Jordane baptizari et in deserto pro me voluisti tentari.

Versus memoriam juvans.

Conceptus mala fert, pauper, obtemperat, aquis.

Pro contritione, precatio.

Misericordissime Jesu, respice me, quæso, oculis misericordiæ tuæ, et da mihi pro peccatis meis intensissimam contritionem, qua peccata ingratitudinemque meam, tuas item injurias tuique contemptum, in me et in aliis, ex toto corde meo lugeam die ac nocte. Amen.

6. Adoro te pro laboribus et fatigationibus in prædicando, discurrendo, salutemque nostram procurando toleratis.

7. Adoro te pro miraculis et beneficiis tuis, infirmis et egenis exhibitis.

8. Adoro te pro misericordia et benignitate, pœnitentibus et vocandis peccatoribus clementer exhibita.

9. Adoro te pro persecutionibus, dolis, injuriis et opprobriis toleratis.

10. Adoro te quod cum palmis gloriose a turba es receptus, sed paulo post conspirantibus Judæis, a tuo discipulo venditus.

Versus memoriam juvans.

Prædicat et sanat, pius est, injuria, palmis.

Pro emendatione vitæ, precatio.

Misericordissime Jesu, per omnes labores tuos te obsecro, da mihi luctum pro peccatis meis, et totius vitæ meæ perfectam emendationem, ut a cunctis vitiis, ab omnibusque creaturis aversus, et ad te totus conversus, tibi inavertibiliter perpetuoque inhæream. Amen.

Ad Completorium.

Sero somnum capturus, ad genua procide, et recolens peccata tua, ingemiscensque dic: *Deus, propitius esto mihi miserrimo peccatori, pro quo in patibulo Crucis dignatus es mori.* Deinde quinquies Deum adora:

Adoro te, etc. pro cœna legali et lotione pedum discipulorum tuorum. 1.

Adoro te pro institutione venerabilis sacramenti Eucharistiæ, et pro suavissimo sermone. 2.

Adoro te pro tristitia et pavore. 3.

Adoro te pro oratione in monte Oliveti et pro compatientissima discipulorum visitatione. 4.

Adoro te pro agone, pro sanguineo sudore, et pro plenissima tui resignatione. 5.

Versus ad memoriam juvandam.

Dum lavat, instituit, tristis, visitans quoque sudat.

Pro charitate, precatio.

Mansuetissime Jesu Christe ferventissime amator, quid orem nescio, sed fac ut ardentissima charitate te diligam, vitæ tuæ vestigia devotus imitari valeam, tristissima quæque tui amore libenter recipiam, hilariter feram, et juxta omne beneplacitum tuum totus in te resignatus, tibique perfectissime obediens inavertibiliter inhæream. Amen.

Ad Matutinas.

Procide ad genua et peccata tua recolens, ingemisce et dic: *Deus, propitius esto mihi miserrimo peccatori, pro quo dignatus es in Crucis patibulo mori.* Deinde quinquies Deum adora:

Adoro te, clementissime, etc. pro dira tui captione, crudelique hostium invasione, quando ad Passionem illis ibas obvius. 1.

Adoro te pro tumultuosa tui deductione ad Annam, pro superba interrogatione tibi facta, et pro contumeliosa alapa tolerata. 2.

Digitized by Google

3. Adoro te pro afflictione et compassione Cordis tui erga tuos, qui a discipulo es venditus, ab aliis discipulis derelictus, et a Petro ter es negatus.

4. Adoro te, quod ab iniquis testibus accusatus ut blasphemus, et reus mortis es judicatus.

5. Adoro te pro multiplici illusione ac injuria qua hac nocte es affectus, puta, cæsus, consputus, velatus, colaphizatus.

Versus pro memoria.

Captus, ad Annam, negat, reus, est male cæsus.

Pro humilitate, precatio.

Misericordissime Jesu, per immensam charitatem tuam obsecro te, da mihi profundissimam humilitatem, qua peccata et vilitatem meam omnem perfecte cognoscam, sancto odio me despiciam, et ab omnibus despici et nesciri diligam. Amen.

Ad Primam.

Procidens ad genua, et peccata tua recolens ac ingemiscens, dicito : *Deus, propitius esto mihi peccatori, etc.* Deinde quinquies Deum adora :

1. Adoro te, etc. quod adductus Pilato et accusatus tacuisti.

2. Adoro te, quod ad Herodem missus, accusatus es et spretus.

3. Adoro te, quod ad Pilatum reductus, alba es veste illusus.

4. Adoro te, quod ad columnam nudus voluisti ligari.

5. Adoro te, quod acerbissime flagellatus, vidisti nobilissimum Sanguinem tuum pedibus conculcari.

Versus pro memoria juvanda.

Accusant, regi, luditur, nudumque flagellant.

Pro patientia et mititate, precatio.

Misericordissime Jesu, omnem iram, impatientiam, amarulentiam, et quidquid mansuetudini adversatur, in me exstirpa, occide et tolle a me. Da mihi cum perfectissima mititate et mansuetudine cordis, quæcumque adversa de manu tua hilariter suscipere, eaque non solum patienter, sed etiam amanter atque cum gratiarum actione sustinere. Amen.

Ad Tertiam.

Procidens ad genua, et peccata tua recolens, ingemisce et dic : *Deus, propitius, etc.* Deinde Deum quinquies adora :

Adoro te pro pœnis toleratis, quando purpura amictus, spinis es coronatus. 1.

Adoro te pro illusione, qua fuisti adoratus, salutatus, et in caput cæsus. 2.

Adoro te pro eductione, quando vix homini similis monstrabaris, insatiabili Judæorum invidia clamante, ut crucifigaris. 3.

Adoro te, quod latrone Barabba dimisso, tanquam sceleratior tu ante tribunal es adductus et ad mortem damnatus. 4.

Adoro te, quod Crucem tuam ferens, anxius, incurvatus, suspirans, gaudentibus inimicis, et amicis flentibus, vestigia post te sanguinea reliquisti, et præ dolore tandem deficiens in oculis Matris corruisti. 5.

Versus memoriam juvans.

Spinis, deludunt, monstrans, sententia, portas.

Pro castitate et puritate cordis, precatio.

Misericordissime Jesu, purifica, quæso cor meum ab immundis vitiosisque cogitationibus, ab impuris affectionibus, a pravis inclinationibus et motibus, et da mihi perfectissimam, mundissimam perpetuamque mentis et corporis castitatem. Amen.

Ad Sextam.

Procide ad genua, recolensque peccata tua ingemisce et dic : *Deus, propitius esto, etc.* Deinde quinquies Deum adora :

Adoro te, clementissime, etc. pro tui denudatione, pro dolorum vulnerumque tuorum renovatione ante Crucem. 1.

Digitized by Google

2. Adoro te pro corporis tui extensione super Crucem, pro manuum ac pedum tuorum perfossione ac crucifixione.

3. Adoro te pro Crucis elevatione, et pro crucipendentia tua tribus horis, et tribus clavis tolerata.

4. Adoro te pro charitate ac benignitate tua, qua orasti pro tortoribus, qua latroni quoque paradisum promisisti.

5. Adoro te pro blasphemia illusioneque, quam a prætereuntibus Crucem pertulisti.

Versus memoriam juvans.

Nudant, extendunt, pendens, ignoscitque, vah qui.

Pro compassione, precatio.

Misericordissime Jesu, aufer a me durum et impium, et da mihi cor misericordissimum, piissimum, compatientissimum ac fidelissimum secundum Cor tuum, quo omnes, præcipue inimicos, diligam, omnibus libenter et amanter subveniam, serviam ac benefaciam. Amen.

Ad Nonam.

Procide ad genua, recolensque peccata tua, ingemisce et dic: *Deus, propitius esto, etc.* Deinde quinquies Deum adora:

1. Adoro te, clementissime, etc. pro compassione fidelique cura et commendatione erga Matrem.

2. Adoro te pro immensis doloribus undique exaggeratis, quas in Cruce omni consolatione destitutus tolerasti, adeo ut ad Patrem clamans, diceres: *Eloi, etc. Deus meus, Deus meus, etc.*

3. Adoro te pro ardentissima siti corporali et spirituali, et pro gustu fellis et aceti.

4. Adoro te pro amarissima ignominiosaque morte tua, et pro descensu animæ tuæ ad inferna pro eripiendis amicis.

5. Adoro te pro apertione lateris et Cordis tui, unde fluxit sanguis et aqua.

Versus memorialis.

Condolet, undique fert, sitiens, moritur, foditurque.

Pro felici morte et purgatione peccatorum tuorum in hac vita, precatio.

Misericordissime Jesu Christe, omnes labores, vulnera, verbera, Sanguinem, tristitiam, mortem tuam, et omnia quæ passus es, charitatem etiam tuam qua passus es, offero tibi pro peccatis meis, et pro peccatis totius mundi. Per hæc omnia te obsecro, Christe Jesu, ut in his me purges atque purifices, ut post hanc vitam absque dilatione ad te ingredi merear in gaudium tuum. Quidquid autem hic me pati volueris, da mihi desideranter et cum gratiarum actione pati, in gloriam et honorem tuum sempiternum. Amen.

Ad Vesperas.

Procide ad genua et peccata tua recolens, ingemisce et dic: *Deus, propitius esto mihi, etc.* Deinde septies Deum adora, ut sequitur:

Adoro te, clementissime, etc. pro depositione Corporis tui de Cruce. 1.

Adoro te pro planctu et luctuosa tristitia Matris et amicorum super te. 2.

Cum his plangentibus, plange tu quoque Christum adorans, gratias agens et dicens:

Adoro te pro omnibus et singulis doloribus ac pœnis singulorum omniumque membrorum tuorum mei causa toleratis. 3.

Adoro te pro singulis vulneribus, livoribus, plagis, verberibus tumoribusque propter me perpessis. 4.

Adoro te pro singulis quibusque guttis sacrosancti Sanguinis tui, omnium atque singulorum vulnerum pro me fusis. 5.

Versus pro memoria.

De Cruce plangitur, hinc pœnas, et vulnera, Sanguis.

Adoro te pro internis doloribus, tristitiis, pressuris, compassionibus, lacrymis, gemitibus atque suspiriis pro me toleratis. 6.

Adoro te pro laboribus, fatigationibus, itineribus, improperiis, convitiis, mei amore perpessis, simulque pro beneficiis omnibus in utraque natura a te mihi exhibitis. 7

Digitized by Google

Versus infra sequitur.

Oratio pro aliis proximis tuis.

MISERICORDISSIME Jesu Christe, in omnia vulnera tua, in amantissimum Cor tuum tibi commendo me, omnesque mihi commissos ac commendatos, omnes benefactores, omnes tentatos et afflictos, omnes pro quibus orare volo aut debeo. Miserere, quæso, omnium, et da unicuique quod illi est necessarium, et quod tibi maxime placet. Amen.

Ad Completorium.

Procide ad genua, peccataque tua recolens, ingemisce et dic: *Deus, propitius esto mihi miserrimo peccatori, etc.* Deinde ter Deum adora, ut sequitur.

1. Adoro te, clementissime, etc. quod aromatibus fuisti conditus, et sindone involutus.

2. Adoro te, quod in monumentum fuisti positus.

3. Adoro te, quod recedentibus cunctis, in sepulchro fuisti relictus, et a mœstissima tua Matre desiderabunda resurrecturus exspectatus.

Pro duabus superioribus ultimis adorationibus ad Vesperas, et pro his tribus ad Completorium simul est unus versus memoriam juvans.

Tristis, cuncta tulit, unctus, sepelitur, a Matre.

Pro defunctis, precatio.

MISERICORDISSIME, Jesu, per omnia vulnera tua, per omnes guttas pretiosissimi Sanguinis tui, et per miserationes tuas infinitas obsecro te, ut plena illa immensaque virtus Passionis ac mortis tuæ in purgatorium descendat, cunctisque animabus defunctorum nunc præstet aut liberationem aut refrigerium. Amen.

Si cui alio placuerit modo hoc exercitium dividi, aut simul uno tempore continuari, juxta suam potest devotionem agere.

EXERCITIA CUJUSMODI ASSUMERE DEBEAT ANIMA QUÆVIS DEVOTA TEMPLUM INGRESSA, VEL IN EODEM JAM CONSTITUTA

Quando ad templum veneris, humiliter reverenterque, detecto capite in genua procidens, Dominum Deum, creatorem et sponsum tuum suppliciter adorato, et dicito:

DOMINE sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, propter tuam largitatem, et Filii tui, qui pro me sustinuit amarissimam Passionem et mortem, et Matris ejus, hujusque beati N N. *(nomina hic patronum tuum et patronum templi)* excellentissimam sanctitatem, et omnium Sanctorum merita, concede mihi ingratissimo peccatori, et omni beneficio tuo indigno, ut te solum diligam, tui amore semper ferveam, tuum honorem semper sitiam, beneficium Passionis Filii tui continue in corde meo habeam, meam miseriam recognoscam, et ab omnibus conculcari et contemni cupiam. Nihil me afficiat nisi tu: nihil me contristet nisi culpa. Amen.

Quando inspicis crucifixi imaginem humili mente dicito:

O DULCISSIME Jesu Christe, cor meum tuis vulneribus saucia, et tuo Sanguine inebria mentem meam, ut quocumque me vertam, semper te videam crucifixum, et quidquid aspexero, tuo Sanguine mihi appareat rubricatum, ut sic in te totus tendens, nihil præter te valeam invenire, nihil nisi tua vulnera valeam intueri. Hæc sit consolatio mea, tecum, mi Domine, vulnerari, tecum despici, et tecum pati. Hæc

Digitized by Google

sit mihi afflictio, extra te consolari, aut sub te aliquid meditari. Non quiescat cor meum, bone Jesu, donec inveniat te centrum suum, ubi cubet, ubi suum terminet appetitum. Amen.

Alia aspiratio ad idem.

Scribe, queeso, misericordissime Jesu, vulnera tua in corde meo, pretiosissimo Sanguine tuo, ut in illis legam dolorem pariter et amorem tuum, et vulnerum tuorum memoria jugiter in secreto cordis mei permaneat, ut dolor compassionis erga te in dies in me excitetur, et ardor dilectionis tuæ omni hora magis in me accendatur. Da quoque ut omnis creatura mihi vilescat, et tu solus cordi meo dulcescas. Amen.

Quando inspicis Crucifixi imaginem.

O dulcissime Jesu Christe, cor meum tuis vulneribus saucia, et tuo Sanguine inebria mentem meam, ut quocumque me vertam, semper te videam crucifixum, etc.

Antequam egrediaris templum, aut sero, quasi valedicturus Domino, aut alio tempore in die, quinque accipe venias seu genuflexiones, et sexto adora Dominum Deum.

Venia et oratio prima sit confessionis.

Misericordissime Domine Jesu Christe, confiteor tibi omnia mea et universa mundi peccata, quibus te unquam offendimus, obsecroque te per innocentissimam mortem tuam, parce nobis, et tribue nobis perfectissima contritione indesinenter ex toto orde lugere, integreque confiteri omnia peccata nostra. Amen.

Venia et oratio secunda, actionis gratiarum.

Benignissime Jesu, pro omnibus et singulis beneficiis, tam mihi quam cuilibet creaturæ exhibitis, aut unquam a te exhibendis, gratias ago et benedico te, Deus meus : imo toties tibi gratias ago, quot tua sunt beneficia, et quot creaturæ. Amen.

Venia et adoratio tertia, oblationis.

Clementissime Jesu, ego offero tibi omnes virtutes et merita sanctissimæ vitæ et Passionis tuæ, sed et beatissimæ Mariæ Matris tuæ, atque omnium Sanctorum et electorum tuorum in suavissimum Cor tuum, et per idem Cor Patri tuo pro me, et pro omnibus hominibus tam vivis quam defunctis. Amen.

Venia et oratio quarta, resignationis.

Amantissime atque fidelissime Jesu, Domine Deus meus, meipsum et omnia quæ intra me et circa me sunt, et creaturas tuas omnes et singulas tibi nunc offero atque resigno in beneplacitum tuum, ut nobiscum facias quidquid et quomodo tibi Creatori nostro maxime placet. Amen.

Venia et oratio quinta, obsecrationis.

Piissime Jesu Christe, obsecro te per dulcedinem Cordis tui, ut me et alios quoscumque homines impleas maxima, ardentissima perpetuaque charitate, qua facias, ut unusquisque honorem tuum sitiat, et ita se in omnibus habeat atque coram te sit, et perseverando in gratia tua crescat, quantum et quomodo sanctissimæ tuæ voluntati placet. Amen.

Venia sexta est adorationis.

O Creator et Salvator mundi Jesu Christe, Deus meus et omnia. Ecce quot creaturæ tuæ sunt a te conditæ, aut condendæ, et quot beneficia tua sunt creaturis tuis a te exhibita et exhibenda, toties in persona omnium et singularum adoro, laudo et benedico te, et pro omnibus ac singulis gratias ago tibi nunc et semper. Misericordia, gratia, benedictio tua sit super nos in æternum. Amen.

Digitized by Google

EXERCITIA ASPIRATIONESQUE INTER EDENDUM ASSUMENDA

Ante prandium, aspiratio.

DOMINE Jesu Christe, in unione amoris quo hæc mihi commoda præstitisti, et eisdem olim in terris propter me uti voluisti, da mihi eadem tali gratitudine, timore ac temperantia sumere, ut tibi sit gloria, mihi vero ac omnibus quibus ministras, et per quos ministras, salus proveniat sempiterna. Amen.

Inter edendum aspiratio.

AMOR tui, dulcis Jesu, cor meum repleat et inebriet, ut extra te nihil concupiscam, nil videam, nihil me afficiat, nihil delectet, nisi tu. Tu solus mihi placeas, tu solus sis desiderium meum, tu solus gaudium, refectio et delectatio mea. Amen.

Inter comedendum, aspiratio altera.

MISERICORDISSIME Jesu, miserere, quæso, omnium qui inedia, frigore, tristitia, seu alia quavis pressura corporis vel cordis affliguntur, da eis fidem, patientiam et consolationem salutarem, ut fiat illis dulce ac suave, quidquid adversi in hoc seculo ferunt.

Domine Jesu, tu respice in auxilium eo-
Ps. IX, 14. rum, *quoniam tibi derelictus est pauper, et orphano tu eris adjutor*. Tu solus es, qui laborem et dolorem consideras. Amen.

Hic adde Orationem dominicam et Salutationem angelicam pro omnibus tentatis et afflictis, prout te senseris affici.

Sic orabat S. Gertrudis inter edendum.

VIRTUS tui divini amoris incorporet me totum tibi, amantissime Jesu Christe. Amen.

Ad potus quemlibet haustum, aspiratio.

VIRTUS igniti amoris tui, dulcissime Jesu, me totum, quæso, in te rapiat et absorbeat, et carnalis concupiscentiæ æstum sitimque inanis gloriæ omnem penitus in me exstinguat. Amen.

Ad quemlibet haustum aspiratio item altera.

EFFECTUM charitatis tuæ, quæ tam potenter in intimis tuis prævaluit, ut eam continere non posses, transfunde, amantissime Jesu Christe, in viscera animæ meæ, penetretque totam substantiam meam, omnes vires, omnes potentias, omnesque sensus corporis et animæ meæ ad laudem et gloriam tuam æternam. Amen.

Post prandium sive cœnam, pro omnibus defunctis, precatio.

DULCISSIME, benignissime, amantissimeque Jesu Christe, non est virtus in me ulla aut aliquod meritum, nec habeo quod pro me aut aliis allegare queam ut a te exaudiar : sed est miseratio tua infinita, Passionisque tuæ efficacia immensa, propter quas non decet te inexorabilem esse. Rogo te igitur per pietatem et misericordiam tuam infinitam, ut Sanguinis tui virtus in eos qui in purgatorio detinentur captivi, descendat, atque eorum omnium pœnas et cruciatus refrigeret. Amen.

Digitized by Google

EXERCITIA ASPIRATIONESQUE INTER OPERANDUM, VEL EXTERIUS NATURAM EXERCITANDUM

Antequam operis quidpiam inchoes, institutio brevis.

Ante omnia quæ incipere debes, observa semper, ut animum tuum leves ad Deum, dirigendo intentionem ac voluntatem tuam ad ejus gloriam ac beneplacitum. Potes etiam dicere hoc modo orando :

VENI, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et ignem tui amoris
Ps. LXIX, 2. in eis benigne accende. Amen. *Aut :* Deus in adjutorium meum intende, Domine ad
Ibid. XXXVII, 23. adjuvandum me festina. *Item :* Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ. *Item :* Dulcis Jesu Domine Deus meus, da mihi hoc opus perficere secundum beneplacitum tuum et in gloriam tuam. *Item :* In unione charitatis illius, qua opus redemptionis nostræ, id est, salutis, in medio terræ operatus es, commendo tibi, Domine Deus meus, hoc opus et omnia studia mea.

Si quid inter actuum tuorum studia bene maleve acciderit, dic :

Ibid. XXI, 20. DEUS meus, ne elongeris a me, Deus meus, in auxilium meum respice.

Quando cæperis operari? dicito :

DULCISSIME Jesu, in unione omnium laborum et sudorum tuorum, et in unione charitatis tuæ, qua pro nobis labores suscepisti, et triginta tribus annis tolerasti, offero tibi labores et omnia opera mea.

Bone Jesu, hunc laborem meum tibi gratum faciant omnium electorum tuorum labores ac studia pro tui amore gesta, quæ, quæso, cuncta in suavissimo Corde tuo simul unita, tibi et per te Patri tuo offero in gloriam tuam. Amen.

Quando vis legere, aut lectionem audire aliquam, ex istis aspirationibus aliquam præmittas, dicendo :

JESU dulcissime, *da mihi intellectum et scrutabor legem tuam,* et custodiam illam in toto corde meo. *Ps.* CXVIII, 34.

Illumina cor meum, ut sciam, velim et faciam quod acceptum coram te sit omni tempore.

Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es. *Ibid.* CXLII, 10.

Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, quæ intellectum meum illuminet, cor meum purificet, et affectum meum inflammet, ad cognoscendum et amandum te Dominum Deum meum in omnibus et super omnia. Amen. *Sap.* IX, 4.

Post lectionem vel bonam inspirationem, dicito :

CLEMENTISSIME Pater, per unigenitum Filium tuum obsecro te, da mihi gratiam et virtutem, hanc inspirationem, si a te fuerit, et omne beneplacitum tuum perficiendi.

Si quando pulchrum delectabileve aliquid cernis, converte cor tuum ad contemplandam pulchritudinem et bonitatem Conditoris tui, et orato, dicens:

O BONITAS et pulchritudo Creatoris mei incomparabilis, trahe cor meum in admirationem et amorem tui. O si hæc aut aliqua alia creatura tam pulchra est, quam pulcher, quam bonus, quamque suavis es tu Conditor omnium Deus meus? Utinam nihil me unquam delectet, nihil placeat quam tu. Utinam tu solus cor meum possideas, sisque semper unicum gaudium,

Digitized by Google

consolatio et requies mea. Dulcis et amabilis Jesu, fac ut omnis creatura mihi vilescat, omnia mundana mihi amarescant, et tu solus dulcescas. Fac ut in creaturis singulis aliud nihil videam, nihil inveniam, nihil sentiam præter te. Omnia te mihi loquantur, omnia te mihi prædicent, omnia te mihi laudent, omnia me in amorem tui rapiant et inflamment. Ah Deus meus et omnia, imple cor meum, ut extra te omnibus mortuus sim, et in te solo vivam. Amen.

Si quando novum aut mirabile vides aliquid, dicito :

Domine Deus noster, Creator et gubernator omnium, te laudent et majestatem tuam prædicent omnes creaturæ, quia ex te omnia sunt et in te omnia tendunt. Tibi ergo sit honor, laus et gloria ex omnibus creaturis.

O utinam digna fiat anima mea omni momento tuam præsentiam sentire, et castissimo perpetuoque amplexu ferventissimi amoris reverenter ac inseparabiliter te constringere. Amen.

Quidquid occurrerit vel non occurrerit, in laudem Dei ita convertas, dicendo :

Quoties hoc mihi occurrerit aut non occurrerit, o Deus immense, o amator fidelissime, toties innumerabiliter et in infinitum sæpius beatorum Spirituum agmina, mille millia, et decies millies centena millia te ex me salutent, et Sanctorum omnium ferventia desideria pro me tibi supplicent, et creaturarum omnium decor et venustas meo nomine te honorent et laudent. Amen.

Videndo pulchra, cogita hæc omnia, et pulchriora esse in cœlo. Videndo horribilia, cogita hæc omnia, et horribiliora esse in inferno.

Quando oblectat serenitas aeris, aut quando prata aut hortos contemplaris, dicito :

O Lumen indeficiens, omni jucunditate plenum, Deus meus, omni decore pulchrior, omnique amœnitate suavior ! Heu me miserrimum, quod cor meum variis, multis, et abs te alienis rebus est occupatum et inquinatum. Omnia te loquuntur, et ego te neque sentio, neque adverto. Domine Deus meus, omnia quæ fecisti in cœlo et in terra, tua sunt, et bona sunt : sed tu optimum, summum et infinitum bonum es. Propter nos tu omnia fecisti, ut omnipotentiam, sapientiam et bonitatem tuam nobis monstrares.

Ah utinam omnes creaturæ tuæ et sensibilia cuncta vulnerent cor meum tui amore, ut anima mea ad te indesinenter aspiret. Insinua te cordi meo Deus meus, ut omnes vires, omnes sensus, et intima cuncta animæ meæ in te amore liquescant, in te fluant et absorbeantur.

Quam serenus est hic dies. At, bone Jesu, nisi tua in nobis lux luceat, quid nobis de sole hoc sensibili ? Fac igitur, ut omnes tenebræ a nobis expellantur, et urat nos æstus tuæ ferventissimæ charitatis. Amen.

Videndo hortum, flores et arbores, aspiratio.

Bone Jesu, quam multa sunt hic consolationem, instructionem, profectum, et admirationem excitantia, omnia a te nobis data : a te, inquam, potentissimo, altissimo, immenso, nobis vermiculis et ingratis. Fac igitur, piissime Jesu, ut nihil nos a te abducat, sed omnia nos hinc ad te trahant. Amen.

Videndo amœna, aspiratio.

Jesu bone, infinita sit tibi laus et gratiarum actio, qui tot et tanta creasti et dedisti nobis, non solum ad sustentationem sed etiam ad consolationem, pro immensa tua ad nos dilectione. Dulcis Jesu, utinam ad te suspirent, ad te currant, in te fluant, in te stabiliantur, et in te quiescant omnia vota et desideria nostra. Amen.

Digitized by Google

Quando vides ignem, aut sentis calorem, aspiratio.

O Domine mi Jesu Christe, o amor semper ardens et nunquam deficiens, usquequo frigidus manebo? quousque meam tepiditatem tolerabis? Ah, quando diligam te ex omnibus viribus et medullis animæ meæ? Ah, utinam charitatem et bonitatem tuam perfecte cognoscerem. Ah, utinam cor meum amoris tui ignea sagitta ita transfodiat, ut amoris tui vulnus in me semper renovetur, et in dies dilatetur. Utinam cor meum jugi incendio amoris conflетur, et cordi tuo uniatur, ut omnis amor alius peregrinus in me exstinguatur. Amen.

Quando beneficii aliquid accipis, dicito:

Benignissime Domine Deus meus, gratias ago tibi pro amore tuo erga me ingratissimum et vilissimum peccatorem plus quam paterno, unde hoc et alia infinita tua beneficia prodeunt. Fac igitur, quæso, pie Deus, me tibi fidelem, ut te solum quæram, tuum honorem sitiam, cuncta in gloriam tuam referam: mihi vero nihil nisi peccata mea tribuam, in te solo delecter et requiescam. Amen.

Alia ad idem aspiratio.

Dulcis Jesu, præsta ut in unione hujus charitatis qua nos diligis, hoc dono utar secundum beneplacitum tuum, et ad gloriam tuam. Amen.

Quando aliquid honoris tibi offertur, aut alio tempore quandocumque vis, aspiratio.

O infinita Bonitas, Domine Deus meus, tibi soli sit honor et gloria, mihi nihil debetur nisi confusio et despectio. Rogo tamen te, piissime Jesu, ne tu me abjicias, sed facias ut fideliter tibi semper inhæream, ut extra te in nulla re consolationem recipiam. Tu enim es Deus meus, ego vero sum pulvisculus terræ, et prorsus nihil. Nihilominus, quia creasti me, amas quod fecisti. Facias igitur ut et ego amem te, Deus meus, Creator meus, ex intimis medullis animæ meæ. Amen.

Quando laudaris, aut quando vana gloria pulsaris, aspiratio.

Non mihi, Domine Deus meus, sed nomini tuo sit gloria et laus sempiterna ab omni creatura. Amen.

Item ad idem aspiratio.

Hunc honorem tibi offero, Domine Deus meus, in unione illius honoris, quo te colit cœli curia et universus orbis. Amen.

Item ad idem aspiratio.

Te decet laus, te decet hymnus, tibi gloria Deo Patri et Filio cum Sancto Spiritu in secula seculorum. Amen.

Exiturus inter homines, commenda te Deo hoc modo, et dicito:

Amantissime Jesu, omnes sensus et vires animæ meæ, omnia membra corporis mei totumque cor meum commendo tibi, et hæc custodienda, regenda ac servanda recondo in vulnus illud gratiosissimum et fidelissimum Cordis tui, ut ibi tu ab omni peccato, ab omni delectatione et affectione vitiosa me præserves, et velle et nolle, quiescere et operari meum in te concludas ac perficias, omniumque actuum et cogitationum mearum sis tu principium, intentio et finis.

Dulcis Jesu, da mihi perfectissima abnegatione meiipsius, vestigia sacrosanctæ vitæ tuæ devotissime et perfectissime imitari, et in omnibus beneplacito tuo conformari. Amen.

Cum reverteris ab occupationibus aut conversatione hominum ad quietem et silentium cordis, dicito:

O amator amabilissime, unica consolatio et requies animæ meæ, nunc omni creaturæ abrenuntio, et ad te, dulcissime Jesu, me converto, teque omni desiderabili præeligo: suscipe et posside me per gratiam tuam, trahe me in te, et fac ut inavertibiliter inhæream et quiescam in te. Amen.

Digitized by Google

PARS TERTIA

COMPLECTENS IN SE UTI HORÆ, QUAS VOCANT CANONICAS, SINT A CUNCTIS ECCLESIÆ DEI MINISTRIS PERSOLVENDÆ : QUA ITEM RATIONE EÆDEM POSSINT AD D. N. JESU CHRISTI REFERRI VITAM PASSIONEMQUE.

ANTE HORARUM INITIUM PRECATIONES

Prima.

APERI, Domine, os meum ad benedicendum nomen sanctum tuum, et munda cor meum a vanis, noxiis et perversis cogitationibus, ut exaudiri merear ante conspectum divinæ Majestatis tuæ. Amen.

Secunda.

DOMINE Jesu Christe, da mihi gratiam, ut hanc horam devote persolvere possim, in unione illius amoris, quo tu in hoc mundo Patri tuo cœlesti laudes divinas persolvisti. Amen.

Tertia.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui nos cum nihil essemus de nihilo creasti, cum perissemus, misericorditer redemisti, rogo te per incommutabilem Majestatem tuam, suscipe has laudes et orationes, quas tibi nunc et omni tempore dicturus sum, in illa unione charitatis, qua unigenitum Filium tuum misisti in uterum Virginis Mariæ, eumque patientem et morientem in Cruce suscepisti. Amen.

Quarta.

PIISSIME Domine Deus, præsta mihi has horas attente, intente et devote persolvere, ad laudem et gloriam divini nominis tui, ad meam salutem, proximorum profectum et utilitatem, secundum sanctæ Ecclesiæ intentionem et meam professionem, et ad animarum quæ in purgatorio sunt gaudium et consolationem. Amen.

Quinta.

O JESU vigilantissime animarum pastor, ea, quæso, sollicitudine ac vigilantia, qua charissimos tuos discipulos tristitia et mœrore oppressos in oratione fovisti, me quoque misericorditer fovere dignare, ac omnem somnolentiam et teporem ab oculis meis procul abige, quo toto cordis affectu preces meas tibi exsolvere, sineque intermissione te laudare, honorare et proximos meos ad te laudandum incitare possim. Non obruat me, Domine Deus meus, vitiorum somnus dum divinas tuas decantare debeam laudes, sed tuæ charitatis flamma vehementer me inflammet, ut in divino tuo conspectu, omniumque Angelorum ac beatorum spirituum præsentia, reverenter, devote ac pie me geram, cor ad te semper sublevando, oculos ab omni evagatione continendo, linguam a vaniloquio custodiendo, totumque spiritum meum in te refundendo. Amen.

EFFUSIONES CORDIS, AD SEPTEM HORAS CANONICAS ACCOMMODANDÆ

Ad Matutinas, brevis effusio cordis.

DOMINE Jesu Christe, amator fidelissime, en offero tibi charitatem illam patiendique desiderium, quo inimicis tuis ultro te obvium capiendumque præbuisti. En offero tibi vincula, verbera, improperia, convitia, blasphemias, alapas, sputa, colaphos aliaque ignominiosa multa, quæ in domibus Annæ et Caiphæ per totam

Digitized by Google

noctem passus es, quando a Juda traditus, a Petro ter negatus, a Scribis et Phariseis damnatus, a vilissimis quibusque velatus et illusus es.

Pro his aliisque omnibus ac singulis, et pro immensa charitate tua qua nos diligis, amantissime Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te et gratias tibi ago, meque totum in honorem ac beneplacitum tuum offero, orans ut gratia tua me repleat, quæ peccata omnia in me deleat, privatum amorem ac vita cuncta mortificet, omnesque sensus, cogitatus atque affectiones meas purificet, in te trahat, stabiliat atque concludat. Amen.

Ad Primam, effusio cordis brevis.

O Domine Jesu Christe, en offero tibi omnem illam ignominiam ac contumeliam, quam pro me passus es, quando mane a Judæorum senioribus ad mortem damnatus, vinctus, consputus, ad Pilatum, ad Herodemque ducebaris et reducebaris, accusabaris et tacebas; spernebaris, probrosaque veste illudebaris et sustinebas.

Eia, misericordissime Jesu, omnia verbera omnemque pœnam, omnes injurias atque blasphemias offero tibi, et pro omnibus his te adoro, laudo, benedico et gratias tibi ago, obsecrans te per immensam bonitatem tuam, infunde cordi meo perfectissimam humilitatem, qua omnem gloriam et honorem detester et fugiam, propriam cognoscam vilitatem, meipsum despiciam, meique contemptum diligam. Dulcis Jesu, fac ut cupiam ex animoque gaudeam nesciri, despici, vilis æstimari atque contumelias pati. Amen.

Ad Tertiam, effusio cordis.

O Domine Jesu Christe, en offero tibi pudicissimi corporis tui nudationem, innocentissimamque illam Cordis tui verecundiam, simulque acerbissimos quosque et corporis dolores et Cordis tui angustias, quando circa horam tertiam toto corpore nudatus ad columnam ligabaris, flagellabaris, vulnerabaris, ac subinde veste coccinea amictus, spinis coronabaris, salutabaris, adorabaris, intereaque conspuebaris, alapis et arundine cædebaris. Atque sic illusus, sic miserabiliter vulneratus, sic afflictus et sanguine ac sputis fœdatus, tandem populo spectandus producebaris: a quo dum magno furore ac invidia ad crucem es postulatus, latrone dimisso ante tribunal statuebaris, damnabaris, et ad calvariæ locum bajulans tibi crucem educebaris. Ubi Matre quoque occurrente, amicis flentibus, inimicis insultantibus, trahebaris, subsannabaris ac impellebaris, donec deficientibus viribus inter verbera et cruenta vestigia, inter gemitus et suspiria, ante oculos Matris sub cruce corruisti.

Eia, misericordissime Jesu, omnia opprobria et derisiones, omnesque acerbos gressus pedum tuorum, inter amara exprobrantium verba et verbera, omnem livorem et dolorem corporis tui offero tibi. Et pro his omnibus gratias tibi ago, teque adoro, laudo, et benedico obsecrans te per effusionem benedicti Sanguinis tui, et per immensam charitatem qua nos diligis, da mihi perfectissimam patientiam patiendique desiderium, ut in omni adversitate et contumelia, in omni dolore ac pressura, te laudem, tibi gratias agam, meque tibi ex abysso cordis mei, in perfecta abnegatione meiipsius, relinquam, et in omne beneplacitum tuum offeram. Amen.

Ad Sextam, cordis effusio.

O Domine Jesu Christe, en offero tibi nudationem vulnerati corporis tui, dolorumque et vulnerum renovationem, extensionem membrorum, crucifixionem manuum ac pedum, nervorum quoque ruptionem, compagum solutionem et effusionem pretiosi Sanguinis tui, quæ omnia et complura alia tu, amantissime Jesu, circa horam

Digitized by Google

sextam passus es in Cruce in Calvariæ loco, quando inter latrones elevatus, a prætereuntibus et exprobrantibus despectus, ab uno latronum objurgatus, ab altero pro venia rogatus, pro inimicis Patrem orabas, reo pœnitenti paradisum promittebas, Matremque sub Cruce stantem et mœrore tabescentem discipulo commendabas.

Eia, misericordissime Jesu, pro omnibus his pœnis, gemitibus, tristitiis, pressuris atque cruciatibus, tam externis quam internis, adoro, laudo et benedico te et gratias ago tibi, obsecrans te per singulas guttas rosei Sanguinis tui, non sinas me separari aut averti a te, sed crucifige in me quidquid est crucifigendum, et clavis ardentissimæ charitatis vulnera atque constringe me. Fac ut oculis, imo omnibus sensibus meis nunquam desit memoria et imago dolorosæ hujus crucipendentiæ tuæ, quæ cor meum sauciet, inebriet, absorbeat atque in te pœnitus transformet. Amen.

Ad Nonam, effusio cordis.

O Domine Jesu Christe, en offero tibi lamentabilem illam Cordis et omnium membrorum tuorum angustiam, pressuram atque derelictionem, quando omni consolatione destitutus, pœnis quibuslibet undique aggravatus pressuris cunctis totus expositus, totus vulneratus, totus abjectus, et quasi leprosus atque percussus a Deo, virorumque omnium novissimus, neque speciem habens, neque decorem, a planta pedis usque ad verticem capitis, non habuisti in corpore tuo ubi esset sanitas : sed Cruci immobiliter affixus, omni consolatione destitutus, circa horam nonam, lugentibus etiam elementis, ad Patrem, *Eli, Eli, lamma sabacthani,* clamabas, et vehementi siti æstuans, atque idipsum clamando indicans, ne guttam quidem aquæ recipiebas : sed inter lacrymas, dum valido clamore te Patri offerens commendasti, inclinato capite spiritum emittebas.

Eia, suavissime Jesu, per omnes plagas, vulnera, dolores et livores tuos, per amarissimam mortem et vivifici Cordis tui ruptionem, per animæ tuæ sanctissimæ a corpore separationem, per transfixionem lateris et apertionem Cordis tui, et per Sanguinis et aquæ emanationem, per victoriosam quoque obedientiæ tuæ ac vitalis triumphi consummationem, pro quibus adoro, laudo, benedico te et gratias ago, obsecro te, ut mundo et omnibus concupiscentiis, vitiis atque quibuscumque inordinationibus, quæ tibi non placent, moriar, et tibi soli vivam, te solum sentiam, tibi soli inhæream, tibi soli merear conformari, tibi soli perpetuo ac inseparabiliter uniri. Amen.

Ad Vesperas, effusio cordis.

O Domine Jesu Christe, en offero tibi nunc flebilem illam corporis tui depositionem de Cruce, Matris in sinum te suum recipientis angustiam atque mœrorem, amicorumque lugentium tristitiam.

Pro quibus omnibus adoro, laudo et benedico te, et gratias ago tibi, oroque te, Domine Deus meus, infunde cordi meo perfectissimam humilitatem ac mansuetudinem, patientiam, mititatem, compassionem et perfectissimam ad omnes homines, præsertim ad inimicos, exuberantem charitatem, et fac ut anima mea de corpore egrediens, per merita Passionis tuæ, perque cunctas miserationes tuas, inveniatur tota pura et immaculata, tota tibi reconciliata, tota tibi placens et accepta, ad tua gaudia e vestigio egressura. Amen.

Ad Completorium, effusio cordis.

O Domine Jesu Christe, offero tibi nunc mœstam illam sepelitionem corporis tui, aromatibus conditi atque sindone involuti, tristemque amicorum cum Matre reditum, amatricis tuæ Magdalenæ pietatem et gemitum, Matris tuam Resurrectionem

Digitized by Google

certa fide exspectantis æstuans desiderium, sanctorumque interea in limbo post infinita suspiria ex tua præsentia gaudium, exultantemque triumphum atque egressum.

Pro quibus omnibus te adoro, laudo et benedico, tibi gratias ago, teque per tuam bonitatem obsecro, ut universæ tuæ miserearis hæreditati, quam tuo pretiosissimo Sanguine redemisti : largiaris Ecclesiæ tuæ reformationem et pacem, viventibus tui amorem atque salutem, defunctis requiem, et omnibus nobis hic gratiam, et post hanc vitam miseram, vitam beatam et sempiternam. Amen.

Sero in crepusculo fineque diei, precatio.

O Domine Jesu Christe, en offero tibi omnem vitam tuam innocentissimam sanctissimamque, laboribus et ærumnis attritam, virtutibusque plenam. En offero tibi cœnam nunc illam typicam, qua legi obediens, et ad patiendum pro nobis fervens, simulque nobis exemplum imitandi ac monumentum te recolendi diligendique relinquens, discipulorum pedes lavisti, Corporis et Sanguinis tui Sacramento refectionem nobis instituisti, et post sermonem dulcissimum atque amore plenum, quo discipulos confortasti, ad hortum egrediens, tristari usque ad mortem et pavere cœpisti.

Eia, amantissime Jesu, per trinam illam orationem tuam in monte Oliveti, per moriendi pavorem simul ac desiderium, per Cordis tui angustiam atque pressuram, per exuberantem totius corporis tui sudorem sanguineum, pro quibus te adoro, laudo, benedico, tibique gratias ago, offero et commendo me tibi, omnesque qui mihi commendati sunt, et pro quibus orare debeo aut cupio, orans ut nos facias omnes secundum beneplacitum tuum, quomodo maxime tibi placuerit nos esse. Amen.

AD HORAS CANONICAS SEPTEM, PRECATIONES ITIDEM SEPTEM PIÆ JUXTA AC DEVOTÆ

Ad Matutinas.

Ea quæ Christus pro nobis sustinuit offeruntur illi denuo per suum piissimum Cor pro nostris malefactis.

Piissime Jesu Christe, adoro, laudo, benedico et gratias ago immensæ Majestati tuæ, quod tam innumera pro me incommoda, labores, corporis fatigationes, famem, sitim, æstum, frigus et ejusdem generis afflictiones sustinere non es dedignatus, offerens eadem tibi omnia per piissimum Cor tuum in unione ejusdem charitatis tuæ, qua ea perpeti non recusasti pro peccatis meis ac totius mundi delictis. Amen.

Ad Primam horam.

Pro charitate promptitudineque implendi Dei in cunctis beneplacitum.

Amantissime Domine Jesu Christe, ardor ille charitatis, qui te, ut errantem me quæreres, perditumque salvares, fecit incarnari, laborare, in oratione pernoctare, prædicare, pati ac mori, ardeat in me, quæso, semper, urgeatque me, ut in omne beneplacitum tuum promptus, alacer atque devotus inveniar, et omne tempus omnesque vires meas in tuam gloriam expendam. Amen.

Ad horam Tertiam.

Pro flexibilitate cordis humani, ac imitatione christiformium virtutum.

Adoro te, Domine Jesu Christe, qui nobis in teipso, et bene vivendi normam et omnium exemplar virtutum præbuisti. Erga omnes enim, quamlibet viles et miseros, quam eras, pie Jesu, misericors, quam mitis, quam benignus, quam humilis, quam charitate plenus. Frange igitur,

Digitized by Google

quæso, cordis mei duritiam, et fac me tuas virtutes imitari, tuæque me studeam semper voluntati in omnibus conformare. Amen.

Ad horam Sextam.

Pro contritione paupertateque spiritus.

Domine Jesu Christe, quamvis Rex gloriæ, universitatis Dominus, Filiusque sis Dei Patris, quamvis infinita cunctisque incomprehensibilis sit Majestas tua, tamen despici, illudi, hominum opprobrium et ignominia fieri, latronibus sociari, cumque eisdem damnari pro me dignatus es, infunde, quæso, mihi jugem veramque contritionem et paupertatem spiritus, qua meipsum sancto odio contemnam, te vero semper et super omnia et in omnibus exaltem, colam ac diligam. Amen.

Ad horam Nonam.

Pro patientia in adversis.

Benigne Jesu Christe, pro doloribus, pœnis, cruciatibus omnibus, pro vulneribus quoque tuis singulis, adoro, laudo, benedico te atque gratias tibi ago, quia propter me eadem sustinuisti : obsecrans te per infinitam misericordiam tuam, ut hæc omnia pro peccatis omnibus, proque totius mundi iniquitatibus suscipias, et patientiam mihi inter omnia adversa perfectissimam infundas. Amen.

Ad Vesperas.

Pro fide, spe et charitate adipiscendis.

Dulcissime Jesu Christe, omnes tristitias, dolores, afflictiones, omnes quoque compassiones ac gemitus cordis tui internos, offero tibi pro peccatis meis, et eadem contra omnem tristitiam inordinatam, contra timorem et pusillanimitatem meam tibi exhibeo : orans ut hæc auferas a me, mihique spem, fidem charitatemque, quibus tibi inavertibiliter inhæream, infundas. Amen.

Ad Completorium.

Pro virium corporis ac animæ in Dei laude et obsequio impensione.

Misericordissime Jesu Christe, qui vulneribus atque livoribus propter me adeo fuisti repletus, ut a planta pedis usque ad verticem capitis, nulla in te fuerit sanitas : quique Sanguinem tuum universum pro mei redemptione tam abunde tamque copiose effudisti, ut veluti arefactus ex solis ardore appareres : per has singulas Sanguinis tui nobilissimi guttas, te obsecro, ut omnes vires animæ et corporis mei, omneque tempus vitæ meæ facias me expendere in laudem, gloriam ac supremum beneplacitum Cordis tui, dulcis Jesu, qui es benedictus in secula. Amen.

Post Horarum canonicarum persolutionem ad Deum, pro negligentiarum expiatione, precatio.

Gratias tibi ago, omnipotens sempiterne Deus, quod me indignum et flagitiosum peccatorem ad tuum servitium nullis meis meritis, sed sola dignatione tua vocare dignatus es. Rogo te per dolorem vulnerum Domini nostri Jesu Christi unigeniti tui, et per sanctissimi Sanguinis ejus effusionem ac innocentissimæ mortis virtutem, suscipe hoc sacrificium servitutis meæ, licet multis negligentiis et vitiis inquinatum, in unione illius gratissimæ tibi charitatis, qua semetipsum idem Filius tuus Dominus noster Jesus Christus obtulit holocaustum in Cruce pro nobis, ad gloriam Majestatis tuæ, pro peccatis meis, pro Ecclesia tua sancta, pro animabus in purgatorio, et pro quibus teneor vel intendere debeo : et concede mihi ut in veritate te perfecte diligam, et in virtutibus in dies proficiam, et in servitio tuo semper devotior, alacrior, fidelior et magis strenuus inveniar. Ad quod obtinendum benedicat me omnipotentia Patris, instruat me sapientia Filii, repleat me dulcedo Spiritus Sancti, attrahatque me

Digitized by Google

divina gratia, et uniat me secum sine fine. Amen.

Post Horarum canonicarum persolutionem, ad beatissimam Virginem Mariam antiphona.

O FLOS florum, o domicilium virtutum, o electissima mulierum, beata Virgo Maria, cujus solius commercio fragilitas humana invenit aditum resurgendi. Admitte preces nostras intra sacrarium exauditionis tuæ, et reporta nobis gratiam reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus. Accipe quod offerimus. Impetra quod rogamus, quia nec potentiorem meritis ad placandam iram judicis invenimus, quam te, quæ meruisti Mater existere ejusdem Redemptoris et judicis.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Oratio.

CONCEDE, misericors Deus, fragilitati nostræ subsidium, ut qui sanctæ Dei Genitricis conceptionem, nativitatem, præsentationem, annuntiationem, compassionem, requiem seu dormitionem, assumptionem, beatificationem seu coronationem veneramur, intercessionis ejus auxilio, igne ardentissimæ charitatis accendamur, ut peccatis nostris tua miseratione deletis, per te mereamur cunctas tentationes vincere, mundum contemnere, in adversis gratias agere, velle pati ac despici, privatum amorem occidere, vitia mortificare, et in omne beneplacitum tuum fideliter nos tibi usque ad mortem resignare. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui dilexit nos et lavit nos in Sanguine suo, pro nobis crucifixus et mortuus, tecum in unitate Spiritus Sancti per æterna secula benedictus. Amen. *Apoc.* 1,5.

Prædictæ festivitates ita distinguendæ sunt, ut quilibet dies hebdomadæ suum proprium habeat festum; exempli gratia: feria secunda, Conceptionem: feria tertia, Nativitatem, etc. et sic per ordinem.

Efficacissima ad Jesum precatio.

O NUDA humanitas, o magnum martyrium, o virtus Sanguinis, o mortis acerbitas, o divina dulcedo Domini nostri Jesu Christi, adjuva me ad æternam felicitatem. Amen.

Leo Papa decimus, concessit remissionem omnium defectuum, in Horis canonicis humana fragilitate commissorum, omnibus hæc sequentia dicentibus.

SACROSANCTÆ et individuæ Trinitati, crucifixi Domini nostri Jesu Christi humanitati, beatissimæ ac gloriosissimæ Virginis Mariæ fecunditati, et omnium Sanctorum universitati sit sempiterna laus, honor, virtus et gloria ab omni creatura, nobisque remissio omnium peccatorum et negligentiarum per infinita secula seculorum. Et beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium: et beata ubera quæ lactaverunt Christum Dominum nostrum. Amen.

Pater noster *et* Ave Maria (*pro felici statu summi Pontificis et sanctæ Matris Ecclesiæ*), *item* Ecclesiæ et Omnipotens sempiterne Deus qui vivorum.

Digitized by Google

PARS QUARTA

COMPLECTENS IN SE EXERCITIA EFFICACIA, QUIBUS QUISQUE SESE DIGNE AD CELEBRANDUM SIVE COMMUNICANDUM POSSIT PRÆPARARE. MODUS ITEM QUOMODO MULTI SACRIFICII MISSÆ PARTICIPES FIERI POSSINT.

EXERCITIA ANTE COMMUNIONEM SEU MISSÆ CELEBRATIONEM

Effusio cordis devotissima ante Altaris accessum, ut multi sacratissimi officii Missæ participes efficiantur.

BENIGNISSIME bonorum omnium largitor, sapientissime meritorum remunerator, suffragiorumque omnium ponderator, Domine Christe Jesu : Sacrificium quod tibi hodie paupercula mea devotio, quam solus intueris et metiris, offerre constituit, dignanter non tam secundum ejusdem meæ devotionis valorem, quam secundum tuam clementiam immensam suscipito. Non pro his duntaxat pro quibus specialiter ordinatum est, verum pro me etiam, et pro his quibus ex pietate aut charitatis debito adstrictus sum. Neque enim te, qui cuncta nosti, latet, quantum hinc pro peccatis meis innumeris, illinc pro tuis debitor sim gratuitis beneficiis. Deinde quantum proximis, præcipue eis de quorum labore manuum ac vultus sudore, panem comedo ac vestior in abundantia, debeam, atque progenitoribus ac benefactoribus meis, quorum ope atque industria in hanc perveni horam. Nec desunt qui meis sese commendarunt orationibus. Sunt item qui suos mihi impartiuntur labores et orationes, et vicissitudinem a me requirunt. Postremo ipsi a me exigunt orationem, quos defraudavi, quos in fama aut rebus læsi, quos scandalizavi, quos seduxi, quos verbis aut moribus offendi. Item qui sua mihi peccata confitentur, aut quibus ego confiteor. Quo fit, ut fere totius christianæ Religionis exercitus a me debitum expostulet. Pauper itaque et miser vim patior.

Memor tamen, suavissime Domine, universarum miserationum tuarum, devotissime flagito ut tot tantisque creditoribus meis pro me respondeas, hancque Missam, et si qua alia te donante fecero beneplacita, suscipiens per suavissimum Cor tuum, in sacrosanctæ Passionis ac mortis tuæ, beatissimæque Matris tuæ et omnium Sanctorum tuorum commemorationem, atque secundum multitudinem liberalissimæ donationis tuæ, singulis, prout unicuique opus est ad salutem ac liberationem, attribuas.

Fiat hoc Sacrificium, piissime Jesu, propter infinitam bonitatis tuæ dulcedinem, qua ipsum in sancta Ecclesia esse ordinasti; propter amarissimam Passionem tuam et mortem, qua ipsum fundasti, propter ardentissimam charitatem, qua in cœna levatis oculis, gratias agens Deo Patri, ipsum instituisti, et propter merita et intercessiones gloriosissimæ Virginis Mariæ Sanctorumque omnium, fiat, inquam, hoc sacrificium Missæ mihi et singulis effectus atque fructus tam integer, ac si singulariter pro quolibet nostrum tibi offerretur. Tu enim es perditorum omnium hostia pacifica, quæ sola odoris tui suavitate Patrem tuum cœlestem nobis placare et reconciliare potes, Christe Jesu pientis-

Digitized by Google

sime. Qui cum eodem Deo Patre in unitate Spiritus Sancti vivis et regnas Deus per infinita seculorum secula. Amen.

Quæ ad cordis compunctionem faciunt, superius multa admodum ordinata sunt, ea quilibet hoc in loco exercere potest, si se ad hoc trahi sentit. Referatur quoque huc illa effusio cordis generalis, sive meditatio animi gratias agentis Deo pro beneficiis acceptis, suamque propriam indignitatem, vilitatem et ingratitudinem plangentis. Non incommode etiam ignitas illas animi aspirationes sive jaculatorias orationes ad Deum paulo ante recitatas quisque suæ posset devotioni accommodare atque ad suum quotidianum profectum inflectere ad magis digne celebrandum, sive communicandum. Sin autem maluerit quis in dominica se Passione exercere et ad digne celebrandum se præparare, Exercitia devotissima in hoc libro reperiet, quæ suo cuique loco diligenter annotavimus.

Sacrificaturus uti spiritum suum debeat colligere, intentionemque celebrandi formare.

Benignissime Domine Jesu Christe, in memoriam et gratiarum actionem sacrosanctæ Incarnationis, Passionis et mortis tuæ, in memoriam immensæ charitatis tuæ, qua misericordiam et beneficia tua super nos multiplicasti ab æterno et usque in æternum, in tui, inquam, memoriam, Deus bonorum omnium largitor, Sacrificium tibi offerre nunc cupio. Et utinam ex toto cordis mei desiderio vere id cupiam, et digne perficiam cum profundissima humilitate et reverentia, cum ardentissima devotione et stabili cordis inhærentia in te, in laudem et gloriam nominis tui, ad salutem et profectum omnium generaliter, pro quibus tu mortuus es : eorum vero singulariter, pro quibus tu orari singulariter vis, aut ego debeo.

Atque utinam, dulcissime Jesu, ne pollutus atque adeo indignus accedam, tu in tuis vulneribus laves et mundes me ab omnibus peccatis, vitiis, negligentiis, erroribus, et cæteris omnibus quibus unquam tibi displicui aut displiceo. Utinam impleas et ornes me perfectissima charitate atque omnibus virtutibus, quibus tibi placere debeo. Confirmes me in gratia tua tanta, per quam impossibile mihi fiat a te excidere, ut sic in unione illius intentionis, illius devotionis, illius puritatis, illius charitatis, quibus tu instituisti, obtulisti et offerri voluisti a nobis hoc Sacrificium, nunc tibi illud offeram, et in ejusdem unione meipsum totum in beneplacitum tuum offeram holocaustum. Inde quoque mihi et Ecclesiæ tuæ filiis eam virtutem et fructum consequar, quæ Passio tua amarissima et ignominiosa in Cruce mors contulit mundo, in cujus memoriam et veneration nem nunc ad Altare tuum accedo, et ex gratia tua, sub custodia et protectione tua, tuum auxilium, tuam directionem, tuum Spiritum Sanctum in me invocans. Qui cum Patre et eodem Spiritu Sancto vivis et regnas Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Effusio alia cordis brevis.

Domine Jesu Christe, qui universorum es conditor, omniumque bonorum largitor, en ego pauper, nudus, miser et miserabilis, multis peccatis obstrictus, multis vitiis et abominationibus inquinatus, infinitis beneficiis tuis debitor, pro multis hominibus singulariter, pro omnibus autem generaliter orare teneor. Itaque vim patiens ad te confugio, responde pro me. Tibi enim offerre cupio, suavissime Jesu, sacrificium Corporis et Sanguinis tui in gratiarum actionem, et in memoriam charitatis, Passionis et mortis tuæ obsecrans te per temetipsum, Deus meus, ut illud per Cor tuum suscipias, et Patri offeras in unione omnium meritorum tuorum, in unione perpetuæ orationis tuæ, quam facias ad Patrem pro nobis, in unione virtutis et efficaciæ, quibus operata est mors tua in Cruce, et dones mihi et universæ hæreditati tuæ tuo Sanguine redemptæ, eumdem fructum percipere, quem tu nobis operatus es, et meruisti in Cruce.

Eia, piissime Domine, præsta ut hoc sa-

Digitized by Google

crificium Missæ ita etiam tibi offeram in unione illius intentionis, illius pietatis, fervoris, devotionis, charitatis ac reverentiæ, quibus tu illud obtulisti in ara Crucis, quibus illud etiam offerendum instituisti, et a nobis offerri voluisti. Dives es in miserationibus : tua sunt omnia munera nostra, tua sunt etiam merita nostra, tua sunt præmia nostra : totum est misericordiæ tuæ, quod habemus et sumus. Parce nobis, Domine, et miserere universo humano generi, quod tu creasti, quod etiam pro nobis moriens a morte redemisti. Da unicuique sicut tu scis, potes et vis, ad gloriam tuam et omnium salutem, dulcissime ac misericordissime Domine Jesu Christe, Deus meus. Amen.

Effusio cordis item alia ante Missam, seu ante sumptionem Eucharistiæ.

Omnipotens æterne Deus, quantum erubescere debeo in oculis majestatis tuæ, qui tam deformis, tam inops, tam sordidus, tam vilis, tam miser et ingratus ad te venio, nihil mecum præter iniquitatum mearum fasciculos afferens. Et hoc cui conquerar, mi Domine, nisi tibiipsi, qui misericordissimus es, qui medicus animarum es, simulque piissimus Salvator ? Sana igitur me, clementissime Domine, in vulneribus tuis, lava me in Sanguine tuo, purifica me in miserationibus tuis infinitis. Da mihi omnia merita, omnes virtutes, omnes justitias, omnem denique decorem vitæ, Passionis ac mortis tuæ, amator ac Redemptor fidelissime. Da mihi etiam omnia merita ac virtutes beatissimæ Mariæ Virginis ac Matris tuæ, omnium Sanctorum tuorum, et præcipue quorum hodie est festivitas in regno tuo. Da mihi omnia desideria sancta, omnem devotionem ac virtutes amicorum tuorum N. N. atque omnium electorum tuorum, qui sunt in hoc mundo, quos, o pie Deus, nunc, quæso, facias tibi mecum assistere, mecum offerre, mecumque gratiæ tuæ participes fore, ne appareat in conspectu tuo ignominia nuditatis ac vilitatis meæ. Illumina, quæso, æterne Deus, visitatione tua cor meum, et omnes tenebras expelle a me. Fac me sentire cum timore ac reverentia, cum profundissima humilitate, cum ardentissimo castissimoque amore jugem præsentiam tuam, quo simul mergar in abyssum cognitionis propriæ nihileitatis et tuæ bonitatis. Inflamma cor meum, quæso, igne illo ardentissimæ ac potentissimæ charitatis tuæ, quæ te ad nos, et pro nobis ad mortem traxit. Illo igne, quæso, gloriose, benedicte et misericordissime Deus, ardeat semper cor meum, quo omnes vires, omnes potentias, omnesque motus animæ meæ in te trahas, in te absorbeas, et ut tecum perpetuo et inseparabiliter unum efficiar tu misericordissime facias. Amen.

Exercitium purgatorium quotidianum in quinque vulneribus Christi ad sacrificandum, aut ad Eucharistiam sacram sacramentaliter spiritualiterque sumendam ituro congruum.

Primo de peccatis tuis ex animo ingemisce, veniamque a Deo pete. Quod ut attentius facias, divide singula peccata in vulnera Christi, ut sequitur :

In vulnus dextri pedis Jesu pone superbiam, inanem gloriam, et hujus speciei similia peccata, in quibus agnoscis aut formidas te deliquisse. Hinc collecto spiritu atque ad Deum converso toto corde iterum ingemiscens ac pectus tundens, dicito :

Deus, propitius esto mihi peccatori, et libera me ab omni multiplicique peste superbiæ. Amen.

Hæc autem dicens, desiderio ferventi opta a Deo te in hoc vulnere ab iis peccatis tuis expiari. Hoc modo fac in singulis aliis quoque vulneribus Christi.

Jam in vulnus sinistri pedis Christi pone iram et invidiam, et quidquid in his peccatis in te enatum est quo deliquisti, et ut supra dic:

Deus, propitius esto mihi peccatori, et libera me ab omni ira et invidia. Amen.

In vulnus dextræ manus pone gulam et luxuriam tuam, atque vitia inde germinantia,

Digitized by Google

quæ te coinquinarunt, ingemiscensque atque pectus tundens dicito cum vero planctu cordis ad Deum clamans :

Deus, propitius esto mihi peccatori, et libera me ab omni multiplicique specie gulæ et luxuriæ. Amen.

In vulnus sinistræ manus Christi repone acediam et negligentiam tuam in divino servitio atque officio admissam, et quidquid delictorum inde oritur, lugens pete veniam cum tunsione pectoris, dicendo :

Deus, propitius est omihi peccatori, et libera me ab omni acedia et negligentia. Amen.

In vulnus Cordis piissimi Jesu pone amorem tuum privatum, amoremque qui in te est mundi, cum omnibus vitiis et concupiscentiis ejus inde enatis, quibus neque Deum, neque proximum pura charitate, sed temetipsum, tuis desideriis satisfaciens, quæsivisti : utpote in charitate neque erga Deum, neque erga proximum rectus et sincerus. Quamobrem ingemiscens ad Deum clama :

Deus, propitius esto mihi peccatori, et libera me ab omni alieno amore et privato, propter quem nec te pure quæsivi, nec recte sincereque dilexi proximum. Amen.

Postremo dic mentaliter, aut si aliter non potes vocaliter in hunc modum Christum alloquens :

Eia Salvator et Redemptor benignissime, omnia peccata mea, omnia vitia omnesque meas negligentias in Cor tuum hoc amantissimum atque misericordissimum pono : Deus meus, mihi propitius esto miserrimo peccatori. Domine Deus meus, utinam non offendissem te, utinam ab omni peccato essem liber et immunis. Ignosce, misericordissime, ignosce et infunde mihi contritionem intensissimam vehementemque, qua ex omnibus medullis meis peccata mea dolens lugeam. Da mihi emendationem vitæ meæ, quo deinceps ab omni peccato pro tui amore abstineam ac caveam. Imitationem quoque vitæ tuæ, qua omnia quæ tibi beneplacita sunt, faciam. Heu, Domine Jesu, meum cor pravum, durum, tibi infidele et ingratum aufer a me, et da mihi Cor tuum, aut cor aliud secundum Cor tuum, puta humillimum, fidelissimum, castissimum misericordissimumque, quod simplifices, tui amore vulneres, tua charitate impleas, in te transformes, tibique unias. Amen.

Secundo necesse est ut Christo pro peccatis tuis satisfacias. Quod cum te posse desperes, tuum erit illius ei satisfactionem, quam pro te Patri exsolvit, offerre : et dividere ea quæ pro te passus est, in vulnera singula, quomodo ante lugens peccata tua commemorasti.

Itaque in vulnus dextri pedis Christi pone ejusdem labores, itinera, incommoda, frigus, æstum, famem, sitim, incommoda ac gravamina quæcumque ejus alia, et adorans eum, gratias pro his illi age, offer eadem pro peccatis tuis illi in expiationem tui ac satisfactionem, hoc aut simili modo :

Adoro te, misericordissime Deus, tibique gratias ago pro cunctis gravaminibus, laboribus, incommodis et fatigationibus tuis mei causa toleratis. En clementissime Jesu, hæc tibi in hoc vulnere nunc offero. Offer tu eadem Patri tuo pro peccatis meis et pro peccatis totius mundi, vivorum scilicet et defunctorum, in unione hujus charitatis, qua hæc sustinuisti. Amen.

Deinde in secundo vulnere sinistri pedis, offer Christo omnes ejus injurias, persecutiones, opprobria, derisiones et contemptum, quæ omnia humillime pro te toleravit, modo quo paulo ante de primo vulnere monstravi, dicens :

Adoro te, misericordissime Deus, tibique gratias ago pro cunctis injuriis, persecutionibus, opprobriis, derisionibus et contemptu : quæ omnia propter me tolerasti. Eia, etc. *ut supra.*

Tertio, in vulnere dextræ manus offer Christo omnes dolores, pœnas, cruciatus, vulnera et livores, ut supra monstratum est. Dic igitur :

Adoro te, misericordissime, etc. pro cunctis doloribus, pœnis, cruciatibus, vulneribus et livoribus tuis, mei amore a te toleratis. Eia, etc. *ut supra.*

Quarto, in vulnere sinistræ manus offer Christo omnes singulasque pretiosi Sanguinis sui guttas, et roga eadem Patri suo pro te et universo mundo, hoc est, pro peccatis vivorum et mortuorum dignetur offerre in unione ejusdem

Digitized by Google

charitatis, qua seipsum in Cruce Deo Patri obtulit pro nobis, dicens :

Adoro te, etc.

Quinto, in vulnere lateris, seu Cordis offer Christo omnes gemitus, suspiria, tristitias pressurasque Cordis, fletus quoque et lacrymas et amarissimam mortem, et roga eadem per eumdem offerri Patri cœlesti in satisfactionem pro tuis et pro totius mundi peccatis, dicens :

Adoro te, etc.

In hoc exercitio observa, ut pro singulis Christi donis ac beneficiis quæ vis eidem offerre, in quinque his vulneribus, quo modo supra dictum est, primum adores eumdem Deum, gratiasque illi humillime agas.

Tertio, in Corde Christi gratias illi age pro ipsius charitate, spiritu et mente, dicens hoc modo :

Adoro te, misericordissime Jesu, et benedicens gratias ago tibi in hoc vulnere tuo, pro cunctis beneficiis tuis, quæ vel mihi, vel ulli homini aut creaturæ tuæ exhibuisti, et pro ingenti charitate, qua pro nobis patiens, beneficia nihilominus ac munera tua nobis dedisti, quæ omnia tibi in laudem et gloriam tuam pro peccatis meis ac totius mundi tibi offero, et ut tu eadem Patri tuo pro omnibus nobis offeras supplex rogo. Amen.

Si es celebraturus, vel sacramentaliter, vel spiritualiter communicaturus.

In eodem vulnere Cordis tui, dulcissime Jesu, cupio ad mensam tuam accedere, et in honorem, in memoriamque tuæ charitatis, hoc est, in memoriam tuæ sanctissimæ Incarnationis, Nativitatis, vitæ, Passionis, vulnerum, Sanguinis, dolorum ac mortis tuæ, opto sacrificium illud, quo teipsum nobis dedisti, atque in illius unione meipsum tibi offerre in holocaustum, in gloriam et beneplacitum tuum, obsecrans te per infinitam bonitatem tuam, indue me vestibus innocentiæ, virtutum meritorumque sanctissimæ vitæ tuæ, ut in unione ejusdem devotionis, charitatis, puritatis ac reverentiæ, qua tu hoc Sacramentum instituisti, sumpsisti, nobis dedisti, et a nobis frequentari illud in tui memoriam voluisti, accedam, et ardentissimis charitatis desideriis illud, gratia tua dignum me faciente, suscipiam. Amen.

Exercitium præparatorium ad communionem sacramentalem seu spiritualem, et etiam ad celebrationem Missæ, in septem effusiones Sanguinis Christi, quibus contra septem peccata mortalia septem virtutes ac beatitudines applicantur, distinctum.

Prima effusio Sanguinis Christi fuit in Circumcisione. Cui applicatur contra primum peccatum mortale, puta contra luxuriam, castitatis virtus et beatitudo, juxta hic servatum ordinem prima, scilicet munditia cordis.

Oratio seu effusio cordis prima.

Jesu benignissime, Deus meus, tibi confiteor teque laudo, qui propter nos omnem miseriam nostræ naturæ absque peccato suscipiens, homo factus, mox ubi mundum ingressus es, divinæ legi voluisti te subjicere circumcidique et Sanguinem pro nobis fundere. Pro hac charitate et bonitate tua, pro infantilis quoque Sanguinis effusione te adoro, te benedico tibique gratias ago, et per eamdem Sanguinis tui effusionem te obsecro, ut omnem luxuriæ speciem de corde meo et de carne mea penitus auferas, ejus concupiscentiam in me carnalem radicitus mortifices et exstinguas, ut in puritate et in castissima simplicitate mentis, ut in vera munditia cordis, ut denique in pudicissima corporis castitate tibi perpetuo inavertibiliterque adhæream.

Ah, misericordissime Jesu, utinam in hac effusione Sanguinis tui merear ab omnibus peccatis, vitiis et negligentiis meis nunc expiari, quo ex tua misericordia et gratia perceptione sacrosancti Corporis et Sanguinis tui dignus efficiar.

Secunda effusio Sanguinis Christi fuit in monte Oliveti. Cui applicari potest contra su-

Digitized by Google

perbiam, secundum scilicet peccatum mortale, humilitatis virtus petenda, et luctus una ex beatitudinibus.

Effusio cordis secunda.

Jesu benignissime, Deus meus, adoro, laudo, benedico te, et gratias tibi ago pro angustia pressuraque Cordis tui, quam in monte Oliveti inter orandum pertulisti, præmeditans acerbissimas horrendasque Passionis ac mortis tuæ pœnas et cruciatus tunc tibi imminentes, quos juxta naturam sensualitatemque exhorruisti, rursusque secundum rationem tanto easdem nos redimendi desiderio concupisti, ut contrariis his desideriis simul compugnantibus, teque in agone interea constituto, sudor ex te decurreret sanguineus. In hac, quæso, Christe Jesu, angustia tua, per hanc quoque effusionem sanguinei sudoris tui ex te abunde promanantem, obsecro te, ut omnem superbiam omnesque superbiæ species in me conteras, extermines ac deleas. Infunde mihi, quæso, profundissimam perfectissimamque humilitatem, qua peccata mea ingratitudinemque meam perfecte cognoscam, odiam, indesinenter lugeam, meipsum quoque contemnam, atque ab omnibus contemni diligam. Ah, misericordissime Jesu, utinam in hac effusione Sanguinis tui, etc. *ut supra*.

Tertia effusio Sanguinis Christi facta est in ejus flagellatione, cui contra tertium mortale peccatum, puta contra iram, applicatur mansuetudo seu benignitas, tertiaque juxta hunc ordinem beatitudo, quæ vocatur mititas.

Effusio cordis tertia.

Jesu benignissime, Deus meus, pro dira flagellatione tenerrimi nobilissimique corporis tui undique vulnerati, et pro effusione pretiosissimi Sanguinis tui, adoro et benedico te, gratiasque tibi ago. Compesce et exstingue in me omnes iracundiæ impatientiæque motus. Nullum sinas, pie Jesu, in cor meum intrare aut morari ibi rancorem, amaritudinem seu displicentiam. Infunde mihi, quæso, perfectissimam mititatem ac mansuetudinem cordis, qua cuncta adversa æquanimiter suscipiam, patientissime ac cum gratiarum actione tolerem, ac me totum tibi resignem, plene ac funditus relinquam. Ah, misericordissime Jesu, etc. *ut supra*.

Quarta effusio Sanguinis Christi facta est in ejus coronatione. Cui contra quartum mortale peccatum, acediam scilicet, applicatur devotio fervens et beatitudo quarta, esuries justitiæ.

Effusio cordis quarta.

Jesu benignissime, Deus meus, pro acerbissima coronatione spinarum, caput tuum compungentium, pro largissimaque effusione rivulorum Sanguinis tui per genas, oculos et collum tuum defluentium, adoro, laudo et benedico te, gratiasque tibi ago, suppliciter te rogans, ut omnem acediam, torporem, pigritiam negligentiamque a me radicitus tollas : devotionem vero ferventissimam alacritatemque spiritus in tuo maxime servitio mihi infundas, ut justitiam, virtutem, animarum salutem, tui quoque amorem, honorem ac gloriam tuam, cor meum vehementer esuriat, ardentissimeque sitiat, adeo ut quæ extra te sunt cuncta fastidiam. Tu vero solus totus perfectissime ac perpetue mihi placeas in omnibus et super omnia. Ah, misericordissime Jesu etc.

Quinta Sanguinis Christi effusio facta est in exutione vestium ante Crucem, ubi illi vestis lanea, quæ compacta vulneribus hæserat, extracta est, tam vulnera quam dolores renovans. Cui contra quintum mortale peccatum avaritiam scilicet, applicatur paupertatis amor mundique contemptus, beatitudoque quinta, paupertas spiritus.

Effusio cordis quinta.

Jesu benignissime, Deus meus, pro vestium tuarum extractione, pro corporis tui denudatione in oculis hostium tuorum, pro

Digitized by Google

tui derisione, pro vulnerum dolorumque renovatione, pro Sanguinis nobilissimi effusione et conculcatione, adoro, laudo et benedico te, ac gratias tibi ago, te obsecrans per misericordiam tuam, ut mundi amore et omni amore creaturarum, privatoque aut abs te alieno me exuas, prorsusque liberum facias, quo paupertatem, contemptum et simplicitatem ex animo diligam, desiderantissime feram, et cœlestia bona, te vero super omnia æstuantissimis desideriis concupiscam. Ah, misericordissime Jesu, etc.

Sexta Christi Sanguinis effusio est, quæ in perforatione manuum ac pedum, membrorumque Christi extensione et crucipendentia exundans, Crucem terramque rigavit. Huic contra sextum peccatum mortale, puta contra gulam, applicatur temperantia, et sexta beatitudo, pax seu pacificatio. Tunc enim suam charitatem ad nos, ad latronem, ad tortores, ad Matrem, ad omnesque exhibuit, et in Cruce inter cœlum terramque suspensus, sese pacis arbitrum ac mediatorem inter Deum et hominem constituit.

Effusio cordis sexta.

Jesu benignissime, Deus meus, pro extensione membrorum tuorum omnium in Cruce, pro perfossione crucifixioneque manuum tuarum ac pedum, pro largissima effusione tui Sanguinis decurrentis e vulneribus tuis, per diutinam crucipendentiam ampliatis, quo Crucem rigabas et terram, adoro, laudo, benedico te, et gratias tibi ago obsecroque, ut me ab omni intemperantia et indiscretione sobrium et continentem facias, piissime Deus. Cor pacificum, mitissimum ac benignissimum mihi præbeas, quod pacem diligat, paci studeat, foveat concordiam, schismata et scandala tollat, et ad unionem amoris illam felicissimam, qua tecum unum efficimur, qua unus amor, unaque nobis tecum est voluntas, indesinenter aspiret. Ah, misericordissime Jesu, etc.

Septima effusio Sanguinis Christi est ex apertione lateris ejus mortui, unde exivit Sanguis et aqua. Creditur autem, ut in revelationibus sanctæ Brigittæ beata Dei Genitrix Maria adstruit, Domini Jesu Cor piissimum tunc vulneratum lancea militis, quo ad se nobis intrandi Christus faceret aperiretque amoris ostium, vulnus misericordiæ, gurgitem charitatis. Huic effusioni Sanguinis contra septimum peccatum mortale, invidiam scilicet, applicatur charitas, atque septima beatitudo, misericordia.

Effusio cordis septima.

Jesu benignissime, Deus meus, pro apertione lateris ac Cordis tui mucrone lanceæ vulnerati, pro effusione Sanguinis et aquæ inde emanantis, adoro, laudo et benedico te, gratiasque tibi ago : quandoquidem Cor tuum tam mihi quam aliis peccatoribus ad te redeuntibus reserasti. Per hujus misericordissimi Cordis tui pietatem te obsecro, ut de corde meo auferas omnem livorem, amarulentiam atque invidiam. Piissime Deus, aufer a me cor durum et pravum, cor superbum ac lividum, et da mihi aut Cor tuum, aut cor secundum Cor tuum piissimum, fidelissimum, mitissimum, misericordissimum, humillimum, obedientissimum, omnifaria mortificatione ac resignatione perfectum, fide, spe et charitate perpetua plenum, quod in te indesinenter teneas absorptum, et ad omnes homines, præsertim ad inimicos, dilectione et miseratione reddas effusum.

Potest his septem effusionibus Sanguinis Christi addi veneratio sanctissimæ mortis Jesu Christi, hoc est, separationis animæ a corpore, quæ fuit omnium acerbissima. Solus enim ipse, qui pro omnibus gustavit mortem, cognoscere potuit mortis amaritudinem. Cognitio enim, apprehensio et sensus in Christo moriente, in ultimum usque momentum permanens æque ac in vivente, aliter enim contingit nobis, viguit. Huic contra privatum amorem Dei zelus potest applicari, et beatitudo octava, quæ est patientia propter Christum.

Effusio cordis alia.

Jesu misericordissime, vita et spes mea, Deus. Ecce nunc tibi offero omnem laborem et fatigationem tuam, omnem penu-

Digitized by Google

riam, contemptum, adversitates et incommoda tua, omnes pœnas, dolores, vulnera, livores tuos, omnes pressuras, tristitias et angustias tuas. Ad extremum, Crucem tuam et mortem acerbissimam, hoc est, dolorosissimam benedictæ animæ et Corporis tui separationem. Pro quibus omnibus te laudans et gratias tibi agens, te Deum meum adoro. Offero autem hæc omnia quæ pro me sustinuisti, et ipsam immensam charitatem tuam, quæ ad patiendum te pro nobis induxit, tibi nunc, Christe Jesu, pro peccatis meis et pro peccatis totius mundi, tam vivorum quam mortuorum. Obsecro autem te per omnia quæ innocens pro me passus es, da mihi infatigabilem jugemque patientiam, qua omnia quæ tu super me venire permittis, tui amore patientissime tolerem, et in laudem, gloriam et beneplacitum tuum me totum quod sum ac possum, omnes scilicet vires et motus corporis mei expendam. Amen.

EXERCITIUM ALIUD SACRIFICANTIUM, FIGURIS SACRÆ SCRIPTURÆ QUADRANS, QUOD ANTE AUT ETIAM POST SACRIFICIUM,

ET SUB SACRIFICIO MISSÆ, UBI VACAT TEMPUS, EST MENTE RUMINANDUM.

Sacrificaturus ante oblationem imitare mulierem Chananæam, humiliter perseveranterque orantem, et dic:

Ad te venio, Christe Jesu, Salvator mundi, ut mulier olim ad te venit Chananæa, filiæ, hoc est, animæ meæ, carnis concupiscentiis, immundis variisque tentationibus vexatæ, salutem petens. Ad hoc enim venisti in mundum, tu piissime, ut salvos facias peccatores et oppressos a diabolo. Idcirco miserere mei, quæso, et salva me.

Quomodo autem hæc mulier, donec exaudita est, orare non desiit, fac tu me quoque ut ab oratione non quiescam, sequar te quocumque ieris, perseverem humiliter, suppliciter, ac plenus pia orans fiducia, quandoquidem orare et petere nos jubens, exauditurum te cum Patre promisisti. Quomodo enim tu, qui piissimus es, pulsanti non aperires? aut quomodo perseveranter te invocantem non salvares? Miserere igitur, quæso, mei, Deus meus, et salva me.

Non sum, piissime Deus, filiorum pane dignus, qui catellus saltem tuus, utinam digne, vocari merear, tibi Domino meo inseparabiliter adhærens, pro tui honore zelans ac latrans, ut de micis gratiarum tuarum indesinenter quoque alar. Et quamvis inter peccatores sim maximus, quantum tamen omnes te simul diligunt sancti, te, Deus meus, amare cupio, et in unione omnium desideriorum tuorum te desidero. Miserere, quæso, mei, Deus meus, et salva me. Amen.

Ante sacram oblationem imitare Centurionem se humiliter agnoscentem, et dic:

Ad te, Christe Jesu, Salvator mundi, cum Centurione quoque nuntios præmitto, beatissimam ac electissimam tuam Matrem, sponsas tuas virgines sanctas, ac Mariam Magdalenam, quibus nihil negare potes, Sanctosque tuos omnes, ut pro me intercedant, et accedere indignum sordidumque tuis vulneribus lavent, tuis meritis vestiant. Tu vero miserere, quæso, mei, Deus meus, et salva me.

Scio plane ex tua misericordia infinita, Domine mi Jesu Christe, Deus meus, id provenire, ut venias ad me, quamvis ad hoc indignissimus sim, ut intres sub tectum meum. Sed numquid te repellere, aut

Digitized by Google

a te fugere debeo? Quo enim fugiens fugiam? Magis ad tuam misericordiam clementissimam mihi confugiendum est. Ad te igitur, clementissime Jesu, confugio. Miserere, quæso, mei, Deus meus, et salva me.

Scio quoque, si dixeris tantum verbum, salva erit anima mea. Idcirco totum me resigno benevolentissimæ tuæ providentiæ, et totum trado me tuo sanctissimo beneplacito. Miserere, quæso, mei, Deus meus, et salva me. Amen.

Ante sacram celebrationem vel communionem imitare Ruth, et dic :

Ad te, Christe Jesu, venio, Salvator mundi, tua cum Ruth sequi vestigia cupiens. Obsecro autem te per omnes miserationes tuas, ut vulnera, dolorem, Passionem ac mortem tuam indelebiliter meo cordi imprimas : in his memoria mea, omnes cogitationes et omnes motus cordis mei continue versentur et absorbeantur. Quidquid video, audio et sentio, in vulnera tua intingam ac traham. Vulnera tua in dies me vulnerent, et tui amor in dies ignescens inflammet. Tu vero miserere, quæso, mei, Deus meus, et salva me.

Fac tu me, Domine, sollicitum, fervoremque mihi infunde sanctum, quo tuæ sanctissimæ vitæ Sanctorumque tuorum virtutes et exempla investigans, et cum Ruth spicas colligens, imitari hæc studeam, ut in adversitatum omnium trituram ac tribulationem, tam amanter quam gaudenter, me quoque tibi plene sacrificem. Quod ut obtineam, miserere tu, quæso, mei, Deus meus, et salva me.

Ante omnia autem charitatis excellentissimæ, perfectissimæ perpetuæque me pallio operias rogo, quam tu, quæso, mihi largiaris, ut veste hac nuptiali nullo unquam momento caream, quoad post mortem illico cœnam gaudii cœlestis, te introducente, ingredi merear. Nunc igitur miserere, quæso, mei, Deus meus, et salva me. Amen.

Inter sacrificandum, aut ante communionem sacram, imitare Zachæum, Christum cum desiderio recipientem, et dic mentaliter :

Coram te sto, en, clementissime Jesu, me miserum, frigidum et siccum. Tu igitur incende in me, quæso, esuriem et sitim justitiæ, ut cum Zachæo in dies te esuriat sitiatque cor meum. Te igitur invoco : Veni ut miserearis mei, Deus meus, et salves me. Recipiam te in hospitium cordis mei, Deus meus, pascam te alacriter amore et reverentia. Sed unde te pascam, a te recipiam : et rursus pascar gratia tua, qua intimius tibi conjungi, nec unquam a te valeam separari. Tu igitur, quæso, miserere mei, Deus meus, et salva me. Amen.

Tibi itaque, Domine, omnibus fratribus et proximis meis in corde meo sit hospitium charitatis et pacis, cui omnis livor et ira absit : ad omnes vero sit in me patientia, misericordia, devotio et tranquillitas, omnium offensionibus ignoscam, omniaque in me peccata dimittam. Tu vero miserere, quæso, mei, Deus meus, et salva me. Amen.

Sacrificaturus aut communicaturus imitare Matthæum, convivium Christo parantem, et dic :

Trahe me post te, dulcissime Jesu, ut inter tristia et adversa cum Matthæo sequar te in omnibus, nec tu patiaris me recedere a te, sed miserere mei, Deus meus, et salva me. Parem tibi in me convivium desideriorum sanctorum amore tui æstuantium. Sed quid parabo mendicus et pauper? Tu igitur da mihi, quæso, dulcissime Jesu, quod tibi parem, quod tibi offeram, et in quo bene placeat spiritui tuo. Tu quoque miserere, quæso, mei, Deus meus, et salva me.

Quomodo autem tu dixisti tunc, piissime ac misericordissime Deus, misericordiam te malle quam sacrificium, fac ut cor meum totum per misericordiam tibi sacrificem, compatiens singulorum necessitati-

Digitized by Google

bus, et subvenire pro viribus satagens omnium indigentiis. Fac tu, quæso, me misericordissimum in omnes, ut tuam quoque ego misericordiam plenam recipiam. Miserator piissime, miserere, quæso, mei, Deus meus, et salva me. Amen.

Celebraturus aut communicaturus imitare Martham, sollicite diligenterque Domino ministrantem et Mariam vocantem, dicens :

Cum metu et reverentia, excellentissime et omnipotens Deus, fac me tuo Altari assistere, omnem negligentiam cavere, et devote, attente ac vigilanter tibi ministrare. Miserere tu, quæso, mei, Deus meus, et salva me.

Nulla me occupatio, nulla me concupiscentia, nulla denique sollicitudo a te, suavissime Jesu, dividat aut avertat : sed mens mea cum Maria Magdalena tui amore inebriata, tibi soli vacet, in te rapiatur, tibi inhæreat. Audi me, quæso, piissime Jesu, miserere mei, Deus meus, et salva me.

Unum te cognoscam necessarium, cui soli pure intendam, quem solum quæram, in quo pascatur et quiescat anima mea. Quapropter teipsum mihi largire. Miserere, quæso, mei, Deus meus, et salva me. Amen.

INTERIM QUOD SACERDOS SACRIFICATURUS SACRIS SE INDUIT VESTIBUS, ORATIONES DEVOTISSIMÆ ORE AUT MENTE RUMINANDÆ

Quando sacerdos induit se scapulari, et stringit se cum funiculis.

Jesu amabilissime, qui iniquorum manibus dire ligari instar latronis voluisti, dirumpe, quæso, vincula peccatorum meorum, ut hostiam tibi laudis sacrificare possim, ac nomen tuum sanctum jugiter invocare, Jesu benignissime, qui colaphizari et immundis sputis pulcherrimam faciem tuam, in quam desiderant Angeli prospicere, voluisti maculari, cædi ac velari, illumina oculos meos, et respice in me oculis benignissimæ misericordiæ tuæ, quibus Petrum ter te negantem respexisti, omniaque mea peccata profundissimis tuis operi vulneribus, ne in die judicii mihi exprobrentur. Qui vivis et regnas, etc.

Dum albam sacerdos induit.

Jesu clementissime, qui hora Prima diei pro me Pilato præsidi præsentari, falsoque voluisti accusari, et a Pilato ad Herodem mitti, atque ab eodem et exercitu ejus derideri, in vesteque alba illudi, et sic ad Pilatum reduci, da mihi mundi hujus prudentiam, quæ non nisi mera stultitia est apud te, sapienter declinare, teque Agnum sine macula, in stolis albis innocentiæ et simplicitatis et virginei candoris, incessanter fideliterque imitari. Qui vivis, etc.

Dum zona se succingit sacerdos.

Jesu dulcissime, qui hora Tertia pro me, a Judæis Barabbam dimitti petentibus, reprobari, et ad columnam funiculis dire ligari, flagellisque duris cædi voluisti, ita ut in corpore tuo a planta pedis usque ad verticem capitis nulla in te appareret sanitas ; corripe me tu juste in misericordia tua, dum in hac vita sum, et noli mihi mala mea et peccata in diem judicii tui reservare. Qui cum Deo Patre, etc.

Dum manipulum induit.

Jesu charissime, qui funem quo fuisti ad columnam in flagellatione ligatus, in sinistro brachio deferre voluisti, et arundinem pro sceptro in dextra derisorie tibi

Digitized by Google

dari, da mihi funem peccatorum meorum quibus circumplexus sum, in sinistra detestationis et contritionis deferre, ut arundinem, sive palmam victoriæ, in dextra merear suscipere atque gestare. Qui, etc.

Dum stolam induit.

Jesu fidelissime, humani generis amator, qui hora diei Sexta, Crucem propriis humeris ignominiose ad montem Calvariæ, depressus, inclinatus et cruentatus, bajulare voluisti : da mihi sic intrepide crucem pœnitentiæ quotidie bajulare, ut ad te montem æternæ beatitudinis merear pervenire. Qui vivis et regnas, etc.

Dum casulam induit.

Jesu gloriosissime, qui veste purpurea, lacera et derisoria indui a Judæis atrocissime jam coronatus voluisti, et tanquam leprosus hominumque despectissimus coram omni populo præsentari, intime te deprecor, ut illam miserabilem ac despicabilem vultus tui divinissimi speciem cordi meo perspicaciter imprimas, fortiterque infigas, qualem visus es, o Rex gloriæ et æternæ patriæ reparator, illa hora habuisse. Qui cum Patre et Spiritu Sancto, etc.

SUB DIVINISSIMO MISSÆ OFFICIO, UTI SE QUISQUE CELEBRANS EXERCERE DEBEAT

Quando lavas manus celebraturus, precatio.

DOMINE Jesu Christe, en tibi soli peccavi, tu solus nosti iniquitatum et negligentiarum mearum sordes, lava et munda me in Sanguine tuo ab omnibus peccatis, vitiis et negligentiis meis. Et quia totus inops, miser, egenus et pauper sum, ne in conspectu tuo omnino appaream nudus et confusus, da mihi merita sanctissimæ vitæ et Passionis tuæ. His me indue, quia in iis solus confidens, audebo apparere in conspectu divinæ et superexcellentissimæ Majestatis tuæ. Qui vivis et regnas, etc.

Alia ad idem brevior precatio.

O misericordissime Domine Deus meus Jesu Christe, purifica me in Sanguine tuo ab universis peccatis, vitiis et negligentiis meis, ut puro ac simplici corde tibi semper placeam, et amore ferventissimo inhæream. Amen.

Quando lavas in Missa manus, devotissima meditatio.

Cogita et ingemisce pro sordibus tuis, quod stas ante Creatorem cœli et terræ, cui se totus orbis inclinat, quem Angeli tremunt et adorant, tractaturus et sumpturus, indignus adeoque vilis et impurus in oculis ejus, ut cum multo dolore cordis merito sæpius ad illum clames :

O misericordissime Deus, propitius esto mihi peccatori. O colende, o metuende, o adorande, omnipotens æterne Deus, quid facio ? Tuæ misericordiæ infinitæ me committo. Obsecro te, pietas immensa, non sinas ut offendam te : aut munda me a peccatis meis et purifica cor meum ab omni pravitate, aut occide me, ne peccem in te. Dulcissime Jesu, omnes sensus, omnes vires, cogitatus et affectus meos include et stabili intra Cor tuum, et perpetuo ibi sepeli, ut tecum sim et maneam totus in æternum. Lava me, Domine, ab omnibus peccatis, vitiis ac negligentiis meis, quo templum Spiritus Sancti effici merear. Ah, utinam puro, simplici ac humili corde tibi semper placeam, et amore castissimo ac ferventissimo tibi semper inhæream.

Memoriæ vivorum in Missa servandæ, brevis formula per casus.

Memento, Domine, mei miserrimi peccatoris : in gratiam tuam me recipias, ab Nominativo.

omni peccato me liberes et præserves, custodias, dirigas, teneas atque totum me possideas. Converte me totum in laudem, in honorem et in beneplacitum tuum, ut de me, per me et in me tua laudabilissima voluntas semper fiat, ut in omnibus et singulis ita sim, ita me habeam, quemadmodum maxime placeret tuæ sanctissimæ voluntati. Utinam vulneres, repleas, absorbeas uniasque me tibi perfectissima, ardentissima, fidelissima atque perpetua charitate, ut ex toto corde meo atque omnibus animæ medullis te diligam, te sitiam, quæram, laudem et benedicam in omnibus et super omnia, te solum cogitem, te solum desiderem, tibi soli placere cupiam, tibi soli totus inavertibiliter inhæream, et omne tempus vitæ meæ, omnesque vires animæ et corporis in laudem, gloriam et beneplacitum tuum expendam. Amen.

Genitivo. Simili modo, clementissime Pater, memento, quæso, parentum meorum carnalium et spiritualium, qui me cum magna charitate, cura, labore et difficultate hucusque educarunt. Quorum curam et singularia quæ unquam erga me egerunt, corde vel corpore, ad minimum usque pedis passum, per piissimum Cor virgineæ Matris tuæ Mariæ tibi repræsento, et tuis sanctissimis operibus unio, ut in illis sanctifices, perficias ac nobilites, atque sic superbenedictæ Trinitati in laudem ipsius æternam, et eorum salutem offeras et repræsentes. Memento insuper fratrum meorum et sororum, et liberorum ipsorum, denique omnium consanguineorum, amicorum et affinium, quocumque gradu mihi attinentium. Ex quibus digneris illis et illis eamdem piissimi Cordis tui exhibere gratiam vocationis, quam mihi adeo indigno et abjecto homini præstitisti, et custodire ab ea via perditissima, quam ego propria iniquitate elegeram, et ingressus fueram. Et si qui sunt alii, quos tibi ad honorem tuum fideles futuros esse nosti, etc.

Dativo. Omnium item, piissime Domine, memento benefactorum meorum carnalium et spiritualium, quorum unquam usus sum et adhuc quotidie utor eleemosynis, beneficiis, favore, subsidio, sustentatione et gratia, ut digneris illis ex superfluo pietatis tuæ thesauro centuplum retribuere, hic in gratia, et postmodum in gloria. Commendatorum item omnium, qui se unquam meis indignis commendaverunt orationibus, vel quibus ego quacumque ex causa debitor aut aliquid pollicitus sum, notitia aut familiaritate conjunctus. Confœderatorum et commissorum, etc.

Omnium item memento quos ego unquam offendi, aut verbo vel facto læsi aut scandalizavi, ad peccatum induxi, vel qui me, etc. Accusativo.

Omnium quoque memento, Domine, vocatorum ad fidem christianam, ad dignitates, officia, prælaturas, regimen animarum, ad religiones, et omnis gradus et ordinis fidelium, etc. Vocativo.

Memento item, pie Domine, omnium ablatorum a pace pectoris, et qui in tristitia aut quacumque sunt afflictione, necessitate, tentatione, sollicitudine, et in peccatis indurati, aut quibus animæ aut corporis imminet discrimen. Ablativo.

Potest demum adjungi, si quid habeatur singulare.

Horum singulorum et universorum viventium, piissime Jesu, necessitates, causas et salutem commendo in supereffluentem divinæ pietatis tuæ abyssum, ut cum eis agere paterna cura digneris ad supremum divini Cordis tui beneplacitum, gloriam, etc., et summam eorum salutem, sicut tu, piissime, vis et sapientissime scis. Amen. Et omnium circumstantium, etc.

Memoria defunctorum.

Pro quibus singulariter celebratur (si pro aliquibus singulariter), et quorum in altari illo est memoria fundata, aut ex debito servanda, etc. In Nominativo.

Memento etiam, Domine, parentum meorum, et horum quoque parentum et om- Genitivo.

Digitized by Google

nium majorum meorum, fratrum insuper et sororum, præsertim illorum, etc., et omnium consanguineorum, omnium fratrum Ordinis, qui necdum satisfecerunt; specialiter Congregationis hujus, et quorum notitiam et familiaritatem hic habui.

Dativo. Benefactorum etiam meorum memor esse digneris, quibus teneor, qui unquam mihi bonum aut voluerunt, aut verbo vel facto fecerunt. Benefactorum item Ordinis, cellæ, et meorum confœderatorum, sepultorum in Domino, quibus promisi aut teneor, etc.

Accusativo. Quos offendi, aut, etc. *ut supra.* Qui non habent aliunde suffragia. *Vel si quos singulares habueris,* etc.

Circa memorias vivorum aut Sacramenti sumptionem, potes etiam pro te sic orare, aut alio tempore quandocumque volueris.

Misericordissime Jesu, tuæ majestati et pietati nunc supplicem offero et commendo me, rogans te per omnia vulnera corporis tui, per pretiosi Sanguinis tui guttas singulas, perque immensam pietatem Cordis tui, ut in gratiam tuam me recipias, ab omni me peccato liberes et præserves, custodias, dirigas, teneas atque totum tu me possideas. Convertas me totum in laudem, in honorem et in beneplacitum tuum, ut de me, per me, in me et in omnibus tua laudabilissima voluntas semper fiat, ut in omnibus et singulis ita sim, ita me habeam quemadmodum maxime placeret tuæ sanctissimæ voluntati. Utinam vulneres, repleas, absorbeas uniasque me tibi, Deus meus, perfectissima, ardentissima, fidelissima atque perpetua charitate, ut ex toto corde meo, atque ex omnibus medullis animæ meæ, te diligam, te sitiam, quæram, laudem et benedicam in omnibus et super omnia.

Dulcis Jesu, Deus meus, absorbeat me, quæso, ignita et melliflua vis amoris tui, quæ penetret cor meum purgetque, et rapiat in se omnia interiora mea, ut sicut flamma ardens in tui amore totus ardeam, totus a meipso deficiam, te vero solum cogitem, te solum desiderem, te solum sciam et sentiam, tibi soli inhæream, et omne tempus vitæ meæ, omnesque vires animæ et corporis mei in laudem, gloriam et beneplacitum tuum expendam. Amen.

Sub Missa, sive ipse sacrifices, sive sacrificanti assistas, oblatio.

Domine Jesu Christe, in memoriam benedictæ Incarnationis, Passionis ac mortis tuæ; in memoriam omnium vulnerum, dolorum, suspiriorum, gemituum, lacrymarum et guttarum Sanguinis tui, in memoriam immensæ charitatis tuæ, qua propter me natus, passus, crucifixus et mortuus es, offero tibi nunc hujus Missæ, et omnium Missarum quæ in toto mundo fiunt, hostiam sacrosancti Corporis et Sanguinis tui, et in unione hujus oblationis, atque illius quo temetipsum in ara Crucis obtulisti, offero meipsum in laudem, gloriam et beneplacitum tuum, obsecrans per viscera misericordiæ tuæ, ut hæc omnia suscipias, ac Patri tuo offeras in ea virtute, qua illi in Cruce moriens spiritum tuum tradidisti, ut vivis tuam gratiam, et defunctis requiem, et omnibus nobis misericordiam vitamque largiaris sempiternam. Singulariter tamen oro te pro illo N. N.

Oblatio alia Christi crucifixi ad Patrem.

Respice nunc, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, et de sanctuario tuo, et de excelso cœlorum habitaculo, et intuere hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster, sanctus Puer tuus, Dominus noster Jesus Christus, pro peccatis fratrum suorum, et esto placabilis super multitudinem malitiæ nostræ, quia vox Sanguinis fratris nostri Jesu clamat ad te de Cruce. Ecce habeo quod offeram tibi pro peccatis meis, per ipsum et in ipso, in beneplacitum sanctissimæ atque nobilissimæ voluntatis tuæ. Amen.

Digitized by Google

Hostiam elevaturus, adora suppliciter et precare.

ADORO te, Domine Jesu Christe, et benedico tibi, qui pro nobis in Cruce moriens redemisti mundum.

Inter elevandum ora ut Pater cœlestis Filium suum respicere et acceptare dignetur, quem eidem offerimus in satisfactionem omnium peccatorum nostrorum, in suppletionem omnium negligentiarum nostrarum, et pro gratiarum actione omnium beneficiorum ejus.

Ad elevationem hostiæ, precatio.

OMNIPOTENS æterne Deus, o Pater misericordiarum, en hostiam vivam, quam hic et ubique universa tibi offert Ecclesia. Hanc offero tibi cum omnibus virtutibus et meritis Unigeniti tui, in illo amore et virtute, qua ipse tibi in Cruce semetipsum obtulit pro nobis, in expiationem omnium peccatorum meorum, in suppletionem omnium negligentiarum et defectuum meorum, et in gratiarum actionem et confessionem omnium beneficiorum tuorum, et in memoriam beneficiorum et dilectionis ejus, pro me, et pro fidelibus tuis omnibus vivis et defunctis. Amen.

Iterum inclinando dic mentaliter, veniam petendo.

DEUS, propitius esto mihi peccatori. Aufer a me quidquid tibi in me displicet, infunde in me quidquid tibi placet, converte me totum in laudem et gloriam et beneplacitum tuum, dulcis Jesu, Domine Deus meus. Amen.

Ad elevationem calicis, oratio.

AMANTISSIME Jesu, per effusionem sacrosancti Sanguinis tui obsecro te, fac ut universo mundo cum omnibus peccatis, vitiis et concupiscentiis moriar, et per incendium amoris tui a meipso deficiam, tibique soli ac in te solo vivam. Amen.

Post oblationem calicis, offer te in unione hujus sacrificii in omne beneplacitum Deo, et pete tibi donari veram et perfectam resignationem et abnegationem tuiipsius.

Quando sacram hostiam sub Missa in manus accipis, adorans eamdem, dic mentaliter.

DOMINE Jesu, fiat nunc mihi quod contigit devotæ ancillæ tuæ, dicenti: *Si tetigero tantum fimbriam vestimenti ejus, salva ero.* Fac igitur per hunc contactum tui benedicti Corporis, omnem concupiscentiam vitiosam ac inordinatam in me exsiccari, et fide, spe et charitate integerrima inavertibiliter cor meum tibi conjungi. Amen.

Ante communionem sacratissimam quænam petenda sint.

Ante communionem erubesce, et confitere Deo infirmitatem, vilitatem, ingratitudinem et malitiam tuam. Pete veniam et plenam remissionem in hac vita. Age gratias Deo pro omnibus beneficiis ejus, præsertim Incarnationis, Passionis, etc.

Ora mundo eamdem efficaciam et virtutem ex hujus hostiæ oblatione superfundi, quam (et quanta oblatio illa, in cujus unione, et ad cujus memoriam hæc præsens offertur) operata est in Cruce. Custodiam præservantem a peccatis pete ex hoc Sacramento, spiritualem mortem omnibus vitiis et concupiscentiis ardentissimam, perfectissimam, perpetuam charitatem, etc. Commenda Ecclesiæ status, et pro quibus singulariter orare debes, pro commissis, confœderatis, benefactoribus, etc:

Interim dum habes Sacramentum in ore, multiplica desideria, et repete preces in corde, ut ipse sibi in te faciat habitaculum mundum, gratum, perpetuum, et te in se trahat, absorbeat uniatque inseparabiliter ac inavertibiliter.

Postquam orationem dixisti. *Quod ore sumpsimus Domine, etc.* aut ubi tibi vacat, interim quod ablutionem sumis, corporalia complicas, et ad communionem legendam te paras, dic mentaliter orationem quæ supra habetur: *Domine Jesu Christe, cor meum tuis vulneribus saucia, etc.*

Ante sumptionem sacramentalem seu spiritualem, precatio.

JESU Fili Dei, miserere mei. Ecce miser, vilis, turpis, facinorosus ingratissimusque

Digitized by Google

peccator ad te venio, non aliud clamans quam : Misericordissime Jesu, Fili Dei vivi et Virginis, miserere mei. Miserere mei, quoniam tibi impossibile est miseris nolle misereri. Plenus et oppressus omni genere peccatorum, hoc solum habeo, quod clamem : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Confiteor tibi, Domine Deus, omnia peccata mea. Videas ipse tu, quam sim vilis, inquinatus et immundus, quam inops et nudus a virtute, quam denique turpis et indignus. Pro omnibus igitur delictis, negligentiis, vitiis et ingratitudinibus meis, ad te, Redemptor benignissime, venio, a te remissionem plenam veniam et gratiam tuam supplex et obsecrans peto. Da mihi nunc, in omnique vita mea, et præcipue in morte, veram, perfectissimam intensissimamque contritionem pro peccatis meis, perfectam emendationem vitæ meæ, juxta omne beneplacitum tuum et imitationem vitæ tuæ. Vide, misericordissime Domine mi Jesu, me ingratum, miserrimum et indignum peccatorem. Vide cui tanta beneficia quotidie facis, cui tantam impendis charitatem, quam nihil sim sine te, quantisque egeam mendicus et pauper. Da mihi igitur perfectissimam, castissimam, intensissimam, ferventissimam perpetuamque charitatem, qua te ex toto corde in omnibus et super omnia indesinenter diligam, te solum et tui honorem pure quæram et intendam, totum me tibi resignem et in beneplacitum tuum me totum tibi impendam.

Ah, misericordissime Jesu, fac ut contritio hæc sancta et charitas in me simul quotidie crescant, ac tandem adeo invalescant, ut præ doloris magnitudine quod piissimum te Deum offendi, et præ amoris vehementia ardentissimoque tui desiderio in morte cor meum crepet, et spiritum in manus tuas, imo in amantissimum Cor tuum exhalet. Hoc te, amantissime Jesu, rogo, hoc te per vulnera, per dolores, per omnes guttas Sanguinis tui pro me fusi, per mortemque tuam te obsecro, imo per charitatem et bonitatem tuam, per temetipsum, Deus meus, obsecrans et supplex te adjuro, qui propter me factus homo, temetipsum in captivitatem, in Crucem, in mortemque tradidisti, pro quo millies, imo infinities te adoro, tibique gratias ago, ut mihi tribuas, quo ex plenitudine, vehementia perfectioneque sincerissimæ contritionis et ferventissimæ charitatis, tradam tibi in manus tuas, cor et spiritum meum.

Eia, dulcissime Jesu, da quoque omnibus vivis et defunctis nunc eamdem gratiam, virtutem et fructum Passionis et mortis tuæ, quam operatus es omnibus in Cruce. Age nunc, piissime Deus, en ad te venio, præpara tu in me tibiipsi locum, suscipeque teipsum intra me, quomodo suscipi dignus es, ut posthac mundo ac mihiipsi totus mortuus, in te solo vivam, tibi soli inhæream, tecum unum effici tua gratia merear. Amen.

Ante susceptionem Eucharistiæ, precatio.

Jam tibi deberem occurrere, Deus meus : at præ confusione, præ vilitate, præ pudore sordium mearum non audeo apparere. Tu venis, Rex potentissime ac nobilissime, ad immundam et infirmam creaturam tuam, quæ peccando se omnium fecit novissimam, quæ est vilissima et velut nihil. Deus misericordissime ac benignissime, cui nihil majus dicere valeo quam Deus universorum, Deus meus et omnia. Itaque Deus meus, excita, quæso, animam meam, orna pannosam ac miseram, præpara tu ipse locum et habitationem intra me, qua te delectet recipi, ubi digneris inseparabiliter manere. Da mihi desideria, virtutes ac dona quæ te delectent, in quibus tibi occurrere teque suscipere debeam, Domine Deus meus. Ecce venio, sed pauper et nudus. Ecce venio, sed ad misericordissimum, ditissimum amantissimumque Patrem.

Itaque, Pater dulcissime, amator fide-

Digitized by Google

lissime, en ego ad te venio, qui non sum dignus vocari filius tuus : atque idcirco projicito me totum in beneplacitum tuum, in justitiam et misericordiam tuam. Fac mihi, age mecum quomodo tibi placet, et quomodo te decet ad gloriam tuam sempiternam. Deus meus, prohibe ne ex me tibi veniat irreverentia, sed honor et gloria sempiterna.

Recipe tu teipsum intra me, Domine Deus meus. O si merear et ego in tuos amplexus recipi ! Sed heu, quid ego sordidus desiderare præsumo a te, Domine Rex cœlorum ? Tuæ est bonitatis, misericordissime Deus, qua dignaris venire ad me. Ideo per eamdem bonitatem tuam obsecro te, fac ut digne ad gloriam tuam recipiam te, et sincere tu recipias me. Dulcis Jesu, trahe tu me intra te, quia nolo amplius esse extra te. Dulcis amator, Domine Jesu, qui te vocas sponsum animæ meæ, tibi me offero, tibi me totum dedo, fac ut ultra non sim meus, nec intra me sit aliquid meum aut mihi proprium, sed totus ego tuus sim, et omnia mea tua sint, sine ullo respectu inclinationeve propria ad meipsum, te solum sciens ac sentiens. Dulcis Jesu, posside me totum tu solus perfectissime et semper. Amen.

Pro sacræ Eucharistiæ digna sumptione, alia precatio.

Tu, Domine universorum, qui nullius habes indigentiam, voluisti per sacramentum tuum habitare in nobis, conserva cor meum et corpus meum immaculatum, ut læta et pura conscientia, sæpius valeam tua sacra celebrare mysteria, et ad meam digne suscipere salutem, quæ ad tuum præcipue honorem ac memoriale perenne instituisti, et sumenda et tractanda sanxisti. Præsta, Domine Deus salutaris meus, ut cum frequentatione tui mysterii, crescat etiam meæ devotionis affectus. En tuam precor clementiam, et specialem ad hoc mihi rogo donari gratiam. Præveni me, dulcissime, ardentissime, fidelissime amator, in benedictionibus dulcedinis tuæ, et fac ut totus in te liquefiam et amore perfluam, atque de nulla aliena consolatione me intromittam. Amen.

Hactenus de præparatione tam ad digne celebrandum quam communicandum complura Exercitia, modique devotissimi sunt traditi : nunc vel paucis demonstremus et doceamus, quatenus ejusdem excellentissimi Sacramenti fructus debeant custodiri, quibusve Exercitiis post divinorum Mysteriorum celebrationem utendum sit.

EXERCITIA POST MISSAM SEU COMMUNIONEM.

Post finem Missæ gratias age et pete ut prosit omnibus hoc sacrificium, ne ob tuam ingratitudinem fructus illis pereat. Cæteras petitiones junge. Innova propositum tuum emendationis et majoris custodiæ. Singulariter custodiam ac vigilantiam contra linguam statue cum firmo proposito. Potes ruminare inter eundum orationem S. Thomæ de Aquino. *Concede mihi,* quæ vocatur, Pro perfectione.

Modus alius post Missam observandus.

Pete veniam pro peccatis tuis, et maxime pro ingratitudine, impuritate et indevotione in Missa commissis. Gratias agas Deo pro omnibus beneficiis ejus, maxime pro sacerdotio pro dignatione, qua te pessimum et ingratissimum sustinet et benefacit tibi. Pete hujus sacrificii fructum tibi et universæ Ecclesiæ concedi misericorditer, nec sinat pius Dominus per malitiam tuam te aut illos illo privari.

Post Sacrificium altaris aut Communionem, imitare Samsonem mel comedentem, et dic :

REFECISTI me, Christe Jesu, melle dulcedinis tuæ, quo confortes me, quæso, ambulantem in via mandatorum tuorum, ne in servitio tuo, aut fervore indiscreto viribus deficiam, aut torpori acediæque succumbam ; sed propitius tu miserere, quæso, mei, Deus meus, et salva me. Hujus autem beneficii tui, quæso, tam vivi quam defuncti cuncti, participent

Digitized by Google

fructum, omnibus hujus favi prosit virtus, pro quibus tu olim temetipsum Patri obtulisti in cruce. Miserere igitur omnium, Deus meus, et salva nos.

Hoc præterea donum tuum, omniaque dona tua mihi indigno ac misero collata, in vulnera tua abscondo, tibi servanda augendaque eadem committo, quo tua gratia me protegente, ex nullo eorum superbiam, sed humilior et gratior tibi semper inde efficiar. Tu vero miserere, quæso, mei, Deus meus, et salva me. Amen.

Post sacram Communionem imitare Eliseum, Eliæ continuo adhærentem, et dic:

Domine Jesu Christe mitissime ac benignissime, quid retribuam tibi pro his, quæ mihi tribuisti? Te ipsum dedisti mihi. Nihil te pretiosius accipere potui, nihil utilius, nihil sanctius. Meipsum reddo tibi. Aliud enim nihil habeo. Tu vero mane mecum, piissime Jesu, et tunc præcipue, quando devotio in me vesperascit, et facut manea mego quoque tecum. Quocirca miserere, quæso, mei, Deus meus, et salva me.

Spiritus quoque tuus duplex, quo Eliseum dotasti, impleat me, quæso, Domine, ut hujus virtute Sacramenti, illuminato intellectu affectuque purgato atque inflammato, totus tibi perfectissime placeam, ex totoque corde meo te in omnibus et super omnia diligam.

Quia vero tua me dignatus es misericordia, piissime Deus, ut ingredereris vile tabernaculum meum, para tu ipse tibi vero Eliseo mensam, sedem ac lectum in corde meo, hoc est, devotionem, puritatem ac pacem, quo te delectet manere mecum; nec posthac offendam te, unde a me recedas, sed teneam possideamque te in æternum. Miserere igitur, quæso, mei, Deus meus, et salva me. Amen.

Post Communionem sacram, imitare Eliam feliciter hinc emigrando, et dic:

Obsecro autem nunc te per charitatem tuam, piissime Deus, Domine Jesu Christe, ut sumpto hoc viatico tuo, sis tu mihi cibus, qui me confortet, nutriat, protegat. Sis currus quo de exilio hujus miseriæ alacer migrem, atque feliciter perducar ad te in gaudia cœlestis patriæ. Quod ut quantocius obtineam, miserere, quæso, mei, Deus meus, et salva me.

Sit mihi, quæso, Eucharistiæ, hoc est, bonæ gratiæ, hoc quod sumpsi Sacramentum, pie Jesu, panis cœlestis. Sit mihi manna, refectio ac cibus, in cujus fortitudine ambulem usque ad montem Dei. A quo ne ab hac vita, quæso, me patiaris emigrare jejunum, sed hujus Sacramenti susceptio, et modo, et tunc sit mihi plena reconciliatio, plena peccatorum purgatio, et ad æternam vitam introductio. Quapropter miserere, quæso, mei, Deus meus, et salva me.

Postremo, quomodo tu in curru igneo Eliam transtulisti, ita hujus Sacramenti perceptione absorbeat me, quæso, ignita et melliflua vis amoris tui, qui mundo me totum faciat mori, a phantasmatibus et creaturarum imaginibus denudari, a privato amore liberum fieri et in te rapi, in te absorberi, tecumque unum perpetuum fieri. Miserere igitur, clementissime Jesu, quæso, mei, et salva me. Amen.

EUCHARISTIÆ SACRÆ EFFECTUS ET VIRTUTES

Eucharistiæ sacræ effectus, virtutes seu operationes sunt sedecim: pro quibus assequendis ante aut post Missæ sacrificium aspirationes ad Deum sunt frequentandæ. Explicantur autem his versibus.

Vivificat, purgat, minuit quoque, roborat, auget,
Restaurat, lustrat, præservat, terret, inarrhat.
Dulcat et impinguat, calet, unit, gaudia tutat.

Digitized by Google

I. VIVIFICAT. — Est enim panis, etc. de cœlo descendens, qui dat vitam mundo. Et sicut dicit Jesus : *Si quis manducat me, vivet propter me.* Dic igitur : *Joann. VI, 59.*

UTINAM, Domine Jesu, hæc tui Sacramenti susceptio me resuscitet a morte peccati, sitque mihi vita perennis et salus perpetua. Hac sacrosanctæ Eucharistiæ virtute adjutus, piissime Jesu, moriar quotidie mundo et peccato, vivam vero tibi. Amen.

II. PURGAT — præsertim venialia peccata et mortalia quoque hoc Sacramentum, de quibus pœnitet. Dic igitur :

Misericordissime Jesu, hæc Sacramenti tui sumptio, sit mihi plena peccatorum meorum satisfactio. Sit quoque, pie Jesu, animæ meæ hæc plena purgatio. Quid habeo, dulcissime Jesu, dignius, quid pretiosius, quid acceptius, quod pro peccatis meis expiandis tibi offeram, quam teipsum? Teipsum igitur Patri et tibiipsi quoque offero, quem in remissionem et purgationem omnium peccatorum meorum suscepi. Amen.

III. MINUIT — fomitem libidinis aliorumque vitiorum. In minoribus namque peccatis, teste divo Bernardo, minuit Eucharistia sensum, in gravioribus tollit consensum. Dic ergo :

Hujus Eucharistiæ, piissime Deus, sumptio, sit, quæso, omnium vitiorum in me exstinctio. Virtus, quæso, hujus Sacramenti omnia interiora mea penetret, et quidquid in me pravum, quidquid est vitiosum, mortificet et eradicet. Utinam Eucharistia hæc sancta liberet me a peccato mortis hujus, et a lege peccati. Amen.

IV. ROBORAT. — Si enim panis terrenus, quanto magis panis Angelorum, panis qui de cœlo descendit, confirmat cor hominis? Dic igitur :

Sacramentum hoc Corporis et Sanguinis tui, Christe Jesu, sit mihi ad ardua quæcumque robur et fortitudo. O panis cœlestis, qui es compactus in utero Virginis, coctus igne charitatis in ligno Crucis, præbe vires animæ meæ, præbe fervorem, ut in servitio tuo neque tepescam, neque in discretione deficiam.

V. AUGET, — hoc est multiplicat virtutes, donaque gratiarum, ut gradu crescant, numeroque multiplicentur. Dic ideo :

Post hujus, Domine Jesu, Sacramenti susceptionem, augeantur, quæso, in me tua dona, et virtutes perficiantur. Utinam Sacramenta hæc tua cœlestia gratiam mihi tuam accumulent, virtutes infundant, charitatem augeant, et dona tua cuncta in me perficiant.

VI. RESTAURAT. — Ad modum cibi naturalis consumpta deperditaque restaurantis, ita cibus hic sacramentalis vivificus restaurat calorem charitatis, et humidum radicale bonæ voluntatis. Dic ergo :

Utinam, piissime Jesu, fervorem tuæ charitatis cunctaque bona ac dona tua in me cibus hic sacramentalis restauret. Neque enim aliud ex me est, aliudque nescio, quam gratiam et dona tua destruere et impedire. Hujus vivifici cibi, Christe Jesu, sumptio reparet in me omnia, quæ per meam negligentiam, ingratitudinem et desidiam perierunt. Amen.

VII ILLUSTRAT : — id est, illuminat intellectum ad cognitionem peccatorum, ut sciat quid plangat aut unde doleat, illustratque sumentem ad cognitionem divini beneplaciti. Dic igitur :

Virtus, quæso, Corporis et Sanguinis tui, Domine Jesu Christe, intellectum, sensus, omnesque vires animæ meæ illustret, ut cognoscam coram te quid acceptissimum sit omni tempore. Illumina, quæso, tenebras meas radiis visitationis tuæ, et cognitionem peccatorum meorum, totiusque notitiam vilitatis meæ, cum detestatione et odio sancto mihi infunde. Gratiæ tuæ splendor, pie Jesu, luceat semper in me, quo cognoscam, diligam sentiamque te, Domine Deus meus, semper in toto corde meo, cum timore casto et reverentia. Amen.

VIII. PRÆSERVAT — nimirum a peccato et a morte gratiæ. Retrahit enim debilem voluntatem, et contra inimicum impugnantem armis spiritualibus instruit. Dic igitur :

Quoniam Corpore et Sanguine tuo, Deus piissime, me refecisti, non sinas ex me

Digitized by Google

hanc posthac tibi fieri contumeliam, ut ad vomitum redeam, aut ut denuo te offendam. Quodvis mecum agas, piissime Jesu, saltem a peccato ab offensioneque tui me præserves, et in tua gratia jugiter conserves. Amen.

IX. TERRET, — hoc est, Dæmones fugat. Sacramento enim hoc quicumque fuerit munitus, est diabolo tanquam castrorum acies ordinata. De quo Chrysostomus: Ut leones, inquit, flammam spirantes, sic ab illa mensa discedimus, terribiles diabolo facti. Dic igitur:

Christe Jesu, Passionis tuæ virtus, hujusque Sacramenti sumptio, sit mihi contra omnes insidias inimicorum munimen et protectio. In te, Jesu piissime, in virtute tua fac me superare omnem tentationem. Custodi me, Domine, ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum, id est, sub brachiis tuis in Cruce expansis protege me. Si me tentari vis, tribue mihi, benegnissime Jesu, virtutem ex te, ne vincar et succumbam. Sacramentum hoc tuum muniat me, quæso, et ab inimici fraude defendat. Amen.

X. INARRHAT — scilicet sponsam dilecto. Est enim cœlestis gloriæ pignus et arrha sinceræ dilectionis. Dic igitur:

Quid dignius, aut pretiosius teipso mihi dare potuisses, amantissime Jesu. Sit igitur, quæso, mihi hoc donum pignus, ne unquam posthac obdormiam in morte peccati, ne unquam a te separari possim. Utinam in arrham mihi dederis, hoc Sacramentum sincerissimi perpetuique amoris, quo tibi nexu conjungar indissolubili, et ut amoris hoc vinculum nunquam possit dissolvi. Sit hæc sumptio Sacramenti arrha, qua me dono hoc nobilissimo subarrhas, piissime Deus, sincerissimæ dilectionis, quæ ut in te constans est et perpetua, ita in me castissima quoque sit et perseveret fervens ac sempiterna.

XI. DULCAT. — Dulcedinem divini gustus sapidamque devotionem hoc Sacramentum administrat. Quapropter dic:

In te sit, Jesu suavissime, omnis delectatio mea. Te solum concupiscam, te solum sitiam, te solum sentiam. Nihil, quæso, posthac me afficiat nisi tu, nihil me delectet nisi tu. Tædeat me gaudii quod est sine te, delectet me omnis labor qui est pro te, et amara sit mihi omnis quies, quæ non est in te. Amen.

XII. IMPINGUAT, — animam donis Spiritus Sancti unctioneque devotionis. Quod Psalmista postulat, dicens: *Sicut adipe et pinguetudine repleatur anima mea.* Dic igitur:

Ah, Domine suavissime, tui dilectione, devotionis pinguetudine imple tu, quæso, mentem meam, et unctione Spiritus Sancti cor meum durum perunge, ut ablata omni duritia atque desidia, curram post te in odorem unguentorum tuorum. Utinam castissima, affectuosissima jugique devotione tu, dulcissime Jesu, impleas animam meam, qua ad patienda amara, ad agenda ardua, ad mortificanda desideria, et ad omnem abnegationem cujuscumque proprietatis, facias me fervidum, devotum, castum, obedientem atque resignatissimum. Dulcis Jesu, ad hoc Sacramentum tuum, te largiente, quæso, in me in dies crescat devotio, crescat amor, crescat desiderium, crescat reverentia, intolerabilisque in me fiat hujus esuries et sitis. Amen.

XIII. CALET, — hoc est, ad Dei inflammat amorem. Quomodo enim non inflammaret fons charitatis, Sacramentum amoris? Dic igitur:

Emitte, quæso, misericordissime Jesu, ex te amoris tui radios, qui me succendant, igneque inexstinguibili charitatis tuæ me totum, hoc est, id quod ex me sum, comburant ac consumant: ut nihil in me remaneat, nisi quod gratia tua in me operata est et charitas. Igne me tui amoris, dulcis Jesu, accende, ut velut æs candens totus flammescam charitate, totus tui amore langueam, totus, quoad me ipsum et ad veterem hominem, deficiam. Amen.

XIV. UNIT. — Quemadmodum cibus in edentis corpus vere convertitur, ita hic e diverso sumens hoc Sacramentum transformatur in Deum, hoc est Deiformis efficitur. Quamobrem dic:

Utinam me rapiat, o pulchritudo casta,

Digitized by Google

o delectatio sancta, utinam me rapiat in te ignita vis amoris tui, quæ me in te transformet, in te absorbeat et tibi uniat. Absorbeat me, quæso, piissime Deus, melliflua vis amoris tui, quæ me totum penetret atque me tecum unum efficiat. Amen.

XV. Gaudia — scilicet dat. Hoc enim Sacramentum ex prioribus ut liquet virtutibus, spem roborat et consolatur, quod filii Dei sumus. Unde gaudium hoc in Spiritu Sancto generatur. Dic igitur :

Dulcissime Jesu, hoc mundo et universo gaudio alieno cupio (fac tu ut vere id velim, possim ac perficiam) valedicere et abrenuntiare, ut in te solo queam, te miserante, gaudere. Piissime Deus, esto tu unica consolatio mea, gaudium meum unicum, securitas et pax in qua requiescam. Amen.

XVI. Tutat — scilicet a pœna inferni et purgatorii. Remittit enim partem pœnæ non modicam purgatorii. Quapropter dic :

Jesu misericordissime, non habeo quo peccata mea redimam, nec quo pœnas quas debeo propter delicta mea exsolvam : sed charitatem tuam meritaque Passionis tuæ, quæ in hoc Sacramento nobis tribuis, quæso, pro me suscipe, et me ab omni culpa et pœna liberum et innoxium redde. Quid aliud tibi offeram, pie Jesu, nisi temetipsum ? En te, qui plena es propitiatio pro peccatis nostris et satisfactio, pro me tibi trado. Amen.

Oratio omnes Eucharistiæ virtutes complectens, post Missam aut Communionem breviter utiliterque ruminanda.

Quomodo hac me gratia dignatus es, Domine Deus meus, ut Corporis et Sanguinis tui Sacramento cibares, ita me quoque hujus Sacramenti operationibus atque virtutibus cunctis impleas, quæso. Per omnia igitur vulnera tua, et per dolores tuos te obsecro, Jesu piissime, ut hujus Sacramenti perceptio, animæ meæ vitam tribuat gratiæ, quæ vitales ac divinos motus exerceat, purificet me a vitiis et a peccatis, fomitem atque peccandi libidinem minuat, robur atque animi fortitudinem adjiciat, gratiam tuam mihi augeat et virtutes, destructa (destructor enim tuæ sum gratiæ et dilapidator) et perdita restauret, tenebras cordis mei illuminet, a peccatis præservet, a tentationibus et diaboli machinationibus defendat, adoptionis tuæ seipsum mihi arrham constituat, dulcedine gratiæ tuæ impleat et consoletur, devotione impinguet, charitate tua inflammet, me tibi uniat, spiritu exhilaret, et a pœnis futuris omnibus post hanc vitam, tutum securumque ac liberum te miserante me reddat. Amen.

Potes hic etiam precari pro triplici illuminatione, ex virtute hujus Sacramenti tibi largienda, dicendo :

Deus æterne, amator et misericors, illumina cor meum ad cognoscendam pravitatem, vilitatem et ingratitudinem propriam, cum sancto odio et displicentia. Cognoscam, piissime Jesu, quam nihil sum et possum, et despiciam meipsum. Cupiam ex animo ab omnibus despici, optem humiliari, gaudeamque injurias ac contumelias pati. Eia, benignissime Jesu, infunde mihi veram cognitionem meiipsius, contritionem et perfectissimam humilitatem. Iterum obsecro te per viscera misericordiæ tuæ, Domine Deus meus, illumina cor meum ad cognoscendam et diligendam bonitatem, pietatem et charitatem tuam erga nos. Vulnera, quæso, cor meum tui amore castissimo, fidelissimo atque ferventissimo. Reple cor meum, dulcis Jesu, perfectissima, ardentissima inexstinguibilique charitate tua, ut ex toto corde meo semper te sitiam, semper te diligam in omnibus et super omnia. Clementissime Jesu, Deus meus et omnia, rogo te, illumina cor meum ad cognoscendum, amandum . perficiendumque omne beneplacitum tuum. Da mihi meiipsius perfectissimam abnegationem atque resignationem, ut meipsum omnimode relinquam, exeam, mortificem et resignem in omne beneplacitum tuum. Da mihi, ut me totum tuæ providentiæ

Digitized by Google

credam, de manu tua omnia cum gratiarum actione accipiam, et in omnibus te laudem et benedicam. Fac, piissime Deus, ut omnem vitam meam, omne tempus, omnes actus et vires corporis et animæ meæ, totumque id quod sum et possum, in laudem, in amorem, et in beneplacitum tuum expendam. Amen.

EXERCITIA VARIA PRO REMISSIONE PECCATORUM.

Exercitium devotum juxta et efficax, pro plena peccatorum a pœna et culpa, ut habet certa divinitus facta revelatio, expiatione ac remissione, maxime si fervenți charitate continuetur.

PATER *noster, etc. Sed libera nos a malo* præterito, præsenti et futuro, pro quo auferendo orare te cupio, dulcissime Pater noster, cum Dei et proximi amore ardentissimo, dicens :

Deus, qui voluisti pro mundi redemptione incarnari, circumcidi, a Judæis reprobari a Juda osculo tradi, capi, vinculis alligari, quasi agnus innocens ad victimam duci : ante conspectum Annæ, Caiphæ, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, spinis coronari, sputis conspui, colaphis cædi ; crucifige, crucifige super te clamari : morte turpissima condemnari : Cruce gravissima onerari, ante Crucem impudenter nudari, clavis ferreis dirissime perforari, in Cruce levari, inter latrones reputari, felle et aceto potari, in Cruce mori et mortificari, lancea vulnerari et sepeliri. Tu, Domine, per has sanctissimas passiones tuas, quas ego indignus recolo, libera me ab omnibus peccatis meis, et a pœnis inferni et purgatorii, juste pro his debitis, et per sanctam Crucem tuam perducere digneris me miserum peccatorem, quo perduxisti tecum crucifixum latronem. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas, Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

℣. Hic est calix Sanguinis mei.

℟. Qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.

Precatio.

OMNIPOTENS et mitissime Deus, fons vivens et indeficiens, qui sitienti populo in deserto fontem aquæ de petra eduxisti ; educ de cordis mei duritia perfectæ dilectionis et veræ compunctionis lacrymas, ut peccata mea omnia et singula præterita, præsentia et futura sic plangere valeam, ut plangenda ultra non committam. Et ad vere cognoscendum ac pure confitendum ea quæ non sum confessus, vel minus bene confessus peccata, et quæ sunt haud satis emendata, ad emendandum et dimittendum ea omnia cum satisfactione debita minus videor paratus, vel qualitercumque de voluntate tua mihi sunt imposita, obsecro et invoco singularem gratiam tuam, ut me totum tibi offeram, adeo ut omnino nihil mihi de voluntate mea retineam, sed tuam semper adimpleam, sicuti etiam de tua gratia et speciali dono, ad hæc omnia et singula tibi placita, me totum promptum et voluntarium omnino cum omnibus meis, meliori quo possum modo, tibi offero, resigno, dedo atque iterum iterumque trado. Et in hoc etiam firmissime usque ad mortem perseverare propono, sive ad vitam sive ad mortem, sive ad lucrum, sive ad damnum, sive ad supplicium, sive ad gaudium accedendum sit : obsecrans ut sumas me totum semper ad tuum honorem et beneplacitum, et nunquam ad meum desiderium vel quodcumque tibi displicens vel contrarium. Et si aliud quidquam occurrerit, quod tibi displiceat, sicut verisimiliter timeo, hoc utique ego non volo, sed illud perpetuo revoco, et revocatum, irritum et

Digitized by Google

inane in conspectu tuo fore, summe peto et desidero ; quatenus te miserante, tuæque Passionis merito mediante, plenam percipiam omnium peccatorum meorum præteritorum, præsentium et futurorum remissionem et veniam : et statim post hanc vitam uniri tibi valeam, et recipi in vitam æternam, ad tuam gloriam, cum congratulatione et gaudio piissimæ Matris et omnium Sanctorum tuorum, per omnia secula seculorum. Amen.

Exercitium aliud ad idem ad quod præcedens efficax.

Ad id autem tria potissimum requiruntur.

Primum est, ut homo de cætero usque in finem dirigat gressus suos coram Domino, incipiendo, proficiendo perficiendoque gressus suos, juxta formam et modum descriptum in Rosario sive Psalterio beatæ Virginis, cum Articulis de vita, Passione et virtutibus Christi, et sanctissimæ Matris ejus, ut illis pro posse conformetur.

Secundum est, ut pure et clare omnia peccata sua mortalia, et alicujus ponderis venialia quæ nondum satis est et bene confessus, sacerdoti habenti potestatem super eum, confiteatur, postulando prius a Deo eorumdem clarissimam cognitionem, ardentissimam contritionem, gemitum, planctum et lacrymarum effusionem, non solum in generali, sed etiam sæpius in speciali et in quotidiana sua confessione.

Tertium est, ut quotidie antequam celebret, audiens Missam, post primum Agnus Dei, vel alio tempore magis congruo, prostratus dicat hanc quæ sequitur orationem toto corde et animo perfecto ; sicque ex divina promissione cuidam Dei amico facta, certam recipiet omnium peccatorum suorum, etiam mortalium remissionem. Et si in futura peccata ceciderit, quod absit, non collidetur, quia Dominus supponet manum suam, ut humilior, cautior et fortior resurgat, quam antea fuit dum stare videbatur.

Pro remissione omnium peccatorum, precatio.

Ecce, mi amantissime Domine Jesu Christe, hic coram te Domino meo tremendo, reverendo et summe diligendo, ego me prosterno et extendo, non quod ad hoc me dignum quocumque modo præsumam, et multo minus ad accedendum te vere tremendissimum et reverendissimum Dominum, et ad accipiendum te in me vere indignissimo, præsertim in isto tuo maxime reverendo Sacramento, etiam angelicis spiritibus et potestatibus tremendo, me dignum præsumere audeo : sed hoc ex humili confidentia in tuam bonitatem et clementiam infinitam, facio, supplicaturus pro peccatis superbiæ, gulæ, luxuriæ, iræ, invidiæ, ac aliis omnibus et singulis criminibus meis commissis, et bonis omissis, nimis multipliciter et gravissime, heu, heu, heu, contra te Deum meum, ac contra proximum meum, et contra meipsum unquam perpetratis : ut des mihi illa omnia humiliter cognoscere, deplangere, et pœnitendo emendare. Idcirco autem pro quolibet tali peccato dimittendo, beatissimam Virginem Mariam Matrem tuam, et omnes Sanctos tuos, præsertim in charitate et omnibus virtutibus, culpis meis pro tempore occurrentibus, et per me tibi et sacerdoti confessis, contrariis, magis præclaros, invocavi : quia de gratia tua et illuminatione, bene consideravi, quod non sum dignus apparere, vel verbum proferre in conspectu tuo. Ideo summopere indigeo ipsorum auxilio, consilio et suffragio : quum etiam non ignorem te velle nos invocare Sanctos tuos, et te in eis, et eos in te sic laudare et honorificare, licet non sit speciosa laus in ore peccatorum, quorum primus ego sum, propter hæc et innumerabilia peccata mea, quibus heu, heu, heu, nimis inquinatus sum. Sed quia pro his omnibus me diu non condemnasti, sicut vere justissime merui, neque digne me flagellasti : sed insuper ab innumerabilibus flagellis et periculis mentis et corporis me præservasti, et usque in hanc horam misericorditer conservasti ; et super hæc omnia, me tam indignum infinitis beneficiis honorasti : specialiter tamen beneficio charitatis tantæ ac talis, quam mihi misero et indignissimo de nimia pietate tua dudum donasti,

Digitized by Google

quod in quantum possum capax esse, et tu me volueris juvare, volo summe, summe, summe, imo si possem dicere plus quam maxime, in omnibus et super omnia, sine omni mensura te superamare. Et propter illum amorem etiam proximum meum, non tam amicum quam et inimicum, sicuti meipsum in omnibus diligere, et eumdem amorem tempore et locis opportunis, veraciter et cum effectu demonstrare. Et pro eodem amore tuo, omnia peccata mea cum primis : deinde et universa peccata ab initio mundi perpetrata, et usque ad finem seculi, contra amorem et honorem tuum unquam perpetranda, continue et actualiter vel habitualiter plangere et deplorare : illaque confiteri, et secundum posse meum ad satisfaciendum pro eisdem juxta tuum beneplacitum, me omnino promptum et benevolum demonstrare. Ab omnibus quoque et singulis peccatis illis de cætero propono abstinere et cessare : ita ut potius omnia supplicia,etiam mortem millies sustinere velim, quam ex certa scientia, plenave deliberatione, non modo mortaliter aut criminaliter, sed etiam venialiter contra tuum amorem et honorem unquam peccare.

Quod si contigerit me ullo unquam tempore, contra tam fixum deliberatumque propositum meum, quocumque etiam peccato gravi aut levi te quoquo pacto offendere, ut verisimiliter timeo quod, peccatis meis exigentibus, hoc possit pluries contingere, tunc in illo non volo jacere aut permanere, sed quam cito tu mihi dederis illud cognoscere, et me adjuveris resurgere, et pœnitentiam pro illo toties, quoties opus fuerit, debitam agere firmiter propono, juxta tuum beneplacitum, et vicariorum tuorum confessorum meorum, claves scientiæ et potentiæ super me vere habentium, et me ab illo, virtute eorumdem clavium liberare valentium, voluntatem.

Et ad cognoscendum in istis et in cæteris, quantum valeo, beneplacitum tuum, necnon ad veram differentiam peccatorum venialium, mortalium et criminalium, et per quos ab illis liberari, et etiam quos ego a talibus absolvere, vel possim, vel non possim, ne falsa opinione meipsum decipiam male absolutus, neque alios male absolvendo, volo omne studium debitum applicare, ne in hac parte propter crassam ignorantiam, habeas me juste ignorare; Et insuper studere ad discendum et sciendum omnia alia debita mea, et ad implendum omnia virtutum exercitia ad me spectantia. Et ad sufferendum patienter et libenter, imo cum gaudio spirituali, omnia adversa et supplicia, tum in corpore tum in anima, volo tibi animum promptum exhibere, aptare et resignare. Et in his omnibus et singulis cæterisque tibi placitis et mihi clare cognitis, usque in finem perseverare.

At, quia nihil horum sine te facere neque consummare potero, desidero valde te in adjutorium, per tui Corporis sanctissimum Sacramentum, quamvis ad hoc vere nimis indignus sim, intra meipsum hodie suscipere, cognoscens certissima fide, quod tu velis de tua incomprehensibili bonitate et pietate, ad me quantumvis indignum dignanter, libenter et humiliter descendere, et cum eodem Sacramento ad me intrare, cum tota tua divinitate et humanitate, et me ad supradicta omnia, in quantum tu cognoveris illa fore pro salute mea, sive pro tua gloria, fidelissime adjuvare.

Ex istis quoque datur mihi magna confidentia, hic nunc et in tua reali et personali indubitata præsentia orandi, et te humiliter deprecandi pro tali clementia, quod isti sacerdoti nunc Missam celebranti, et omnibus qui te sacramentaliter hodie in se sumpserint, velis donare, quod ipsi et nos omnes qui hoc desideramus, te spiritualiter sic sumamus, quod non in pejus, sed in melius proficiamus, et de virtute in virtutem quotidie eamus, et in hoc usque in finem sic perseveremus, ut post hujus vitæ finem, illuc sine dilatione perveniamus, quod facie ad faciem clarissime videamus te Deum deorum, Dominum domi-

Digitized by Google

norum, et dilectum dilectorum, in superna Sion, in secula seculorum. Amen.

Hic obsecra Deum et beatam Virginem, pro signo plenariæ remissionis omnium peccatorum tuorum, quod est clara omnium peccatorum cognitio, perfecta contritio, cum lacrymarum copia, dicens sæpius corde contrito et humiliato: *Heu, heu, heu Domine Deus meus, quod te sic graviter offendi. Deus, propitius esto mihi peccatori. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, etc.* Quia hæc sunt efficacissima verba ad flectendum et vincendum Deum invincibilem, qui sola humilitate vincitur.

Exercitium divinæ laudis, per quod obtinetur indulgentia omnium peccatorum, uti divinitus revelatum reperimus.

Post finem Missæ, toto corde humiliter recognosce, quod pro tanto dono et Sacrificio, et pro quolibet alio Dei beneficio, non possis Deum digne, sicut decet, laudare et benedicere: et ideo cum primis omnes creaturas ad laudandum et benedicendum Dominum tecum devotius invocabis, et dices totum hunc hymnum :

Benedicite, omnia opera Domini Domino : laudate et superexaltate eum in secula. Benedicite, Angeli Domini Domino, etc. Gloria Patri, etc.

Deinde dices Psalmos.

Laudate Dominum de cœlis, etc. appropinquanti sibi, etc. Gloria Patri, etc. Cantate Domino canticum novum, laus ejus in Ecclesia sanctorum, etc. omnibus sanctis ejus. Gloria Patri et Filio, etc. Sicut erat in principio, etc. Hoc summe maxime et affectuosissime semper fieri cupio. Et specialiter gloria sit tibi, amantissime Domine mi Jesu Christe, Fili Dei, et tibi, o dulcissima Virgo Maria, Genitrix Dei, et vobis, o omnes Sancti, specialiter hodie commemorati vel commemorandi sive colendi, electi Dei, cum istis Psalmis in canticis et cum omnibus beneficiis Dei in illis comprehensis, atque cum omnibus meritis vestris, necnon et cum meipso toto quamvis vere indigno, Deo totaliter oblato, suæque voluntati funditus resignato, cum omnibus meis bonis et malis præteritis, præsentibus et futuris. Quæ omnia et singula Deo meo et vobis offero, et vestræ bonitati, charitati et pietati semper oblata esse desidero, de malis corde vero dolendo, ore confitendo, et opere ad satisfactionem me paratum exhibendo : de bonis vero eidem Domino Deo meo et vobis gratiarum actiones referendo, et vere recognoscendo quod si in illis aliquid est bonitatis, hoc est pure a Deo et a vobis. Quia quantum in me est, certus sum et vere scio, quod omnia mea, quantumvis aliqua sint vel appareant bona, vere tamen nihilum et inane reputata sint et merito reputanda, et panno menstruatæ et omni fœditati magis quam alicui puritati vel bonitati comparata et comparanda. Et ideo Domini mei et vestræ bonitati, charitati et pietati cupio semper illa immolata et immolanda, ut per ipsum et vestra merita mundentur et ornentur, et sic aliquid acquirant bonitatis. Quod si aliquid occurrerit, ut verisimiliter timeo, Deo et vobis displicens et adversum, hoc utique non volo, nec est, nec unquam sit meæ voluntatis. Et ut perfectius sit nunquam meæ voluntatis, supplico humillime, ut mihi impetrare dignemini. Cum his ergo per vos sic mundatis et ornatis : una cum vestris meritis et precibus Deo pro tanto sacrificio oblatis, et pro quocumque alio beneficio, obsecro vos, gratias agatis illi, deprecantes ut ipse misereatur mei et omnium, pro quibus ego orare teneor et desidero et postulatus sum, et specialiter pro quibus istud sanctissimum sacrificium suæ majestati obtuli sive offerre debui, et cooperamini ut ipse pro sua laude et gloria nos omnes sibi faciat gratos, et nostra omnia accepta sint illi.

Deinde, o omnes vires et sensus interiores et exteriores animæ et corporis mei, subjecti imperio ipsius Domini mei, una mecum jubilate.

Laudate Dominum in sanctis ejus, laudate eum in firmamento virtutis ejus, vide- *Ps. CL, 1 et seq.*

Digitized by Google

licet in gloriosa Virgine Maria, et in virtute fidei ipsius firmissima. *Laudate eum in virtutibus ejus,* videlicet angelicis spiritibus, qui dicuntur virtutes ejus. *Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus,* scilicet in Patriarchis, Prophetis et cæteris Sanctis universis antiqui temporis, usque ad Nativitatem Christi : circa quos in multis mirabilibus multipliciter manifesta est magnitudo potestatis, sapientiæ et virtutis ipsius. *Laudate eum in sono tubæ,* scilicet Apostolorum et Evangelistarum, quorum sonus prædicationis ad modum tubæ exivit in orbem terrarum. *Laudate eum in Psalterio* obedientiæ septuaginta et aliorum primorum discipulorum, *et cythara* patientiæ sanctorum Martyrum. *Laudate eum in tympano* sanctorum Confessorum, *et choro* sanctarum Virginum et continentium, choros cœlestes cum Jesu sponso suo ducentium. *Laudate eum in chordis* sanctarum viduarum, *et organo* bonorum et bonarum conjugum. *Laudate eum in cymbalis benesonantibus* vere pœnitentium. *Laudate eum in cymbalis jubilationis* amantium, in vita contemplativa sese exercentium. *Omnis spiritus laudet Dominum,* ea scilicet laude, qua te laudaverunt spiritus boni, quando se confirmatos et alios damnatos viderunt. Hoc est enim summum desiderium meum.

Cum ergo tu paupercula anima mea in tua natura et essentia vere sis spiritualis substantia, et spiritus quemadmodum et alii spiritus, a Deo creatus, de quo multum illi teneris esse grata, quia si ipse voluisset te non creare, vel serpentem aut turpissimam rem creare, potuisset, cui suam nobilissimam essentiam non communicaret. Cum, inquam, sis ad ipsius imaginem et similitudinem nobilissime creata, insuper et ipsius gratia speciali per baptismum a malis et damnatis spiritibus et eorum potestate liberata, de quo debes illi esse magis grata. Et ultra hæc ex ipsius majori gratia, bonis spiritibus tam cœlestibus quam terrestribus, viris vere spiritualibus, in hac sancta religione sociata, licet indignissima : unde maxime debes illi esse grata. Et super hæc omnia, ipsius abundantiori gratia et misericordia, in loco isto sancto ad laudandum ipsum cum omnibus sanctis spiritibus specialiter collocata : unde super omnia debes esse gratissima, et ad laudandum ipsum omni tempore cum omni exaltatione promptissima et fidelissima. Nimirum si voluisset Deus, juxta merita tua, ante multa tempora in inferno fuisses locata. Ut ergo possis eumdem tam misericordem Dominum Deum tuum digne laudare, debes cum beato Petro, vere digno laudatore, eumdem Dominum Deum tuum trina confessione, summe, summe, summe plusquam alii amare, et cum eodem Petro propter prædictum amorem omnia relinquere mundo, et tibiipsi perfectius quam prius moriendo et renuntiando : et cum eodem Petro eumdem Dominum sequi, et imitari per vias suas, non tuas, obedienter et perfectius quam prius ambulando. Insuper cum eodem Petro in amore prædicto, crucem tuam post Dominum tollere, omnia adversa per ipsum super te missa vel permissa, patienter tolerando. Sed et generaliter cum eodem et pro eodem amore, omnem vitiorum fomitem in te penitus mortificare : fomitem videlicet concupiscentiæ carnis, concupiscentiæ oculorum, et superbiæ vitæ, exstinguendo.

At quoniam sine ipso nihil horum poteris facere, debes ipsius misericordiam in adjutorium, et omnium Sanctorum merita et suffragia ad hæc perficienda incessanter invocare et obsecrare, et una mecum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente et virtute dicere :

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. Ave, Maria.

Et ne nos.

℣. Lætamini in Domino et exultate justi.

℟. Et gloriamini omnes recti corde.

℣. Deus, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui nos concedis omnium Sanctorum tuorum merita venerari, da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere, et eorum meritis et precibus omnia peccata nostra præterita, heu, heu, heu in te, aut in quemcumque commissa, vere pœnitendo sic deflere, præsentia et omnia tentamenta sic vincere et dolere, et omnia futura per tuam gratiam sic præ-

Digitized by Google

cavere, et ulterius in omnibus debitis virtutibus nos sic perseveranter exercere, præsertim in supradictis perfectis dilectione, abrenuntiatione, imitatione, tolerantia et mortificatione, te laudando, cum sancto Petro tibi ita viriliter et finaliter adhærere, ut tu in nobis et nos in te manendo, mutuo nos valeamus feliciter et inseparabiliter possidere, et te cum Patre et Spiritu Sancto, cum lætitia et gloria omnium electorum tuorum laudare. Per omnia secula seculorum. Amen.

DE CHRISTO CRUCIFIXO

Me lege, quisquis ades, si qua est tibi cura salutis;
Si tua divinus pectora tangit amor.
Ecce cruci affixum, quo cuncta movente moventur;
Cujus cuncta bibunt fontibus, ecce sitit.
Qui fabricat brutis avibusque sedilia, pendens
Nil sua quo cervix sustineatur habet.
Est nudus largitor opum, speciosior astris
Livet et est justus victima pro scelere.
Qui dat sceptra, gerit de sentibus ecce coronam:
Latrones inter gloria summa probro est.
Quique refrigerium est, ipse est solaminis expers:
Et vitæ Dominus mortuus ipse jacet.
Hæc dixisse velim: sed tu memor esto, tot atque
Tanta tui causa sustinuisse Deum.

Digitized by Google

PARS QUINTA

EXERCITIIS PIISSIMIS ROSARIISQUE AC SERTIS MYSTICIS DE VITA, PASSIONE, GLORIFICATIONE ET GAUDIIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, PIENTISSIMÆQUE EJUSDEM MATRIS VIRGINIS MARIÆ REFERTA.

PRÆFATIUNCULA IN ROSARIUM VITÆ PASSIONISQUE CHRISTI.

SANCTORUM fere omnium una sententia est, neminem fore idoneum ad gustandam divinæ contemplationis dulcedinem, nisi Christi primum humana, hoc est, nisi Christi actus, mores, virtutes passionesque ac cætera amoris ejus erga nos beneficia sedulo fuerit meditatus. Extra hanc viam gradienti nescio quis progressus, quisve exitus sperandus sit. Nam quisquis contemplandi studium altius, ne dicam arrogantius, quam a vita Christi exorsus fuerit, formidandum est illi, ne temeritatis arguatur; ruinæ quam sanctitati propior. At vero qui animo frequens in Christi passionibus actibusque sanctis versatus fuerit, ad angustiora atque magis arcana haud dubium divinitatis invitabitur. Accedit quod quemadmodum sua olim Passione Christum ministrasse fructum nobis infinitum compertissimum est, ita nulli dubium esse debet, eum, qui Christi vitam et Passionem propterea meditatur, ut contra peccata concipiat odium, vitia detestetur, mundum fastidiat, sensuum delectationibus moriatur, compatiendi stimuletur desiderio, divino inflammetur amore, Christi virtutes, quæ clarent hic maxime, imitetur, mente stabiliatur in Deo, eidemque spiritu uniatur, utilitatem consequi immensam.

Eamobrem vita et Passio Christi hic quinquaginta articulis hoc modo distincta est, ut cuivis articulo quædam ad Deum aspiratio seu petitio, quasi ex illius actus aut passionis meditatione tunc nata, conjungatur, quo simul ubique et meditandi et orandi studium, præsertim mentale, conveniat, hoc est, ut pariter et ad imitationem humanitatis Christi mens devota stimuletur, et ad divinitatis ejus amorem inflammetur. Potest autem qui voluerit, singulis articulis Salutationem angelicam, et cuilibet denario articulorum dominicam Orationem subjungere. Quod genus orandi, Rosarium vocamus.

Porro, quam salubre sit homini, quamque acceptum Deo hujusmodi studium orandi, testantur revelationes complures, piis olim hominibus factæ. Si tamen cuipiam ita non libeat, omittere potest dominicas Orationes ac Salutationes angelicas. Potest etiam articulos extendere, truncare aut mutare pro sua devotione,

Sunt præterea adjuncti versus pro juvanda memoria, si quis mente duntaxat voluerit orare, articulorum ordinem, meditandique materiam indicantes. Nam quinque articulorum quilibet versus semper indicium præbet. Non prætermittendum etiam qui rosarium orando efficere volunt, quinque dominicas Orationes ad quinque Christi vulnera, quemadmodum sequitur, applicare posse. Vale lector. Ex Cartusia Agrippinensi.

Digitized by Google

VERSUS

QUI ARTICULOS ROSARII SEQUENTIS EJUSDEMQUE ORDINEM SIGNIFICENT.

Cuncta creat. Natam. Præsentat. Sponsa. Salutat.
Ad montana. Parit. Laudant. Scindunt. Veniunt tres.
Sistitur. Ac fugiens. Ad festa. Latetque. Lavatur.
Tentatus. Docuit. Curat. Pius est. Lacrymatur.
Venditur. Atque lavat. Statuens. Angustia. Captus.
Fert alapam. Petrus. Reus est. Pilatus. Herodes.
Cæditur. Et spinis. Damnatus. Fert. Renovantur.
Affixus. Latro. Matremque. Relictus. Aceto.
Exspirat. Foditur. Solvunt. Sepelitur. Ad Ima.
Surgens. Ascendit. Mittens. Assumptaque. Judex.

EXERCITIUM VITÆ ET PASSIONIS JESU CHRISTI,

AD MODUM ROSARII QUINQUAGINTA ARTICULIS ET TOTIDEM ORATIUNCULIS DISTINCTUM.

Ad vulnus dexteri pedis, precatio.

AMABILISSIME atque dulcissime Domine Jesu Christe, sit tibi laus, honor et gloria pro vulnere et dolore dextri pedis tui.

In hoc sacrosanctum vulnus depono atque commendo tibi omnia peccata mea, vitia, passiones atque omnem prorsus ingratitudinem, infirmitatem, vilitatem atque nihileitatem meam, obsecrans te per immensam bonitatem tuam, ut omnia hæc per gratiam tuam in me deleas, atque purifices ac sanes. Quidquid etiam in me tibi displicet, a me tollas : quidquid tibi placet, mihi infundas, et in gratia tua ab omni peccato me perpetuo liberum facias, præmunias, dirigas atque custodias. Amen. *Pater noster, etc.*

1. Cuncta creat. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo benedico te, et gratias ago tibi, qui me creasti, quique hactenus me peccantem quotidie sustines, et licet ingratissimum, etiam beneficiis foves. Da mihi, quæso, ut te Creatorem meum cognoscam, cum timore et reverentia tibi fideliter serviam, perfecte obediam, et ex toto corde semper tibi placere studeam. Amen. *Ave, Maria.*

2. Natam. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui nobilissimam Virginem tibi in Matrem præelegisti, quam præfiguratam, et de sanctis parentibus sine peccato conceptam ac natam, gratiis, virtutibus bonisque omnibus implevisti. Da mihi, quæso, ut peccata mea vilitatemque propriam perfecte cognoscam, cum vera contritione ac sancto odio defleam, et quidquid tibi displicet, detester et fugiam. Amen. *Ave, Maria.*

3. Præsentat. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui amabilissimæ puellæ, honestissimæ speciosissimæque Virgini Mariæ, futuræ Matri tuæ, inspirasti ut in templum se tibi offerret,

Digitized by Google

dedicaret, ac perpetuam virginitatem voveret. Eia, dulcissime Jesu, da mihi mentis et corporis perfectissimam castitatem, cordisque ferventissimam devotionem, simplicitatem, puritatem ac stabilitatem. Amen. *Ave, Maria.*

4. Sponsa. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui virgineo Joseph pudicissimam Virginem Mariam voluisti desponsari, et utrumque in integritate immaculatum conservari. O utinam mundum cum universis vitiis et concupiscentiis superem et contemnam, et tibi ardentissimo sincerissimoque amore semper inhæream. Amen. *Ave, Maria.*

5. Salutat. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui dignatus es sanctissimam Virginem Mariam per Angelum salutare, Spiritu Sancto fecundare, atque in utero ejus incarnari. Dulcissime Jesu, utinam facias cor meum ita ab omni peccato et vitio liberum, ut tibi sit juge ac perpetuum habitaculum. Amen. *Ave, Maria.*

6. Ad montana. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, quia dignatus es novem mensibus in utero Virginis gestari, et a præcursore necdum nato cognosci ac prophetari. Utinam cor meum castissimo amore tui sic vulneres, ut omnia mundana fastidiat, et te habitatorem, possessorem indesinenter sitiat. Amen. *Ave, Maria.*

7. Parit. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, quem sine dolore genuit Virgo inviolata, carens hospitio et peregrina. Eia, dulcissime Jesu, utinam cor meum repleas semper gratia veræ ac perfectæ contritionis, ut tibi esse merear filius æternæ adoptionis. Amen. *Ave, Maria.*

8. Laudant. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico, te et gratias ago tibi, qui in paupertate et frigore in præsepio positus, ab Angelis es laudatus, et a pastoribus adoratus. Fac ut in servitio tuo nunquam tepescam et a laude tua nunquam deficiam. Amen. *Ave, Maria.*

9. Scinduntur. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui circumcidi dignatus es ac vulnerari, et pro consolatione nostra Jesus nominari. Utinam per Sanguinis tui effusionem merear totus purificari, et ab omni offensione ac culpa perpetuo præservari. Amen. *Ave, Maria.*

10. Veniunt Tres. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui a tribus Magis quæsitus, adoratus et muneribus es honoratus. Eia, dulcissime Jesu, da mihi, ut meipsum totum semper tibi resignem ac offeram, omnes vires ac totum ipsum quod sum ac possum, omni tempore in laudem, amorem ac beneplacitum tuum expendam. Amen. *Ave, Maria.*

Ad vulnus sinistri pedis, precatio.

Amabilissime atque dulcissime Jesu, sit tibi laus, honor et gloria pro vulnere et dolore sinistri tui pedis. In hoc vulnus repono omnes negligentias meas, omnia debita, omnesque obligationes meas, rogans ut illa tu suppleas, tu me justifices, impleas et confirmes gratia tua æterna, in qua crescam et quam nunquam amittere valeam. Amen. *Pater noster.*

1. Sistitur. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, quod in templum offerri, et cum purissima Virgine Matre tua legi subdi, voluisti. Ah, dulcissime Jesu, da mihi perfectissimam humilitatem, qua detester omnem seculi gloriam, omnem honorem fugiam, et omni homini propter te devote me subjiciam atque obediam. Amen. *Ave, Maria.*

2. Ac fugiens. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui Herodis persecutionem, fugam exiliumque cum Matre in infantia tua pertulisti. Fac me desideranter æquanimiterque omnem adversitatem sustinere, et in omni pressura tibi fideliter adhærere. Amen. *Ave, Maria.*

3. Ad festa O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui in templo remanens, a Matre quæsitus, et

Digitized by Google

post triduum es inventus. Eia, dulcissime Jesu, utinam toto corde ardentissimoque desiderio te æstuanter sitiam, indesinenter quæram, ita feliciter inveniam, ut te nunquam amittere valeam. Amen. *Ave, Maria.*

4. Latetque. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui triginta annis cum Matre incognitus latuisti, et fabri filius æstimari voluisti. Utinam gratia tua in me omnem exstirpet arrogantiam, omnem occidat superbiam, ut non videri aut gloriari, sed nesciri diligam ac vilis reputari. Amen. *Ave, Maria.*

5. avatur. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui propter nos in Jordane dignatus es baptizari, et a Patre cœlitus monstrari. Da mihi per juges lacrymas ab omnibus peccatis et vitiis mundari, ut tui amore desiderioque cœlestis viæ semper totusque merear inebriari. Amen. *Ave, Maria.*

6, entatus. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui in deserto abstinens, dignatus es a diabolo tentari. Eia, dulcissime Jesu, protege me gratia tua, et fac me cunctas diaboli insidias evadere, omniaque tentamenta in tua virtute superare. Amen. *Ave, Maria.*

7. Docuit. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui pro animarum salute, orationibus, vigiliis, itineribus prædicationibusque continuis es fatigatus. Da mihi ut honorem tuum et animarum salutem ferventer sitiam, et pro his cor meum et omnia desideranter impendam. Amen. *Ave, Maria.*

8. Curat. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui nuptias tua præsentia atque miraculo primo honorasti, cunctisque egentibus ac infirmis curationum beneficia erogasti. Da mihi cor pietate, compassione et omni misericordia plenum, quo omnibus hominibus et præcipue inimicis impendam perfectissimæ dilectionis beneficia et affectum. Amen. *Ave, Maria.*

9. Pius est. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi pro benignissima familiaritate, quam Mariæ Magdalenæ, Zachæo, Matthæo, mulieri in adulterio deprehensæ, cæterisque pœnitentibus totus pius ac misericors exhibuisti. Da mihi gratiam profundissimæ humilitatis, perfectissimæ mititatis, benignitatis et charitatis. Amen. *Ave, Maria.*

10. Lacrymatur. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui inter laudes et honores super Jerusalem flevisti. Eia, dulcissime Jesu, infunde mihi perfectæ charitatis zelum ut tui contemptum et irreverentiam ubique detester ac horream, pro quocumque peccato ex toto corde doleam, cujuscumque etiam proximi mala ut propria sentiam. Amen. *Ave, Maria.*

Ad vulnus dextræ manus, precatio.

Amabilissime atque dulcissime Jesu, sit tibi laus, honor et gloria pro vulnere et dolore dextræ manus tuæ. In hoc vulnus repono atque commendo tibi omnes actus et conatus meos, et quidquid gratia tua in me aut per me factum est, ut tu ea custodias, sanctifices et perficias ad laudem et gloriam nominis tui. Amen. *Pater noster.*

1. Venditur. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui Judæis te persequentibus, et in mortem tuam conspirantibus, a discipulo es venditus. Ah dulcis Jesu, da mihi ut et mala et bona omnia de manu tua suscipiam, inter omnia gratias agam, pro singulis semper te plus diligam et ad omnes homines pacem, tranquillitatem cordis ac charitatem retineam. Amen. *Ave, Maria.*

2. Atque lavat. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, ac gratias ago tibi, qui relicta Matre, Jerosolymis Pascha cum discipulis comedisti, et illorum pedes humillime lavisti, utinam cuncta pro tui amore libenter relinquam, omnibus te præferam, in omnibus et super omnia te diligam, et me omnibus in obsequium propter te gaudenter subjiciam. Amen. *Ave, Maria.*

3. Statuens. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo,

Digitized by Google

benedico te, et gratias ago tibi, qui Sacramentum Eucharistiæ instituens discipulis tradidisti, et nobis idipsum reliquisti. Eia dulcissime Jesu, accende cor meum ad esuriem hujus venerabilis Sacramenti, ut ardentissimo desiderio, castissimo affectu, humilitate, reverentia devotioneque sincerissima frequentem illud, quando quotiesque dignationi tuæ placuerit. Amen. *Ave, Maria.*

4. Angustia. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui ad patiendum desiderantissimus, simulque tristis ac pavidus, ter orando Patri te resignasti, et in agone positus sanguinem sudasti. Ah utinam facias, ut in omni adversitate ac tentatione ad te semper recurram, in te solo confidam, meipsum relinquam, et tibi soli credam, offeram et resignem. Amen. *Ave, Maria.*

5. Captus. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui ab hostibus captus ligabaris, cædebaris, blasphemabaris impieque tractabaris. Utinam facias me a vitiis omnibus liberum, et in tui amore captivum, ut mihi desiderantissimum fiat despici, injuriasque ac contumelias pati. Amen. *Ave, Maria.*

6. Fert alapam. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui ductus ad Annam, patienter a servo alapam tulisti. Da mihi ut odientes me diligam, pro malis bona retribuam, et dulcedinis ac benignitatis affectum ad omnes effundam. Amen. *Ave, Maria.*

7. Petrus. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui in domo Caiphæ, iniquos testes accusantium tolerasti, et Petrum ter negantem te misericorditer respiciens, ad pœnitentiæ fletum revocasti. Eia, misericordissime Jesu, da mihi ut peccata mea, ingratitudinem quoque et negligentias meas perfecte lugeam, et ex toto corde tibi placere studeam. Amen. *Ave, Maria.*

8. Reus est. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui damnatus, consputus, cæsus velatusque, et alia complura indigna sustinuisti. Utinam tui amor tantus in me ferveat, ut odiam reputari aut honorari, desiderem vero et ex corde gaudeam nesciri, despici ac pati. Amen. *Ave, Maria.*

9. Pilatus. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui coram Pilato injuste accusatus, humiliter tacuisti. Ah pie Jesu, pone linguæ meæ frenum timorem tui, quo ab omni etiam otioso sermone abstineam, et in omnem humiliationem meipsum ultro ac desideranter offeram. Amen. *Ave, Maria.*

10. Herodes. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui ab Herode despectus ac derisoria veste es illusus, inter opprobria quoque subsannatus, et sic ad Pilatum reductus. Eia, dulcissime Jesu, da mihi ut de omnibus hominibus bene sentiam, neminem judicem aut spernam, cunctos mihi præferam, et de me semper vilius sentiam. Amen. *Ave, Maria.*

Ad vulnus sinistræ manus, precatio.

Amabilissime atque dulcissime Jesu, sit tibi laus, honor et gloria pro vulnere et dolore sinistræ manus tuæ. In hoc vulnus offero tibi, ac iterum commendo omnia dona, beneficia, gratias, et quidquid mihi ingrato ac misero contulisti. Rogo autem tuam misericordiam per singulas guttas sanguineas, quæ inde fluxerunt, ut ea omnia mihi conserves, confirmes, perficias augeasque ad gloriam nominis tui, ut in dies in me crescant humilitas et charitas secundum beneplacitum tuum. Amen. *Pater noster.*

1. Cæditur. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui propter me dignatus es nudari, ad columnam ligari, toto corpore flagellari, vulnerari ac cruentari. Da mihi nunc flagella tua tam patienter tamque desideranter sustinere, ut tuis pœnis ac meritis purgatus, post hujus vitæ egressum illico merear tecum gaudere, ubi tibi placeam, te laudem, te

Digitized by Google

diligam in æternum. Amen. *Ave, Maria.*

2. Et spinis. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui coronam spineam vertici tuo impressam, subsannationesque et illusiones, alapas quoque ac sputa propter me pertulisti. Dulcis Jesu, imprime cordi meo jugem Passionis tuæ memoriam, quæ mentem meam indesinenter compungat, vulneret atque totam liquefaciens, in tui amore absorbeat. Amen. *Ave, Maria.*

3. Monstrant. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui licet totus miserabilis, vulneribus et doloribus plenus, productus, ac populo es monstratus. Invidia tamen Judæorum clamans postulavit te crucifigi, et Barabbam vita donari. Ah, dulcissime Jesu, omnem superbiam et omnem gloriæ appetitum, invidiam cunctaque vitia in me mortifica et extingue, et fac ut vere sim compatiens, vere humilis ac mitis corde. O Passio nobilissima Salvatoris mei, vulnera animam meam : o pretiosissima vulnera amatoris mei, inebriate mentem meam. Amen. *Ave, Maria.*

4. Damnatus. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui innocenter pro me ante tribunal stans, passus es te ad mortem damnari, et in gaudium hostibus fieri. Per hanc charitatem tuam obsecro te, Deus meus, da mihi gratiam nunquam obloquendi, nunquam detrahendi, nunquam proximum judicandi, damnandi aut spernendi, et ad hæc etiam aliis nunquam auscultandi aut consentiendi. Amen. *Ave, Maria.*

5. Fert. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, pro singulis doloribus atque gemitibus, quando inter multa opprobria et verbera bajulans Crucem tuam, in oculis Matris tuæ sub onere corruisti. Da mihi, mitissime Jesu, crucem propriæ abnegationis et mortificationis ferventissima devotione amplecti, et vestigia virtutum tuarum charitate perfectissima imitari. Amen. *Ave, Maria.*

6. Renovantur. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, cujus omnia membra extractione vestium nudabantur, doloresque et vulnera renovabantur. Utinam facias cor meum ab omni inutili cogitatione, ab omni impura affectione, ab omnibus denique visibilium rerum formis perfecte nudari, ut jugi visionis tui præsentia merear in dies renovari, tuique amore ferventissimo totus absorberi atque cremari. Amen. *Ave, Maria.*

7. Affixus. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui super Crucem dire es extensus et clavis affixus, non habens speciem neque decorem, sed sicut leprosus et a Deo percussus. Da mihi ut nihil sim in oculis meis, sed meipsum semper despiciam, ad majora et meliora extendam, et omnes vires animæ et corporis mei in amorem et beneplacitum tuum expendam. Amen. *Ave, Maria.*

8. Latro. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui inter latrones positus, exprobrantium blasphemias æquanimiter pertulisti, et pro inimicis orans, latroni pœnitenti paradisum promisisti. Da mihi perfectissime omnia vitia in me mortificare, omnia adversa mitissime tolerare, et æstuantissimo desiderio ad te verum paradisum continue aspirare. Amen. *Ave, Maria.*

9. Matremque. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi pro dolore, quo Cor tuum scindebatur, quando Matrem tuam fidelissimam condolentissimamque adstantem discipulo tuo Joanni commendabas. Eia, dulcissime Jesu, da mihi in ejus veneratione et amore sic affici et occupari, ut ab ea tanquam a Matre merear semper protegi, foveri et gubernari. Amen. *Ave, Maria.*

10. Relictus. Aceto. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui inter acerbissimos pœnarum cruciatus clamabas te derelictum, quando etiam æstuantissima siti tortus, non habuisti aquæ guttam, sed fel et acetum. Ah, dulcissime Jesu, fac ut in omni tentatione ac pressura ad te confugiam, ad te sitiam et esuriam,

Digitized by Google

ac mundana omnia fastidiam. Amen. *Ave, Maria.*

Ad vulnus Cordis Jesu, precatio.

Amabilissime atque dulcissime Jesu, pro vulnere Cordis tui sit tibi laus, honor et gloria. In hoc vulnus offero, committo atque resigno tibi cor meum, omnes potentias, vires, intentiones et affectiones meas : rogans te per effusionem Sanguinis tui et aquæ, ut me tu solus possideas et regas, igneque vehementissimi amoris tui consumas, absorbeas et tibi unias. Amen. *Pater noster.*

1. Expirat. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi pro innocentissima amarissimaque morte tua, videlicet, pro dolorosa separatione sanctissimæ animæ tuæ a nobilissimo corpore tuo. Eia, Deus meus, Salvator meus, spes mea et corona mea, da mihi ut vitiis et concupiscentiis omnibus, omnique privato ac inordinato amori perfecte moriar, tibi vero soli vivam, et æternaliter inhæream. Amen. *Ave, Maria.*

2. Foditur. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi pro amoroso vulnere illo, quo Cor tuum transfixum, Sanguinem nobis propinavit et aquam. Eia, vulnera, quæso, cor meum lancea amoris tui, ut aliud neque cogitem, neque desiderem, quam te Dominum Deum meum pro me crucifixum. Nihil mihi placeat, nihil me afficiat, nisi tu Deus meus, gaudium meum, vita mea. Amen. *Ave, Maria.*

3. Solvunt. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, pro flebili depositione corporis tui de Cruce, et pro lamentabili planctu Matris tuæ et amicorum tuorum. O utinam Passionis tuæ memoria omnes sensus meos repleat, et me totum absorbeat, ut aliud non videam, aliud non sentiam, aliud nesciam, quam te Dominum meum pro me crucifixum et mortuum. Amen. *Ave, Maria.*

4. Sepelitur. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui voluisti sindone involvi, et alieno sepulchro recondi. Utinam cor meum, sensus et vires meas omnes in te sepelias, per amorem tibi unias, et velut insensibilem ac stupidum ad omnia quæ a te sunt aliena, me reddas. Amen. *Ave, Maria.*

5. Ad ima. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui dignatus es ad inferna descendere, et captivos Patres liberare. Eia, dulcissime Jesu, descendat nunc quoque Passionis et Sanguinis tui virtus in purgatorium, et det animabus cunctis refrigerium. Amen. *Ave, Maria.*

6. Surgens. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui resurgens a morte, primo Matri, deinde Mariæ Magdalenæ et Apostolis gloriosus apparuisti. O dulcissime Jesu, da mihi vitiis, passionibus ac inordinatis motibus omnibus perfecte mori, tibi vivere, tibi placere, et sola cœlestia sapere et desiderare. Amen. *Ave, Maria.*

7. Ascendit. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui jubilantibus Angelis et Patribus comitantibus, ascendisti in cœlum. Utinam semper mens mea tui amore langueat, mundana universa fastidiat, te solum ardenter esuriat ac sitiat : nihil me afficiat, nihil me delectet, nihil me lætificet, nisi tu, Domine Deus meus. Amen. *Ave, Maria.*

8. Mittens. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui Spiritum Sanctum dedisti, et discipulos ad mundi conversionem misisti. Da mihi simplicissimam puritatem cordis, jugemque stabilitatem mentis. Da mihi ardentissimam, fidelissimam perpetuamque charitatem, ut Spiritus Sanctus me impleat, regat ac possideat, et uberioribus donis gratiæ suæ dignum me efficiat. Amen. *Ave, Maria.*

9. Assumptaque. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, ac gratias ago tibi, qui Matrem tuam in corpore et anima assumptam glorificasti, et potentissimam misericordissimamque nobis donasti. Da mihi per ejus merita tuam gratiam, et in omni bo-

Digitized by Google

no perseverantiam, ut in servitio tuo nunquam deficiam, et per indiscretionem nunquam excedam. Amen. *Ave, Maria.*

10. Judex. O Domine Jesu Christe, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, qui judex es venturus, et unicuique secundum sua opera supplicium aut præmium redditurus. Eia, misericordissime Jesu, da mihi omnem vitam meam secundum beneplacitum tuum ita consummare, ut anima mea de corpore egrediens, immediate ad te Creatorem suum tui amantissima redeat, ubi sine fine in gloria tua cum omnibus Sanctis te collaudet et benedicat. Amen. *Ave, Maria.*

Si quispiam aliis occupationibus præpeditus, articulos hos, quomodo supra scripti sunt cum orationibus legere meditarive nequiverit, potest, lecturus Rosarium post quinque aut decem Salutationes angelicas, omissis superioribus, orationem quæ sequitur semper inserere.

Ave, benignissime Jesu Christe, cum omnibus Sanctis et electis tuis, gratia plenus, misericordia tecum, benedicta sit amarissima Passio tua, tristissima anima tua, piissimum Cor tuum, omnia membra tua, opprobria, livores, vulnera et mors tua. Et benedictus dolor ac Sanguis vulnerum tuorum.

Pro his itaque omnibus quæ passus es, et pro immensa charitate tua, qua propter me passus es, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, misericordissime Domine Jesu Christe. Obsecro etiam te per piissimum Cor tuum, imple cor meum ardentissima, perfectissima, perpetuaque charitate, ut meipsum vere cognoscam et contemnam, contemnentes vero et odientes me ex corde diligam. Dulcis Jesu, da mihi ut nil me afficiat, nil me delectet nisi tu. Te solum cogitem, te solum sentiam, et tibi semper totus perfectissime placeam. Amen.

Modus offerendi Rosarium.

Offero tibi, clementissime Jesu, nunc merita beatissimæ Matris tuæ, omnium electorum tuorum, qui sunt aut fuerunt sive erunt, a primo usque ad novissimum, in unione omnium meritorum, quæ infinita sunt, vitæ et Passionis tuæ ab initio usque ad finem : et in his omnibus, amabilissime Jesu, offero tibi etiam hoc Rosariolum pauperis peccatoris, ut propter et inter prædicta merita dignanter super caput tuum suscipias pro spinea corona, quam tu pro me, sustinuisti : simul et capiti gloriosissimæ Matris tuæ pro sertulo virginali imponas.

O dulcissime Jesu, offeras hæc omnia, scilicet Passionem tuam, etc. tuo Patri omnipotenti, in eadem charitate et tam efficaciter, quomodo teipsum illi in ara Crucis obtulisti pro salute totius mundi, ut in omnibus et per omnia, tua sanctissima et laudabilissima voluntas fiat in universis creaturis tuis.

Et specialiter pro te sive aliis quidquid volueris pete, semperque specialissime defunctorum (quia sunt amici Dei, et ipsorum est regnum cœlorum) in purgatorio existentium memoriam habe, quia pro illis oratio facta certum est quod vacua non revertitur.

ROSARIUM VITÆ ET PASSIONIS JESU CHRISTI

QUINQUAGINTA ARTICULIS, TOTIDEMQUE ASPIRATIONIBUS DISTINCTUM ET IN BREVE COMPENDIUM REDACTUM, PRO IIS, QUIBUS PRÆCEDENS PROLIXIUS FORTE VIDERI POSSIT.

Pater noster.

1. Cuncta creat. Ave, benignissime Jesu, Qui me creasti et omnia. Heu me miserum, quia me perdidi : reformet me, quæso, tua misericordia. Ave et tu, o gloriosissima Dei Mater Virgo Maria, gratia plena, etc.

2. Natam. Ave, benignissime Jesu, Qui concipi, nasci educarique fecisti Matrem tuam sine peccato. Heu quanta sunt, pie Jesu, pec-

Digitized by Google

cata mea, quanta ingratitudo? Ave et tu, o gloriosissima, etc.

3. Præsentat. Ave, benignissime Jesu, Cui in templum se Maria obtulit devotissima. Utinam tibi perfecte serviam in lacrymosa pœnitentia. Ave et tu, o gloriosissima, etc.

4. Sponsa. Ave, benignissime Jesu, Qui Virginem Mariam sponso sociasti virgineo, utinam cor meum semper vulneret perfecta cordis contritio. Ave et tu, etc.

5. Salutat. Ave, benignissime Jesu, Qui incarnatus es in Virginis utero. Utinam exuar, in diesque munder ab omni peccato. Ave et tu, o gloriosissima, etc.

6. Ad montana. Ave, benignissime Jesu, Quo impregnata Mater ibat in montana. Utinam cœlestia sitiens detester omnia vana. Ave et tu, o gloriosissima, etc.

7. Parit. Ave, benignissime Jesu, Quem Virgo peperit sine dolore. Utinam adopter a te in filium ardentissimo castissimoque tui amore. Ave et tu, o gloriosissima, etc.

8. Laudant. Ave, benignissime Jesu, Quem visitarunt pastores, Angelis laudantibus. Diligam et laudem te, Deus meus, ex toto corde meo super omnia, et in omnibus. Ave et tu, etc.

9. Scindunt Ave, benignissime Jesu, Qui circumcisus fudisti Sanguinem. Hunc offer, quæso, Patri pro nobis ad nostri expiationem. Ave et tu, o gloriosissima, etc.

10. Veniunt tres. Ave, benignissime Jesu, Cui reges tria obtulerunt munera. Utinam omnes vires omneque tempus vitæ meæ offeram et expendam in tua beneplacita. Ave et tu, o gloriosissima, etc.

Pater noster.

11. Sistitur. Ave, benignissime Jesu, Quem Virgo purissima sistens redemit in templo. Utinam tuæ ac Matris humilitatis conformer exemplo. Ave et tu, etc.

12. Ac fugiens. Ave, benignissime Jesu, Qui cum Matre, Herodis fugisti persecutionem. Utinam de manu tua suscipiam feramque æquanimiter omnem tribulationem. Ave et tu, etc.

13. Ad festa. Ave, benignissime Jesu, Quem amissum Mater quærit condolens. Utinam te solum quæram, te pure intendam, perfecte diligens. Ave et tu, etc.

14. Latetque. Ave, benignissime Jesu, Qui mundo diu manebas incognitus. Utinam humanam gloriam fugiens, eamdem detester medullitus. Ave et tu, o gloriosissima, etc.

15. Lavatur. Ave, benignissime Jesu, Qui voluisti baptizari. Utinam ab omni peccato et vitio totus in hac vita merear expurgari. Ave et tu, o gloriosissima, etc.

16. Tentatus. Ave, benignissime Jesu, Qui tentatus dæmonis pertulisti arrogantiam. Da mihi in omni tentatione victoriam. Ave et tu, o gloriosissima, etc.

17. Docuit. Ave, benignissime Jesu, Qui fatigatus es evangelizando. Utinam pro te dura omnia libenter sustineam, tuum honorem zelando. Ave et tu, etc.

18. Curat. Ave, benignissime Jesu, Qui sanasti languidos a quacumque infirmitate. Fac ut omnem proximum diligam opere et veritate. Ave et tu, etc.

19. Pius est. Ave, benignissime Jesu, Qui peccatores recepisti ad pœnitentiam. Utinam compassionem omnibus impartiar et misericordiam. Ave et tu, o gloriosissima, etc.

20. Lacrymatur. Ave, benignissime Jesu, Quem flentem plebs excepit cum palmis et laudibus. Utinam tui honorem esuriam et zeler in omnibus. Ave et tu, o gloriosissima, etc.

Pater noster.

21. Venditur. Ave, benignissime Jesu, Qui vili es pretio venditus. Utinam tu mihi pretiosior chariorque sis omnibus. Ave et tu, o gloriosissima, etc.

22. Atque lavat. Ave, benignissime Jesu, Qui pedes lavisti discipulorum. Da mihi cor mundum ab omni labe vitiorum. Ave et tu, etc.

23. Statuens. Ave, benignissime Jesu, Qui Corpus tuum nobis tradidisti et Sanguinem. Accende desiderium nostrum ad eorumdem amorem et frequentationem. Ave et tu, etc.

24. Angustia. Ave, benignissime Jesu, Qui orans Sanguinem sudasti in agone. Utinam ex abysso Cordis tibi me semper resignem cum

Digitized by Google

plena meiipsius abnegatione. Ave et tu, o gloriossima Dei Mater Virgo Maria, etc.

25. Captus. Ave, benignissime Jesu, Qui captus ligaris, discipulis fugientibus. Utinam tui tenear amore captus, et liber sim a vitiis omnibus. Ave et tu, o gloriosissima, etc.

26. Fert alapam. Ave, benignissime Jesu, Qui a servo cæsus es alapa. Fac me mitem ac patientem sub omni injuria, Ave et tu, etc.

27. Petrus. Ave, benignissime Jesu, Quem Petrus flevit amare. Fac inter tristia et læta me tecum perseverare. Ave et tu, o gloriosissima, etc.

28. Reus est. Ave, benignissime Jesu, Quem Caiphas damnavit multifariam. Utinam tibi afflictisque omnibus ex corde condoleam. Ave et tu, etc.

29. Pilatus. Ave, benignissime Jesu, Qui inique accusaris ante Præsidem. Utinam facias, ut neminem unquam spernam aut judicem Ave et tu, etc.

30. Herodes. Ave, benignissime Jesu, Cui Herodes illusit turpiter. Fac mei contemptum feram humiliter. Ave et tu, etc.

Pater noster.

31. Cæditur. Ave, benignissime Jesu, Qui flagellaris atrociter. Utinam tua flagella adversaque omnia sustineam hilariter. Ave et tu, o gloriosissima, etc.

32. Et spinis. Ave, benignissime Jesu, Cui corona impressa est spinea. Utinam tuæ Passionis me jugis vulneret memoria. Ave et tu, etc.

33. Damnatus. Ave, benignissime Jesu, Qui damnandus stas ante judicem. Fac me perfecte mitem et humilem. Ave et tu, etc.

34. Fert. Ave, benignissime Jesu, Qui crucem tibi bajulas propriam. Utinam perfectissimam tibi semper exhibeam obedientiam. Ave et tu, etc.

35. Renovantur. Ave, benignissime Jesu, Cujus renovantur vulnera te nudato. Utinam me exuas et liberum serves ab omni amore privato. Ave et tu, etc.

36. Affixus. Ave, benignissime Jesu, Qui crucifigeris extensus. Fac ut in me tui sit amor perpetuus ac immensus. Ave et tu, etc.

37. Latro. Ave, benignissime Jesu, Qui latroni donasti veniam. Recipe me, quæso, confestim post mortem ad gloriam Ave et tu, etc.

38. Matremque. Ave, benignissime Jesu, Qui Matrem commendasti discipulo. Utinam a te et Matre possidear pro filio. Ave et tu, etc.

39. Relictus. Ave, benignissime Jesu, Qui te clamabas derelictum. Utinam in omni pressura cor mihi des tibi fidelissimum, resignatum et invictum. Ave et tu, etc.

40. Aceto. Ave, benignissime Jesu, Qui acetum gustas sitim tolerans. Te solum fac ut sitiam nil extra te desiderans. Ave et tu, etc.

Pater noster.

41. Exspirat. Ave, benignissime Jesu, Qui mortuus es in tormentis. Da ut mihi et mundo perfecte moriar, vitiisque ac omnibus concupiscentiis. Ave, etc.

42. Foditur Ave, benignissime Jesu, Cujus Cor miles aperuit suavissimum. Utinam cor meum auferas pravissimum, et des mihi cor amantissimum, fidelissimum ac misericordissimum, secundum Cor tuum. Ave et tu, etc.

43. Solvunt. Ave, benignissime Jesu, Qui de Cruce Matri redderis. Utinam in tuo servitio semper sim perseveremque devotus, strenuus et hilaris. Ave et tu, etc.

44. Sepelitur. Ave, benignissime Jesu, Qui sepeliris involutus sindone. Utinam cor mihi des castissimum, fidele ac purum ab omni contagione, Ave et tu, etc.

45. Ad ima. Ave, benignissime Jesu, Qui patres liberas descendens ad inferna. Utinam defunctis omnibus sit requies sempiterna. Ave et tu, etc.

46. Surgens Ave, benignissime Jesu, Qui a morte resurgens consolaris Matrem. Utinam in morte te sentiam Redemptorem misericordissimum ac fidelissimum Patrem. Ave et tu, etc.

47. Ascendit Ave, benignissime Jesu, Qui in cœlum ascendis plenus majestate. Utinam ad te continue suspirem ardentissima charitate

Digitized by Google

et profundissima humilitate. Ave et tu, etc.

48. Missus. Ave, benignissime Jesu, Qui Spiritum Sanctum dedisti credentibus. Eumdem mihi, quæso, infunde cum donis omnibus. Ave et tu, etc.

49. Assumptaque. Ave, benignissime Jesu, Qui coronas Matrem super cœlos exaltatam. Da mihi, obsecro, per matrem tuam vitam sanctam et mortem beatam. Ave et tu, etc.

50. Judex. Ave, benignissime Jesu, Qui mundi judex es venturus. Fac tuis pœnis ac vulneribus hic expurger totus, ut in morte sim liber ad gaudia iturus. Ave et tu, o gloriosissima Dei Mater Virgo Maria, gratia plena, etc.

Ad Dominum Jesum conclusiva ejusdem Rosarii precatio.

Domine Jesu Christe, tuam misericordiam ut consequamur, fac nos, per intercessionem beatissimæ Virginis Mariæ Matris tuæ et omnium Sanctorum tuorum, toto corde tibi esse devotos, quatenus perfectissima nostri abnegatione ac tui imitatione in servitio tuo perseveremus : et mortificatis omnibus vitiis nostris, jugiter Passionis tuæ memoria delectemur, puroque semper corde omnimodis tibi reddamur accepti. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti, per omnia secula seculorum. Amen.

ROSARIUM VITÆ AC PASSIONIS CHRISTI BREVISSIMUM

Pater noster. Ave, Maria.

Ad vulnus dextræ manus.

JESU misericordissime, pro vulnere dextræ manus tuæ, sit tibi laus et gratiarum actio. Hinc, quæso, cunctis fluat plena redemptio.

Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum, etc. Jesus Christus, Creator salvificus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Te natam ornans cœlitus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cui te offers medullitus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Te Sponsam dans charissimus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, In te homo factus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, A præcursore cognitus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Ex te Virgine natus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Ab Angelis collaudatus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, In circumcisione nominatus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, A Magis adoratus.

Pater noster. Ave, Maria.

Ad vulnus sinistræ manus.

Jesu misericordissime, pro vulnere sinistræ manus tuæ, sit tibi laus et gratiarum actio. Hinc, quæso, cunctis fluat plena redemptio.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Templo per te illatus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, A te in exilium portatus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, In templo amissus et redditus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Tecum latens, et tibi subditus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, A Joanne baptizatus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, A satana tentatus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Populo evangelizans.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, A morbis populum sanans.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Pius et misericors omnibus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Intrans urbem cum laudibus.

Digitized by Google

Pater noster. Ave, Maria.

Ad vulnus dextri pedis.

Jesu misericordissime, pro vulnere dextri pedis tui, sit tibi laus et gratiarum actio. Hinc, quæso, fluat omnibus perfecta redemptio.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, A suo discipulo venditus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Pedes lavans omnibus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Suo Corpore et Sanguine nos cibans.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, In angustia tristis et orans.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Captus atque ligatus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cæsus et objurgatus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, A Petro ter negatus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, A Caipha condemnatus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Coram Pilato accusatus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, A rege calumniatus.

Pater noster. Ave, Maria.

Ad vulnus sinistri pedis.

Jesu misericordissime, pro vulnere sinistri pedis tui, sit tibi laus et gratiarum actio. Hinc, quæso, fluat omnibus et salus et redemptio.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Pro nobis flagellatus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Illusus, coronatus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Ad Crucem postulatus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Ad mortem condemnatus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Suam Crucem ferens.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Se nudari patiens.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Crucifixus cum latronibus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Oranti latroni propitius.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Suam Matrem commendans.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Se derelictum clamitans.

Pater noster. Ave, Maria.

Ad vulnus lateris.

Jesu misericordissime, pro vulnere lateris tui, tibi sit laus et gratiarum actio. Hinc, quæso, fluat tam vivis quam defunctis plena redemptio.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Pro nobis in Cruce mortuus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, In latere vulneratus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, De Cruce depositus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Sepulchro reconditus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, E limbo Patres liberans.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Surgendo a morte triumphans.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, In cœlum scandens gloriosus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Spiritum dans gratiosus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Te assumptam glorificans.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Universum mundum judicans.

In venerationem B. V. Mariæ, precatio.

Deus, qui Matrem tuam gloriosam Virginem Mariam a cunctis venerari voluisti, quæsumus, ut ejus meritis et precibus impetremus, ut mundo perfecte mortui, in vera paupertate spiritus tibi fideliter serviamus et perfectissima charitate repleti, in honorem et beneplacitum tuum omnes vires animæ et corporis nostri expendamus. Qui vivis et regnas cum Patre et Spiritu Sancto Trinus et Unus ab omni creatura in secula benedictus. Amen.

Digitized by Google

AD CHRISTUM JESUM IN SEPTEM DOLORES PRÆCIPUOS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ, EX PASSIONE EJUSDEM VEHEMENTER AFFLICTÆ, PRECATIONES.

De prophetia sancti Simeonis, precatio prima.

AMABILISSIME Jesu Christe, hunc dolorem beatissimæ Virginis ac Matris tuæ, quem in Corde suo iteratis sæpe vicibus, ut Simeon prophetarat, sustinuit, præmeditans futuram Passionem tuam, cum omnibus laboribus, incommodis ac pœnis tuis pro me toleratis, tibi pro peccatis meis et pro peccatis totius mundi nunc offero : per hæc omnia te obsecrans, ut mihi ad te, ad Matrem tuam, ad omnesque homines veram perfectissimamque infundas charitatem ac compassionem. Amen.

De exilio Domini Jesu et Matris ejus, precatio secunda.

AMABILISSIME Jesu Christe, hunc dolorem piissimæ Matris tuæ, quem tecum in Ægyptum fugiens ob Herodis persecutionem sustinuit, cum omnibus pœnis tuis tibi nunc offero ; per hæc omnia te obsecrans ut omnem præsentis exilii molestiam, omnemque vitæ hujus miseriam facias ut patienter tolerem, ardentissimo ac jugi desiderio ad te indesinenter suspirans. Amen.

De Domini triduana amissione in infantia, precatio tertia.

AMABILISSIME Jesu Christe, hunc dolorem, quem tristissima Mater tua pertulit triduo te quærens, donec amissum in templo reperiret, cum omnibus doloribus tuis, offero nunc tibi pro peccatis meis et totius mundi, obsecrans te per eosdem dolores, ut in dies me cruciet ardentissimum tui desiderium copiosius inveniendi, ferventius diligendi, fidelius serviendi et perfectius placendi. Amen.

De Domini Passione, Crucis bajulatione et sub ea defectione, precatio quarta.

AMABILISSIME Jesu Christe, hunc dolorem tristissimæ Matris tuæ, quem ipsa videns te captum, ad mortem damnatum, sub gravissima trabe Crucis incurvatum, rosea Sanguinis vestigia post te relinquentem, et tandem deficientibus viribus sub Cruce in faciem corruentem, sustinuit : quando tu quoque illam intuens animo graviter vulnerabaris, tibi nunc offero, per utriusque dolorem ac tristitiam te obsecrans, ut quidquid gravaminis, infirmitatum molestiarumve mihi imposueris, facias me desiderantissimo corde suscipere, patientissime ferre, pro omnibus ex animo gratias agere, et ad majora me semper medullitus resignare. Amen.

De Domini Jesu in Cruce pendentia, precatio quinta.

AMABILISSIME Jesu Christe, hunc dolorem, quem Mater tua compatientissima pertulit, intuens te in latronum medio crucifixum, in acerbissimis pœnis a Patre et omnibus derelictum, aridissima siti cruciatum, et amarissime morientem, cum omnibus doloribus et compassionibus tuis ad dilectissimam tibi Matrem, piissimum Cor tuum torquentibus, tibi nunc offero : per eadem omnia te obsecrans, ut cordi meo indelebiliter omnes pœnas et vulnera tua, omnem charitatem tuam, omnesque Matris tuæ dolores imprimas, quæ me amore et compassione insanabili jugiter vulnerent, et tibi conforment. Amen.

Digitized by Google

De Domini Jesu de Cruce depositione, precatio sexta.

AMABILISSIME Jesu, hunc dolorem mœstissimæ Matris tuæ, quem ipsa te de Cruce depositum habens in gremio, vulneraque tua contuens sensit, nunc offero tibi, per eumdem te obsecrans, quo Matri tuæ auctoritate tua præcipias, ut me pro te, quem occasione peccatorum meorum amisit, suscipiat in filium, curet et regat adoptivum, et ea in quibus ipsa tibi placere studuit mihi quoque impetret et servet. Amen.

De Domini Jesu sepultura, precatio septima.

AMABILISSIME Jesu Christe, hunc dolorem afflictæ Matris tuæ, quem habuit, a sepulchro, hoc est, a te sepulto discedens, et loca passionum tuarum transiens, cum omnibus doloribus et laboribus tuis, quæ propter me passus es, offero tibi pro peccatis meis et pro peccatis totius mundi : per hæc omnia obsecrans te, quo jubeas ut in morte anima mea de corpore meo absque ullo medio ad te veniat desiderabunda, tui amore cunsummata atque perfecta, inseparabiliterque tecum gaudio quietura. Ah dulcis Jesu, nunc quoque miserere, quæso, mei et omnibus peccatoribus afflictis et defunctis omnibus, quos omnes propter pientissimæ Matris tuæ amorem, quæso, consoleris. Amen.

Duodecim privilegia seu prærogativæ beatæ Mariæ Virginis, quæ singularem perpetuamque illi lætitiam afferunt.

Primum, quod præ omnibus in Dei Matrem, atque in humanæ redemptionis cooperatricem est electa. *Secundum*, quod ab omni macula et peccato pura est divinitus præservata. *Tertium*, quod omnibus donis gratiarum fuit impleta. *Quartum*, quod virgo Deum concepit. *Quintum*, quod non gravata illum in utero gestavit. *Sextum*, quod Deum virgo et sine dolore genuit. *Septimum*, quod Deum Dei Filium, eumdemque suum creatorem ubere lactavit. *Octavum*, quod Deus ei subjectus fuit. *Nonum*, quod triginta annis ei Deus cohabitavit. *Decimum*, quod suum Filium prædicantem, propriaque virtute miracula facientem vidit. *Undecimum*, quod ad nostri redemptionem suo Filio sola perfecta in fide patienti sub Cruce adstitit. *Duodecimum*, quod gloriosa Mater nunc in cœlis Filio suo assidet regnanti.

Hæc gaudia duodecim beatissimæ Virginis, hasque præeminentias si devotus quotidie recolueris, et congratulando toties Virginem gloriosissimam salutaveris, non ingratum ei obsequium, nec tibi infructuosum impendes.

Oratio in qua duodecim hæ præeminentiæ beatæ Mariæ, in quibus est sola singularis, continentur.

DEUS, qui in beatissima Virgine Maria, ab æterno tibi in Matrem electa, semper immaculata, omnique gratia plena, incarnari, portari, ex eadem nasci, ejus ubera sugere, eidem obedire ac cohabitare dignatus es, largire nobis propitius, ut quomodo ipsa olim te sequebatur prædicantem, quem vidit miracula facientem, patienti fidelis adstitit, assidetque nunc in cœlis regnanti, ita per humilitatis ac patientiæ studia, et tuis nos facias virtutibus confirmari, et post hanc vitam tibi confestim in æterna beatitudine conjungi. Qui vivis et regnas Deus in secula benedictus. Amen.

Digitized by Google

PSALTERIUM MYSTICUM BEATÆ VIRGINIS MARIÆ

ROSARIIS SIVE QUINQUAGENIS TRIBUS PARTITUM.

PRÆFATIUNCULA.

QUI de exercitiis theoriæ spiritualis sive contemplationis atque mysticæ Theologiæ scripserunt, orationem, quæ solum vocalis est, infimo pene gradu habuerunt, tametsi ipsa quoque dum ore profertur, spiritu juxta ac mente possit fundi. Quod in orationibus ab Ecclesia institutis, et quæ præcepto nobis mandatæ sunt fieri vel maxime est annitendum. Cæterum ubi ex præcepto Ecclesiæ aliter non cogimur, vel meditando, vel ad Deum aspirando, vel mente duntaxat orando, aut certe propter se gemendo gratulandove Deo, mentem nostram eidem conjungere est permissum, idque e multis eligere tanquam utilius, quo cor suum unusquisque senserit erga Deum ferventius accendi, dulcius affici, trahi potentius, moveri purius, familiarius allici, suavius conjungi, firmius atque, ut ita dicam, inseparabilius cum eo uniri. Qui in his studiis versati sunt, aspirationibus, flammigeris desideriis orationibusque brevibus, mentalibus et ignitis, seu jaculatim e corde emissis ad Deum, præcipuam eidem laudem tribuunt. Propterea hoc orandi genus, humanæ plus arridet infirmitati, quæ mentem nostram ad Deum elevatam aut erectam non diu sinit : quippe quæ confestim ut ad Deum erecta fuerit, in seipsam relabitur, iterum per aspirationem mox est erigenda. Deinde etiam quod inter cætera contemplationum officia, vias modosque omnes, hoc studium quasi per compendium prævolet, semperque tutiori atque a periculis remotiori hominem sistat gradu. Qui hinc plura scire desiderat, legat altivolantes ac summos illos contemplatores : sanctum Dionysium Areopagitam, Joannem Gersonem, Dionysium Cartusianum, Joannem Rusbrochium, Joannem Thaulerum, Henricum Harphium, et complures alios, qui de hac materia præclara posteris reliquerunt monumenta.

Hac igitur ratione permotus, vitam Domini nostri Jesu Christi ac beatæ Virginis Matris ejus collectam, in centum et quinquaginta iterum Articulos distinxi, in quorum singulis Christi aliquod beneficium quasi expansum singulatim recolatur, unde occasio veluti excitamen quoddam præbeatur aspirandi ad Deum, et salubre aliquid, non terrenum, sed quod pietatem et charitatem spiret, a Christo petendi. Proinde nihil hic quod verbis aures mulcere, sed quod mentem exstimulare queat, legitur. Neque enim ori, quod verbis proferatur, tametsi posset, neque auribus politum suaveque aliquid afferimus, sed menti, quæ absque verborum strepitu in silentio, et meditando legat, et orando ad Deum aspiret. Quæ enim hic tradimus si ore proferantur, insipida sunt et sordebunt. Si vero quæ verbis insinuantur, spiritu fuerit quis meditatus, plura quam sperat, inveniet.

Itaque habent suas qui volunt vocales legere orationes, nec nos in illo gene-

Digitized by Google

re orandi non suffragamur, qui hujusmodi quoque scripsimus alibi, ut facile ad manum sit, quid uniuscujusque palato conveniat. Hic tamen materia conflata est duntaxat meditandi, affectus pios eliciendi, ad Deum aspirandi, atque mente et desiderio salutaria petendi.

Hujus studii cum sint innumeræ utilitates, e multis aliquas enumerabo. Videlicet quod per hasce aspirationes discitur in spiritu et veritate orare, discitur divina præsentia sentiri, discitur item humanus spiritus inflammari, conjungi et absorberi in Deo Creatore suo. Postremo acquiritur familiaritas quædam vel consuetudo continuo cum Deo loquendi, vel ex quibuscumque rerum temporalium tumultibus, absque revisu cordis, mox ad spiritualia et orationem redeundi.

Fuit quoque apud majores nostros avida quædam consuetudo quotidie aspirationibus salutationibusve totidem, quot Davidis enuntiantur Psalmi, vel Christum vel ejusdem contemplatione ipsius Matrem venerari. Quod devotionis genus Psalterium vocabant. Sed pietate paulo post defervescente, minori illud numero posteri, puto quinquaginta, quod Rosarium seu Corona beatæ Virginis nominabant, commutavere. Utrique devotionis exercitio fulcire nos cupientes, ex vita Christi Articulos multiformes, unde menti ad Deum aspirationes enascantur, addidimus. In quibus, Lector, nil exspectabis aliud quam ut compunctione exstimulata, frequenter ac quasi continue suspires ad Deum, mente conjungaris Deo, eumdemque pro ipsius gratia, ope, amore ac virtutibus impetrandis, malis vero deprecandis, discas non tam voce quam spiritu orare. Vale, Lector amice, nostrosque conatus, quibus christianæ pietati animisque Deo deditis prodesse studemus, Deo commenda.

Digitized by Google

VERSUS

QUI ARTICULOS PSALTERII HUJUS SEQUENTIS EORUMDEMQUE ORDINEM SIGNIFICENT.

CUNCTA creat, vindex, statuit, signata, Prophetis.
Concipitur, sine væ, completur, nata, vetusta.
In templum, dulcis, fulgens, vovet, nova sponsa.
Orat, ave, turbatur, concipit, hunc pia gestat.
Ad montana, pavet, peregrina, parit, latriam dat.
Lactat, condoluit, congaudent, integra, scindunt.
Tres veniunt, sistunt, fugiunt, exul, pia nutrit.
Hinc redit, ad festum, quærunt, parensque, latebat.
Jordanis, tentat, vocat hos, incommoda, fessus.
Mira facit, docuit, pius est, injuria, palmis.
Venditur, abscedit, cœnat, lavat, instituens dat.
Prædicat, exivit, tristatur, et orat, ad illos.
Angelus, et sudat, redit obvius, oscula, sanat.
Captum, fune ligant, fugiunt, Annas, alapam fert.
Ter negat, ad Caipham, testes, blasphemia, damnant.
Cæsus, conspuitur, velant, fert multa, Pilato.
Accusant, Regi, spernunt, redit, alter ab illo.
Nudatum, stringunt, cædunt, spinisque, cachinnant.
Exhibitus, damnatur, amictus, sub Cruce, flebant.
Associant, Simon, vinum, nudant, renovantur.
Extensus, crucifigitur, orat, scripsit, in altum.
In tribus, effluxit, vestes, blasphemia, latro.
Undique, condoluit, mulier, tenebrasque, relictus.
Est sitiens, gustat, complet, moritur, gemuerunt.
Terra tremit, milesque, resolvunt, sindone, planctus.
In tumulum, redeunt, ad limbum, gaudia, secum.
Surrexit, Matri, apparet, vescens, it in altum.
Mittens, convertunt, martyr, virgoque, superstes.
Migrantem, assumpsit, supremaque, proxima, fulget.
Imperat, exorat, concors, crescunt, venietque.

Digitized by Google

QUINQUAGENA PRIMA

Decas prima.

Pater noster, etc. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, *sine* Amen.

1. Cuncta creat. QUI nos et propter nos creavit omnia, Dulcis Jesu *(aut* piissime Jesu), utinam tui a corde meo nunquam recedat memoria. Amen.

2. Vindex. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui de cœlo ejecit Angelos propter superbiam. Dulcis Jesu, fac ut semper hac peste caream. Amen.

3. Statuit. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui te sibi in Matrem elegit dignissimam. Utinam te Matrem misericordiæ nunquam non sentiam. Amen.

4. Signata. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui te mundo præsignavit figuris et oraculis. Fac, dulcis Jesu, in hac vita a cunctis emunder delictorum maculis. Amen.

5. Prophetis. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui sanctissimis parentibus tuis te prænuntiavit nascituram. Dulcis Jesu, utinam hanc felicissimam in hora mortis consolatricem habeam. Amen.

6. Concipitur. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cujus mandato te Anna concepit sterilis. Dulcis Jesu, utinam te concipiat anima mea cæca, adultera et instabilis. Amen.

7. Sine Væ. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui te ab omni præservavit vitio et macula. Dulcis Jesu, cor meum ab omni delicto et vitio purifica. Amen.

8. Completur. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui donis cunctisque gratiis te implevit, o felicissima. Dulcis Jesu, utinam tua jugis me regat ac possideat gratia. Amen.

9. Nata. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui tua Nativitate mundo exhibuit gaudium. Dulcis Jesu, in te transeat et absorbeatur cor meum et desiderium. Amen.

10. Venusta. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui mira te venustavit pulchritudine. Dulcis Jesu, utinam hujus Virginis capiar amore: utinam hujus nunquam satier veneratione. Amen.

Decas secunda.

Pater noster, etc. Ave, Maria, etc. Jesus Christus,

1. In templum. CUI te Corde devotissimo obtulisti in templum. Dulcis Jesu, fac me tibi pure resignem semper in tuum beneplacitum. Amen.

2. Dulcis. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui te moribus dulcem fecit et cunctis amabilem. Fac me, dulcis Jesu, pium, mitem et omnibus affabilem. Amen.

3. Fulgens. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cui placuit in te, sanctitatis et omnium virtutum perfectio. Heu, Jesu bone, quantum sordet in oculis tuis mea iniquitas et vitiorum corruptio. Amen.

4. Vovet. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cui cœlibem inchoans vitam prima vovisti virginitatem. Dulcis Jesu, peccatis meis da veniam, et dans confirma in me purissimam perpetuamque castitatem. Amen.

5. Nova sponsa. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui te sancto Joseph desponsavit virgini. Dulcis Jesu, utinam amore tibi uniar inexstinguibili. Amen.

6. Orat. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Pro cujus Incarnatione tua ad Deum frequentabatur oratio. Dulcis Jesu, utinam in te tota mea semper trahatur affectio. Amen.

7. Ave. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui te gloriose salutavit per Angelum. Dulcis Jesu, utinam Matris tuæ devotissimum me facias filium. Amen.

8. Turbatur. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cujus tu nuntium audiens pro virginitate facta es sollicita. Utinam, dulcis Jesu, casta

Digitized by Google

devotaque tibi semper continuem obsequia. Amen.

9. Concipit. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui Deus fieri homo dignatus est in tuo castissimo utero. Utinam pie Jesu, indesinenter habites in cordis mei intimo. Amen.

10. Et pia gestat. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Quem lœta gestabas novem menses in utero. Utinam dulcis Jesu, te in corde meo habeam perpetuo. Amen.

Decas tertia.

Pater noster, etc. Ave, Maria, etc. Jesus Christus,

1. Ad montana. Quo impregnata ad Elisabeth properasti in montana. Utinam, pie Jesu, cœlestia sitiens fastidiam cuncta mundana. Amen.

2. Pavet. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui Joseph trepidantem informavit cœlitus. Dulcis Jesu, fac me simplicem et liberum a malis suspicionibus. Amen.

3. Peregrina. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Quem in utero habens in Bethleem carebas hospitio. Dulcis Jesu, fac me pauperem spiritu, ut humano libenter caream solatio. Amen.

4. Parit. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Quem virgo paris absque dolore puerpera. [Dulcis Jesu, utinam tibi renascar in dies in majori gratia. Amen.

5. Latriam dat. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Quem adorabas natum mente devotissima. Utinam, dulcis Jesu, tui nominis omnibus insit amor et reverentia. Amen.

6. Lactat. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Quem virgineis lactasti uberibus. Dulcis Jesu, fer opem et consolationem afflictis omnibus. Amen.

7. Condoluit. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cujus afflictioni condoles in tenera infantia. Jesu bone, fac ut carnis non quæram commoda. Amen.

8. Congaudent. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Quem laudant Angeli pastoribus advenientibus. Dulcis Jesu, utinam devote et strenue tuis semper insistam laudibus. Amen.

9. Integra. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Quo nato sponso cohabitas Virgo perpetua. Dulcis Jesu, per te mihi detur castitas, mansuetudo et temperantia. Amen.

10. Sciadunt. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui circumcisus fudit Sanguinem. Hunc tibi, pie Jesu, offero in totius mundi expiationem. Amen.

Decas quarta.

Pater noster, etc. Ave, Maria, etc. Jesus Christus,

1. Tres veniunt. Quem Magi adorantes, tria obtulerunt munera. Utinam tibi, pie Jesu, perfecte devoteque exsolvam mea debita. Amen.

2. Sistunt. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Quem Virgo candidissima intulisti in templum. Dulcis Jesu, fac nos tuæ ac Matris imitari humilitatis exemplum. Amen.

3. Fugiunt. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Quem in Ægyptum ferens, Herodis fugisti persecutionem. Dulcis Jesu, utinam fugiam, execrerque omnem mundanam consolationem. Amen.

4. Exul. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cum quo septenne tolerasti exilium. Dulcis Jesu, afflictorum omnium tu consolare gemitum. Amen.

5. Pia nutrit Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Quem materna cura et manuum nutristi laboribus. Utinam, dulcis Jesu, a te regar et pascar tanquam adoptionis filius. Amen.

6. Hinc redit Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Quem ex Ægypto reduxisti ad patriam. Dulcis Jesu, utinam contempto mundo te solum sitiam. Amen.

7. Adfestum. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui tecum ivit ad templi festivitatem. Dulcis Jesu, fac me continuis anhelare suspiriis ad æternæ vitæ felicitatem. Amen.

8. Quærunt. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Quem amissum tristis quærebas triduo. Dulcis Jesu, da ut nunquam te amittam, sed totus tibi inhæream perpetuo. Amen.

9. Parensque. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui

Digitized by Google

de templo rediens tibi mansit subditus. Dulcis Jesu, utinam tibi et tui amore cunctis obediam mortalibus. Amen.

10. Latebat. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui tibi commorans, ad annum usque latebat tricesimum. Dulcis Jesu, nil me oblectet, quæso, nihil afficiat temporale aut mundanum. Amen.

Decas quinta.

Pater noster, etc. Ave, Maria, etc. Jesus Christus,

1. Jordanis. Qui baptizatus est in Jordanis flumine. Dulcis Jesu, a cunctis vitiis et negligentiis purifica me in tuo Sanguine. Amen.

2. Tentat. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui tentari se passus est post abstinentiam. Utinam, pie Jesu, nulli tentationi succumbam, nulli peccato consentiam. Amen.

3. Vocat hos. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui discipulos vocans instituit prædicationi. Dulcissime Jesu, fac me ferventer devotum, quo respondeam tuæ vocationi. Amen.

4. Incommoda. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui famem, sitim tulit et frigora. Utinam tui amore, piissime Jesu, cuncta feram incommoda. Amen.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui fatigatus est labore et itinere. Da mihi, Jesu dulcissime, invictum animum, qui nullo deficiat gravamine. Amen. 5. Fessus.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui signa faciens, infirmis contulit sanitatem. Dulcissime Jesu, mentis meæ universæque Ecclesiæ reforma deformitatem. Amen. 6. Mira facit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cujus prædicationes evangelicas audiebas affectuosissime. Amabilissime Jesu, utinam eisdem obtemperem devotissime. Amen. 7. Docuit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui peccatores vocans recepit, et convertit misericorditer. Pie Jesu, fac tractum tuum sequamur omnes perfecte et hilariter. Amen. 8. Pius est.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui a Scribis multas sustinuit injurias. Utinam laudes et honores execrans, patientissime feram contumelias. Amen. 9. Injuria.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui sedens super asinam, urbis flevit excidium. Dulcissime Jesu, fac ut cor meum medullitus vulnerent peccata, tuumque opprobrium. Amen. 10. Palmis.

QUINQUAGENA SECUNDA

Decas prima.

Pater noster, etc. Ave, Maria, etc. Jesus Christus,

1. Venditur. QUEM Judas triginta vendidit argenteis. Heu, bone Jesu, quam sæpe te viliorem habui rebus vilissimis. Amen.

2. Abscedit. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui ad Passionem iturus, te Matrem reliquit tristissimam. Ah utinam, dulcissime Jesu, relictis omnibus, te solum sitiam, tibi soli inhæream. Amen.

3. Conat. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui Pascha observans, legi se subdidit. Utinam, pie Jesu, tua suppleat obedientia, quidquid mea superbia neglexit. Amen.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui pedes lavit discipulorum. Utinam, dulcissime Jesu, in tuo Sanguine laver ab omni sorde peccatorum. Amen. 4. Lavat.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui Sacramentum instituens, seipsum nobis tradidit mira clementia. Dulcissime Jesu, da nobis hoc sacramentum amare, illudque sumendo frequentare cum timore et reverentia. Amen. 5. Instituens dat.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui 6. Prædicat.

Digitized by Google

discipulos dulci consolabatur sermone. Utinam in nulla re consolationem recipiam, præter in tui dilectione. Amen.

7. Exivit. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui ultro se obtulit, exiens ad Passionem. Utinam perfectam ad omnia mihi infundas animi resignationem. Amen.

8. Tristatur. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui tristis usque ad mortem cœpit pavere. Fac me, pie Jesu, pro nulla re, nisi pro dilecto dolere. Amen.

9. Et orat. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui ter orans in Patris se resignavit voluntatem. Infunde mihi, quæso, dulcissime Jesu, qua me tibi medullitus relinquam, perfectissimam charitatem. Amen.

10. Ad illos. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui ab oratione surgens curam habuit discipulorum. Dulcissime Jesu, fac ut ex charitate mihi necessitates præferam proximorum. Amen.

Decas secunda.

Pater noster, etc. Ave, Maria, etc. Jesus Christus,

1. Angelus. Qui in agone constitutus ab Angelo dignatus est confortari. Conforta me, dulcis Jesu, ut nulla valeam tentatione superari. Amen.

2. Et sudat. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui præ angustia sudorem emittit sanguineum. Utinam ex singulis membris, tibi, pie Jesu, amoris et laudis offeram holocaustum. Amen.

3. Redit obvius. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui ad patiendum hostibus se ultro dedit obvium. Da mihi, dulcissime Jesu, animum tibi ad omnia paratum. Amen.

4. Oscula. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui suo traditori dedit osculum. Dulcissime Jesu, fac ut inimicis et quibusvis hominibus perfectæ charitatis impendam officium. Amen.

5. Sanat. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui Malchi sanavit auriculam. Pie Jesu, fac me charitate et miseratione plenum, ut pro malis bona semper retribuam. Amen.

6. Captum. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cui manus injecerunt sacrilegas. Utinam æquanimiter omnes sustineam, pie Jesu, injurias. Amen.

7. Fune ligant. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Quem veluti impotentem ligaverunt vinculis. Christe Jesu, inseparabiliter, quæso, alliga me tibi ardentissimæ funibus charitatis. Amen.

8. Fugiunt. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Quem fugientes relinquere discipuli. Utinam, Deus meus, omnes cogitationes et affectiones meas tibi unias amore inseparabili. Amen.

9. Annas. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Quem ad Annam duxit cohors militum. Dulcissime Jesu, quidquid mihi pro te agendum patiendumve fuerit, ad hoc meum flagret desiderium. Amen.

10. Alapam fert. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui a servo tulit alapam. Pie Jesu, fac ut libenter omnem sustineam injuriam. Amen.

Decas tertia.

Pater noster, etc. Ave, Maria, etc. Jesus Christus,

1. Ter negat. Quem Petrus negans flevit amare. Quidquid te, dulcis Jesu, offendit, fac me execrando devitare. Amen.

2. Ad Caipham. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui vinctus ducitur ad Caipham. Trahe me post te, pie Jesu, ne unquam a te recedam. Amen.

3. Testes. Ave Maria, etc. Jesus Christus, Qui tacuit falsis accusatus testibus. Fac, pie Jesu, ut patiens taceam quibuscumque injuriis gravatus. Amen.

4. Blasphemia. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cui inique imposuerunt blasphemiam. Utinam, dulcis Jesu, cogitem semper et reverear tuam præsentiam. Amen.

5. Damnant. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui mortis pertulit damnationem. Hanc, pie Jesu, ego tibi, et tu Patri offer in peccatorum nostrorum purgationem. Amen.

Digitized by Google

6. Cæsus. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui propter me colaphis cæsus est et alapis. Utinam dignum me sentiam cupiamque affici opprobriis et injuriis. Amen.

7. Conspuitur. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui propter nos dignatus est conspui et fœdari. Non patiaris me, piissime Jesu, cogitatione prava aut turpi coinquinari. Amen.

8. Velant. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui illuditur facie velatus. Videam, Jesu bone, meam turpitudinem, meosque omnes fleam reatus. Amen.

9. Fert multa. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui alia multa tulit opprobria. Dulcis Jesu, accendantur in corde meo ferventissima pro te patiendi desideria. Amen.

10. Pilato. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui vinctus adductus est judici. Utinam, pie Jesu, gaudeam accusari et despici. Amen.

Decas quarta.

Pater noster, etc. Ave, Maria, etc.
Jesus Christus,

1. Accusant. Qui passus est injuste se accusari. Utinam, bone Jesu, ab omni detractione merear mundus præservari. Amen.

2. Regi. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui Herodi adductus et accusatus noluit respondere. Per hoc silentium tuum, pie Jesu, obsecro, ab omni otioso verbo me facias abstinere. Amen.

3. Spernunt. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui ab Herode ut fatuus est spretus. Utinam, pie Jesu, mei contemptum semper sustineam lætius. Amen.

4. Redit. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui in alba reducitur veste factus opprobrium. Utinam, dulcis Jesu, mundana omnia sint mihi crux et fastidium. Amen.

5. Alter ab illo. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cui prætulerunt Barabbam. Dulcissime Jesu, fac ut te super omnia diligens, omnibus præferam. Amen.

6. Nudatum. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Quem nudaverunt vestibus. Da mihi, dulcissime Jesu, veram paupertatem spiritus. Amen.

7. Stringunt. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui dire ligatus est ad columnam. Utinam, pie Jesu, amore inexstinguibili tibi colligatus semper maneam. Amen.

8 Cædunt. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui crudelissime se permisit flagellari. Utinam, dulcis Jesu, in hac vita totus a peccatis et vitiis omnibus merear misericorditer purgari. Amen.

9. Spinisque. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui coronam portavit spineam. Utinam tuæ Passionis indelebilem, pie Jesu, mihi imprimas memoriam. Amen.

10. Cachinnant. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui illusus cæditur arundine. Fac, pie Jesu, ut penitissime me abnegans, cuncta adversa a te recipiam cum gratitudine. Amen.

Decas quinta.

Pater noster, etc. Ave, Maria, etc.
Jesus Christus,

1. Exhibitus. Qui ostentatur ad ignominiam. Jesu bone, nihil fac agam per ostentationem aut inanem gloriam. Amen.

2. Damnatur. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui damnatur stans ante judicem. Dulcis Jesu, fac me totum innocentem, mundum ac simplicem. Amen.

3. Amictus. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui reinduitur suis vestibus. Utinam, pie Jesu, tuis vestiri mereamur meritis et virtutibus. Amen.

4. Sub Cruc. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui egressus est urbem Crucem suam bajulando. Sequar te quocumque ieris, pie Jesu, me perfectissime abnegando. Amen.

5. Flebant Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Quem flevit sequentium mulierum devotio. Utinam, dulcis Jesu, duritiam meam liquefaciat amorosa tuæ Matris compassio. Amen.

6. Associant Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cui sociaverunt latrones ad ignominiam. Utinam præter te, pie Jesu, nemini placere appetam, nec displicere timeam. Amen.

7. Simon. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui a Simone post se voluit Crucem portari. Uti-

Digitized by Google

nam, pie Jesu, imitando atque compatiendo totus tibi et Matri tuæ merear conformari. Amen.

8. Vinum. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui mirrhatum vinum dignatus est gustare. Fac me, piissime Jesu, omnes delectationes sensuales concupiscentiasque vitiorum perfecte mortificare. Amen.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Quem ad Crucem nudantes derident. Utinam ab omnibus nudus inveniar, quæ, pie Jesu, tibi displicent. Amen. 9. Nudant.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cui dolores renovantur et vulnera. Utinam, dulcis Jesu, in me renoventur in dies contritionis atque amoris divini suspiria. Amen. 10. Renovantur.

QUINQUAGENA TERTIA

Decas prima.

Pater noster, etc. Ave, Maria, etc. Jesus Christus,

1. Extensus. CUJUS corpus extensis membris dissipatur, heu, quantum mens mea in diversa distrahitur. Utinam tibi, o Jesu, uniatur. Amen.

2. Crucifigitur. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui clavis dignatus est crucifigi. Utinam, piissime Jesu, clavis amoris inseparabiliter tibi merear affigi. Amen.

3. Orat. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui oravit pro suis crucifixoribus. Fac, pie Jesu, ut affectum et beneficia charitatis impendam inimicis et persecutoribus. Amen.

4. Scripsit. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cui triumphalis inscriptus est titulus. Ille, bone Jesu, nos salvet a malis et inimicis omnibus. Amen.

5. In altum. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui cum derisione et pœnis magnis in Cruce elevatur. Utinam adeo in te rapiatur, absorbeatur uniaturque tibi mens mea, dulcis Jesu, ut terrenorum omnium obliviscatur. Amen.

6. In tribus. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui tribus horis pendens et clavis ponderis cruciatum toleravit ineffabilem. Utinam, pie Jesu, quæcumque dura hilariter suscipiam, et patientissime ac gratias agendo tolerem. Amen.

7. Effluxit. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Ex cujus vulneribus sanguinis manavit copia. Præstet hic, dulcis Jesu, afflictis et defunctis omnibus pia refrigeria. Amen.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cujus vestes diviserunt milites. Pie Jesu, ab Ecclesia tua aufer schismata, errores et cunctas hæreses. Amen. 8. Vestes.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cui exprobratum est a prætereuntibus. Dulcissime Jesu, da mihi ut ex toto corde compatiar miseris omnibus. Amen. 9. Blasphemia.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui latroni promisit paradisum. Dulcis Jesu, fac ut hunc percipiam absque dilatione post hoc exilium. Amen. 10. Latro.

Decas secunda.

Pater noster, etc. Ave, Maria, etc. Jesus Christus,

Cui in singulis membris patienti exaggeratur pœna multiformiter. Pie Jesu, fac ut omne tempus omnesque vires in tui laudem expendam fideliter. Amen. 1. Undique.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cui tu pia Mater et ipse tibi condoluit lacrymabiliter. Utinam ex cordis mei medullis, vobis compatiar inconsolabiliter. Amen. 2. Condoluit

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui te virgini commendavit discipulo. Quæso, o misericordissima, tenear possidearque a te semper pro filio. Amen. 3. Mulier.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Ante cujus mortem est sol obscuratus. Da, piissime Jesu, ut animus sit mihi misericordissimus, ad omnium consolationem paratus. Amen. 4. Tenebrasque.

Digitized by Google

5. Relictus. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui flebiliter a Patre se clamabat derelictum. Da mihi, pie Jesu, animum in omni tentatione et pressura fortem atque invictum. Amen.

6. Estsitiens. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui sitim toleravit vehementissimam. Utinam Deus meus, honorem tuum ac animarum salutem vehementer sitiam. Amen.

7. Gustat. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui acetum gustavit felle mixtum. Fac, dulcissime Jesu, ut corporis consolatione utar duntaxat ad necessitatem, non ad desiderium. Amen.

8. Complet. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui consummata dixit omnia. Dulcissime Jesu, fac ut in te dirigam et perficiam omnes intentiones meas et studia. Amen.

9. Moritur. Ave, Maria, etc. Jesus Christus. Qui, clamans moritur in tormentis. Misericordissime Jesu, fac perfecte me mori mundo, vitiis et omnibus concupiscentiis. Amen.

10. Gemuerunt. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Post cujus mortem pœnitentes tundebant pectora. Detur, o piissime Deus, cunctis peccatoribus et pœnitentia et misericordia. Amen.

Decas tertia.

Pater noster, etc. Ave, Maria, etc.
Jesus Christus,

1. Terra tremit. Ad cujus mortem contremuit mundus. Pie Jesu, utinam pro peccatis meis, et pro tua Passione sit mihi continuus gemitus. Amen.

2. Milesque. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cujus latus et Cor aperuit lancea. Hic, quæso, dulcissime Jesu, inhabitet cor meum et anima. Amen.

3. Resolvunt. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui de Cruce depositus est vespere. Fac me usque ad mortem, dulcissime Jesu, in Cruce et in omni beneplacito tuo semper manere. Amen.

4. Sindone. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui aromate conditus involvitur sindone. Dulcis Jesu, exornet me gratia tua perfectissima castitate. Amen.

5. Planctus. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui multorum est lacrymis planctus. Dulcis Jesu, fac ut et juges pro peccatis meis fundam lacrymas, et amor tui in me ferveat perseveretque immaculatus et sanctus. Amen.

6. In tumulum. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui alieno sepultus est tumulo. Utinam, pie Jesu, cor meum ita in te sepelias, ut nihil sciat de hoc seculo. Amen.

7. Redeunt. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, A cujus tumulo regressa es cum tristitia. Utinam a te, o Mater clementissima, nunquam recedam, sed ad tuos semper pedes maneam in tua gratia. Amen.

8. Ad limbum. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui ad patres descendit in limbum. Utinam, bone Jesu, Passio tua defunctis omnibus præstet refrigerium. Amen.

9. Gaudia. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Ad cujus præsentiam Patres obtinuerunt gaudia. Consoletur, pie Jesu, defunctos omnes tua misericordia. Amen.

10. Secum. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui electos omnes secum duxit in Paradisum. Utinam, pie Jesu, Passio et mors tua defunctis omnibus plenum sit solatium. Amen.

Decas quarta.

Pater noster, etc. Ave, Maria, etc.
Jesus Christus,

1. Surrexit. Qui a morte resurrexit cum majestate. Utinam tibi soli, Jesu bone, placere cupiam in perfectissima humilitate. Amen.

2. Matri. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui te primam visitans implevit consolatione. Utinam anima mea, dulcis Jesu, castissima tibi semper placeat devotione. Amen.

3. Apparet. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui apparens mœstos confortavit discipulos. Pie Jesu, conforta omnes in tristitia constitutos. Amen.

4. Vescens. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui convescebatur discipulis ad eorumdem roborationem. Fac tibi, pie Jesu, in corde meo jugem delectationem. Amen.

5. It in altum. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui in

Digitized by Google

cœlos ascendit gloriose. Dulcis Jesu, trahe cor meum post te, ut tibi inhæreat inseparabiliter et amorose. Amen.

6. Mittens. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui misit Spiritum Sanctum credentibus. Dulcis Jesu, infunde hunc nobis cum gratiis, donis et fructibus suis omnibus. Amen.

7. Convertat. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui discipulos prædicare misit in omnem terram. Dulcis Jesu, da mihi ut tuum honorem et beneplacitum pure super omnia quæram. Amen.

8. Martyr. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Pro quo martyres passi sunt magna constantia. Diligam te, Deus meus, ut neque tristia me a te avellant, neque suavia. Amen.

9. Virgoque. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cujus amore homines innumeri observarunt castitatem. Dulcis Jesu, da mihi castissimam cordis et corporis puritatem. Amen.

10. Superstes. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui te reliquit superstitem ad Ecclesiæ utilitatem. Dulcis Jesu, infunde mihi perfectissimam mansuetudinem, patientiam et longanimitatem. Amen.

Decas quinta.

Pater noster, etc. Ave, Maria, etc. Jesus Christus,

1. Migrantem. Qui te ad cœlestia vocavit per suavem dormitionem. Jesu piissime, adstet mihi in hora mortis Matris et tuum præsidium contra omnem tentationem. Amen.

2. Assumpsit. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui te assumptam glorificavit in corpore et anima. Ah, pie Jesu, utinam confirmes me in tua gratia. Amen.

3. Supremaque. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui te exaltavit super cœlos et super omnem potestatem. Da mihi, dulcissime Jesu, profundissimam subjectionem et humilitatem. Amen.

4. Proximus. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui te proximam fecit sanctissimæ Trinitati. Dulcissime Jesu, fac me conformem in omnibus tuæ sanctissimæ voluntati. Amen.

5. Fulget. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui cœlum et terram illuminat tua gloria. Illumina me, quæso, pie Jesu, ad cognoscenda et detestanda mea vitia et peccata. Amen.

6. Imperat. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui te cœlorum Imperatricem fecit, cui omnes obediant. Fac, o piissime Jesu, ut omnes vires meæ modo tibi gratissimo serviant. Amen.

7. Exorat. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui tibi servientibus retribuit desiderata. Hoc unum rogo, sanctissima, ut tu tota sis mea, tota post Deum sis unice et castissime amata. Amen.

8. Concors. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cui adeo conjuncta es, ut tota tibi consentiat Trinitas. Utinam, pie Jesu, cor meum tibi consentiat, adeo te diligat, ut mihi tecum sit unum cor et una voluntas. Amen.

9. Crescunt. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui tua gaudia non minui sed facit crescere. Dulcis Jesu, in tui et Matris amore fac me in dies proficere, et nunquam deficere. Amen.

10. Veniet que. Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui mundi Judex est venturus. Dulcis Jesu, utinam in tuis hic imeritis expurger, ad gaudia in morte liber iturus. Amen.

Oratio in fine, aut quoties ab orando Ave Maria cessas, dicenda.

Ut tuam, Domine, misericordiam consequamur, fac nos per intercessionem beatissimæ Virginis Mariæ, Matris tuæ, beatæ Barbaræ, beatæ Mariæ Magdalenæ, N. N. et omnium Sanctorum tuorum, toto corde tibi esse devotos, humiles, castos, mites, pios, misericordes, benignos. Et ut vitæ nostræ felix sit terminus, securusque animæ ac beatus exitus, fac ut tu sis, dulcis Jesu, modo nobis omnia in omnibus. Qui cum Patre et Spiritu Sancto benediceris Deus ab omnibus gloriosus, Amen.

Digitized by Google

ROSARIUM MYSTICUM AD BEATISSIMAM VIRGINEM MARIAM

EX QUINQUAGINTA ARTICULIS VITÆ AC PASSIONIS CHRISTI CUM SUIS ORATIONIBUS CONSERTUM.

Duæ priores Rosarii decades complectuntur viginti præcipua gaudia, quæ habuit beatissima Virgo Maria ex Filii Incarnatione, Nativitate, Pueritia et Conversatione. Duæ sequentes decades habent dolores et compassionem, quas ex ejusdem Filii concepit amarissima Passione. Decas quinta ejusdem Rosarii comprehendit gaudia ejusdem Virginis, quæ habuit ex Filii Resurrectione, Ascensione, Spiritus Sancti Missione, et sui Glorificatione. Porro omnes Rosarii Articuli per ordinem litterarum disponuntur, et ante quamvis dominicam Orationem, hoc est, ante quamlibet decadem præmittenda erit precatio ad vulnera Christi, quomodo in sequentibus ordinatum est.

Ad vulnus sinistri pedis, precatio.

DULCISSIME Domine Jesu Christe, in hoc vulnere, quæso, ignoscas mihi quidquid sensuum meorum incontinentia ac abusu in te deliqui, et concludas omnes sensus meos intra te, ut velut mortuus mundo nihil videam, nihil audiam, nihil sentiam, nisi te Deum pro me crucifixum. Amen.

Decas prima.

Pater noster.

AMABILISSIMA Virgo Maria, ab æterno electa, gaude, quia præ omnibus mulieribus digna inventa es, quam per Angelum Deus salutaret, et in castissimo utero tuo factus homo, novem mensibus habitaret. Libera, quæso, et defende me ab omni peccato, ut cor meum juge sit hospitium Dei Filio. *Ave, Maria.*

Beatissima Virgo Maria, dignior cunctis, sanctior universis, gaude, quæ teipsam quasi nesciens, humiliter ad cognatam properasti. Ubi ad vocem tuam Joannes adhuc in utero Deo plenus exsultat, et mater Elisabeth prophetat. Impetra, quæso, mihi profundissimam humilitatem et in Dei servitio strenuitatem et devotissimam alacritatem. *Ave, Maria.*

Castissima Virgo Maria, sine viro fecunda et absque dolore puerpera, gaude, quia Deum intacta genuisti et post partum virgo inviolata permansisti. Utinam in filium tuum, o piissima Mater, me adoptes, et ut tuas imitari virtutes merear, mihi a Deo impetres. *Ave, Maria.*

Dignissima et nobilissima feminarum, Virgo Maria, Christi Mater et ancilla, gaude, quia qui te creavit, ex te natus ubera tua suxit : et dum in præsepio ponitur, ab Angelis collaudatur. Fac ut in Dei cultu nunquam tepescam, et te amans a tua laude nunquam deficiam. *Ave, Maria.*

Excellentissimæ sanctitatis Dei templum, Mater Virgo Maria, gaude, quia Filius tuus piissimus quibusque revelatur, et a pastoribus visitatur. Impetra mihi, ut ab amabili hoc infantulo merear perfecte illuminari, ejus amore accendi, ejus inhabitatione gubernari et a vobis nunquam separari. *Ave, Maria.*

Felicissima et omni gratia plena, Virgo Maria, gaude, quia infantulum circumcidi, Sanguine tingi, Jesum nominari, et mundi redemptionem ab eodem vidisti inchoari. Fac, o pia Mater, ut quidquid in me est vitiosum, ejus gratia abscindat, et suavissimum nomen suum Jesus igneis amoris litteris cordi meo inscribat. *Ave, Maria.*

Gratiosissima Virgo Maria, amabilis et venusta, gaude, quia Filium tuum tres re-

Digitized by Google

ges adoraverunt, et muneribus mysticis honoraverunt. Dulcissima Mater, quod offeram ego non habeo, sed ut cum Filio teipsam mihi tribuas, per viscera misericordiæ tuæ te obsecro, quia præter vos nil aliud desidero. *Ave, Maria.*

Honestissima simulque præstantissima, tota pulchra et immaculata, Virgo Maria, gaude, quia purificationis ritum suscepisti, et Patri Filium offerens, devoti Simeonis, Maria, hunc intulisti manibus. O utinam hunc profundissima humilitate castissimaque devotione suscipiam, et charitate ferventissima perpetuaque possideam. *Ave, Maria.*

Inclyta et gratiis omnibus ornata, sancta Maria Virgo, gaude, quia persecutionem fugiens, exilium septenne tolerasti. Da mihi, quæso, mundum et omnia quæ in mundo sunt pro Dei et tui amore despicere, carnem mortificare, adversa desideranter amplecti et æquanimiter tolerare. *Ave, Maria.*

Charitate flagrans pudicitiaque vernans, Virgo Maria, gaude, quia Filius tuus triduo amissus et in templo inventus, a te reducebatur, tibique obediens subdebatur. Fac, o dulcissima Mater, ut Christum ferventissimo amore in dies quæram, in dies inveniam, et nunquam amittere valeam. *Ave, Maria.*

Ad vulnus dextri pedis, precatio.

Dulcissime Domine Jesu Christe, in hoc vulnere peto ignoscas mihi quidquid cogitatione aut affectione prava contra te deliqui, et suppleas tuis meritis quidquid boni cogitare aut amare debui, et neglexi : et facias ut posthac te solum cogitem, te solum desiderem, nihil mihi placeat, nihil me afficiat nisi tu, Domine Deus meus.

Decas secunda.

Pater noster.

Laudabilis et omni honore dignissima, Virgo Maria, gaude, quia Dei Filius triginta annis mundo incognitus, tuis et piissimi Joseph laboribus est educatus. Impetra mihi, ut semper nesciri et contemni gaudeam, universisque laboribus pro Dei gloria me ferventissima alacritate exponam. *Ave, Maria.*

Mansuetissima Virgo Maria, gaude, quia Filius tuus in Jordane baptizatus regenerationis nobis lavacrum instituit. Utinam pœnitentiæ lacrymis et Filii tui Sanguine, merear omni momento baptizari, et post mortem immediate per te eidem immaculatus ad gaudia præsentari. *Ave, Maria.*

Nardus odorifera, languentiumque omnium medicina, sancta Maria, gaude, quia Filius tuus in deserto abstinens jejunavit, et diabolum tentantem superavit. Fac me, quæso, discrete carnem meam castigare, tentationes vincere, et mala omnia superare. *Ave, Maria.*

Obedientissima et totius sanctitatis speculum Virgo Maria, gaude, quia Filius tuus idem et Creator tuus tibi obedivit, in nuptiis aquam convertens in vinum. Da mihi nunc lacrymis pœnitentiæ et aqua devotionis ac sapientiæ indesinenter potari, ut post hanc vitam vino jucunditatis æternæ tecum merear inebriari. *Ave, Maria.*

Patientissima Virgo Maria, spei et consolationis nostræ Mater, gaude, quia Filius tuus mundo prædicans dæmones expulit, et infirmis sanitatem sua virtute restituit. Impetra mihi, dulcissima Mater, ut a vitiis et languoribus animæ cunctis merear Dei gratia sanari, et pro ejus honore ac animarum salute semper verbo et exemplo ferventissime zelari. *Ave, Maria.*

Quæstuosa animarum negotiatrix, Virgo Maria, gaude, quia Filius tuus triduanum mortuum aliosque potenter suscitavit. Oro te, o reconciliatrix miserorum et urbs refugii, impetra mundo veniam et gratiam, qua impii resuscitentur, justi confirmentur, pœnitentibus augeatur gratia, et mortuis detur vita æterna. Amen. *Ave, Maria.*

Religiosissima Mater Dei Virgo Maria, gaude, quia Mariæ Magdalenæ cæteris-

Digitized by Google

que tunc pœnitentibus piissimum se fons pietatis exhibuit. Da mihi juges cum Maria Magdalena contritionis devotionisque et amoris lacrymas, ut meipsum cognoscens funditus contemnam, et æstuantissimo corde semper aspirem ad gratiam ejus tuamque amicitiam. *Ave, Maria.*

Sanctissimum Dei templum Spiritusque Sancti sacrarium, sancta Maria, gaude, quia Filius tuus in monte coram discipulis est transfiguratus. O utinam ego ab omnibus merear peccatis et vitiis expurgari, et in Deum totus transformari : hoc impetra mihi, dulcissima Domina mea, sancta Maria. *Ave, Maria.*

Tutissimum præsidium omnium ad te clamantium, sancta Maria, gaude, quia Filius tuus cum palmis Jerosolymam introductus, urbis excidium flevit. Fac, o piissima, ut vilitatem et miseriam meam semper attendam, peccata mea indesinenter defleam, Dei honorem animarumque salutem ardentissime sitiam, et pro iis omne tempus et omnes vires meas impendam. *Ave, Maria.*

Venerabilis et singularis, Virgo Maria, gaude, quia a Filio ad Passionem ituro, olim tristissima es separata, sed modo inseparabiliter eidem conjuncta. Da mihi, ut toto corde studeam ubique meipsum funditus relinquere, abnegare et Christi vitæ ac passionibus conformare, *Ave, Maria.*

Ad vulnus sinistræ manus, precatio.

Dulcissime Domine Jesu Christe, in hoc vulnere, quæso, ignoscas impatientiæ atque immortificationi meæ, quomodocumque deliqui, et des mihi ex hoc vulnere mitissimam patientiam in omnibus adversis. Tibi enim nunc offero et commendo et me, et omnia mea tam læta quam adversa.

Decas tertia.

Pater noster.

Advocata nostra misericordissima ante Deum, Virgo Maria, ora pro me Filium tuum, qui in cibum Corpus, et in potum Sanguinem suum nobis instituit, ut ad hæc sumenda ignita me semper vis amoris impellat. Quæ utinam profundissima humilitate, devotissima reverentia et sincerissima cordis puritate me implens, vilitatem meam operiat. *Ave, Maria.*

Benedictissima Dei Mater, cœlorum Imperatrix, Virgo Maria, ora pro me Filium tuum, qui pedes lavit discipulorum. Utinam et ego tibi et tuo Filio humillimo ac fidelissimo corde serviam, castissimo, purissimo ferventissimoque amore inseparabiliter inhæream, et omni creaturæ me semper propter Deum subjiciam. *Ave, Maria.*

Charissima mulierum, Virgo Maria, ora pro me Filium tuum, qui tristis usque ad mortem orans, et in agone Sanguinem sudans, Patri se resignavit. Utinam ego quoque de manu ejus cuncta mihi venientia accipiam, et abnegata omni proprietate, meipsum perfectissime relinquam, exeam et in ipsum me totum projiciam. *Ave, Maria.*

Dignissima et admirabilis Virgo Maria, cujus Filius pro me captus cæditur et impie tractatur. Accipe me, quæso, captivum pro tuo filio, et ab omni vinculo peccatorum absolve, meque insolubiliter amoris funibus constringe. *Ave, Maria.*

Eximia proximaque post Deum consolatio nostra, Virgo Maria, ora pro me Filium tuum, qui pro me ad Annam velut agnus innocens inter lupos sævientes ducitur, Annæ offertur, et a servo vilissimo alapa cæditur. Utinam ego quoque ejus amore dura ac molesta quæcumque libenter sustineam, et ubi loquendum fuerit, mansuetudinis tantum verba respondeam. *Ave, Maria.*

Fidelissima pro nobis interventrix, sancta Maria, ora pro me Filium tuum, qui in domo Caiphæ inique accusatus injusteque damnatus, conspuebatur, cædebatur, velabatur et per totam noctem miserabiliter angustabatur. Utinam tantæ humilitatis,

Digitized by Google

charitatis gratiam mihi infundat, qua desiderem gaudeamque contemni, et contumeliis ac injuriis affligi. *Ave, Maria.*

Gloriosissima cœli terræque Regina, sancta Maria, ora pro me Filium tuum, qui coram Pilato inique accusatus tacuit. Utinam et ego non delinquam in lingua mea: sed ab omni verbo malo et otioso abstineam, et detractationes adversitatesque omnes, sine querela, in silentio ac mititate cordis sustineam. *Ave, Maria.*

Hortus gratiarum et virtutum omnium, Virgo Maria, ora pro me Filium tuum, qui coram Herode tacens spernitur, et alba veste illusus Pilato remittitur. Utinam ego neminem spernam, de omnibus bene sentiam, quoscumque mihi præferam, et me omnium creaturarum vilissimam semper sentiam. *Ave, Maria.*

Innocentissima atque purissima Dei Genitrix, Virgo Maria, ora pro me Filium tuum nudatum, ligatum, flagellatum, Sanguineque cruentatum. Utinam omnia hic ejus flagella patientissime sustineam, ejus amorem in hoc cognoscens, ipsum benedicam, et gratias agam, et majora adhuc pati humiliter cupiam. *Ave, Maria.*

Corona Sanctorum omnium, nostræque salutis gaudium, Virgo Maria, ora pro me Filium tuum, qui spinis coronatus, et multifariam illusus, pro me cæditur atque conspuitur. Utinam cordi meo imprimat adeo Passionem suam, ut aliud nihil cogitare, nihil sentire valeam, quam ipsum Dominum Deum meum pro me crucifixum. *Ave, Maria.*

Ad vulnus dextræ manus, precatio.

Dulcissime Domine Jesu Christe, in hoc vulnere, quæso, ignoscas cunctis actibus et operibus meis malis ac vitiosis, quibuscumque benignitatem tuam offendi: et suppleas tuis operibus virtuosis quidquid, quod interim facere debueram, neglexi, et facias ut posthac per gratiam tuam emundatus, vitæ tuæ sanctissimæ per devotissimam imitationem merear conformari.

Decas quarta.

Pater noster.

Lucidissimum innocentiæ et sanctitatis speculum, Virgo Maria, ora pro me Filium tuum, qui portans coronam spineam et chlamydem coccineam, productus est, et in derisionem populo ostentatus. Utinam a me tollat radicitus omnem superbiam, livorem ac malevolentiam, et infundat mihi perfectissimam humilitatem, mititatem, patientiam et charitatem. *Ave, Maria.*

Mœstissima Dei Mater, Virgo Maria, ora pro me Filium tuum, qui pro me ante tribunal judicis stans, ad mortem est damnatus, et voluntati impiorum traditus. Utinam ego neminem judicem, sed sincerissimam compatientissimamque charitatem ad omnes servem. *Ave, Maria.*

Nobilissima, pulcherrima omnium mulierum, Domina mea, Virgo Maria, quæ Filium tuum sequebaris damnatum et Crucis trabe oneratum. Videbas illum verberibus et blasphemiis impelli, sub onere incurvari, viribus deficere et inter suspiria ac gemitus corruere. Impetra mihi, quæso, ut crucem propriæ abnegationis ferventissima semper devotione amplectar, et vestigia Filii tui tam compatiendo, quam imitando perfectissime sequar. *Ave, Maria.*

Officiosissima compatientissimaque Mater, Virgo Maria, ora pro me Filium tuum, qui pro me nudatis et renovatis vulneribus extensus crucifigitur. Utinam ego quam nihil sum vere cognoscam, vitam meam omnem et meipsum totum contemnam, et ad perfectiora semper me extendam. *Ave, Maria.*

Piissima pudicissimaque Domina mea, Virgo Maria, ora pro me Filium tuum, quem pro inimicis suis orantem vidisti in Cruce exaltari, blasphemari et exprobrari. Impetra mihi ab eodem, ut omnes inimicos meos omnesque mihi molestos sincerissima et mitissima charitate diligam, et me contumeliis atque injuriis adhuc majoribus dignum sentiam. *Ave, Maria.*

Digitized by Google

Quietissima et in adversis tranquilla ac serena Virgo Maria, ora pro me Filium tuum, qui in Cruce latroni paradisum promisit. Fac ut peccata mea sic defleam, sic Deo placens inhæream, ut ex hac vita immediate ad æternam recipiar gloriam. *Ave, Maria.*

Reverendissima Virgo Maria, nostræ desolationis refugium, quæ charitate vulnerata, compassioneque transfixa, dum Filio in Cruce pendenti gemebunda adstabas, discipulo es commendata. Suscipe, quæso, et me, pia Mater, in filium, et mihi amorem infunde castissimum atque perpetuum. *Ave, Maria.*

Sapientissima Virgo Maria, ora pro me Filium tuum, qui propter immensos cruciatus undique exaggeratos, in quibus erat omni consolatione destitutus, etiam a Patre se derelictum clamavit. Subveni, obsecro, pia Mater, tristibus, afflictis desolatisque omnibus, ut tua intercessione adjuti, et Dei gratia semper protegantur, et divinis consolationibus impleantur. *Ave, Maria.*

Tristissima inter omnes matres, Virgo Maria, ora pro me Filium tuum, cui in aridissima siti felle et aceto potato, tu subvenire non potuisti. Utinam in me sitim carnalis et mundanæ concupiscentiæ omniumque vitiorum exstinguat, quo fastidiam terrena omnia, et sitiam anhelemque ad cœlestia. *Ave, Maria.*

Vera et unica spes nostra post Deum, Virgo Maria, ora pro me Filium tuum, quæ illum audisti clamantem : *Consummatum est.* Fac me omnes actus, cogitatus et motus animæ et corporis mei pure semper in Deum dirigere, et in Dei timore cum perfectissima profundissimaque humilitate, mititate ac charitate omnem vitam meam feliciter consummare. *Ave, Maria.*

Ad vulnus amantissimi Cordis Jesu, precatio.

O DULCISSIME Domine Jesu Christe, in hoc vulnere, quæso, ignoscas quidquid voluntate mala aut intentione non sincera contra te deliqui, et offero tibi cor meum ut illud Cordi tuo unias, ut te solum in omnibus pure quæram et intendam, et aliam præter tuam voluntatem posthac nullam habeam.

Decas quinta.

Pater noster.

AMABILISSIMA Virgo Maria, qui neminem spernis, neminem excludis, per mortem Unigeniti tui, qui clamore valido et lacrymis se Patri commendans, tradidit spiritum, obsecro te ut facias me mundo, mihiipsi omnibusque extra Deum mori, illi vero soli vivere : ut præter ipsum nil sciam, et neque vivens neque moriens ab eo separari aut elongari valeam. *Ave, Maria.*

Benignissima ac mitissima Virgo Maria, ora pro me Filium tuum, cujus latus et Cor lancea militis aperuit, unde sanguis manavit et aqua. Utinam cor meum ignita vis divini amoris penetret, vulneret, purget et inflammet, ut aliud nil cogitem, nil desiderem nisi Dominum Deum meum et te piissimam ejus Matrem. *Ave, Maria.*

Clementissima Virgo Maria, ora pro me Filium tuum, quem de Cruce tibi redditum plangens, amorosis labiis osculabaris. Impetra mihi ejus Passionem et vulnera in corde jugiter recolendo portare, et in cruce perfectissimæ abnegationis ejus amore ultro et usque in finem perseverare. *Ave, Maria.*

Dulcissima consolatrix, Domina mea, Virgo Maria, ora pro me Filium tuum, qui dignatus est pro me aromatibus condiri, sindone involvi et sepeliri. Fac ut ipse mentem meam in se ab omnibus sensibilibus abstrahat, solus ipse possideat, sibi uniat, omniumque me extra se oblivisci ac omnibus mori faciat. *Ave, Maria.*

Exspectata mundi consolatio, Virgo Maria, nunc iterum gaude, quia Filius tuus po-

Digitized by Google

tenter ad inferna descendit, et de hoste triumphans, amicos inde suos liberavit. O Mater misericordiæ, ora pro omnibus fidelibus defunctis, ut illis succurrat divinæ pietatis miseratio, eos eripiat ejus pretiosi Sanguinis effusio atque amara Passio. *Ave, Maria.*

Formosa, candida atque omnium venustissima Domina mea, Virgo Maria, gaude, quia Filius tuus a morte resurgens tibi gloriosus apparuit. Fac me, quæso, nunc per gratiam resurgere ad perfectionem omnium virtutum, ut in novissima resurrectione inveniar tecum a dextris in consortio omnium beatorum. *Ave, Maria.*

Gratiosa et omnium oculis desideratissima Virgo Maria, gaude, quia Filium tuum vidisti ascendentem in cœlum cum exercitu sanctorum Patrum, in jubilatione Angelorum. Impetra mihi a Filio tuo, ut cor meum post se trahat, et nihil in hoc mundo me afficiat : sed in ipso solo quiescam, vivam et gaudeam. *Ave, Maria.*

Humillima et sublimissima Virgo Maria, gaude, quia Spiritum Sanctum Filius tuus in mundum effudit. Fac, pia Mater, ut Spiritu Sancto repleri merear, et in statu mansibilis gratiæ totus constituar. *Ave, Maria.*

Intemerata immarcescibilisque paradisi rosa, Angelorum Regina, Trinitati proxima, gaude, quia Filius tuus corpore et anima te assumptam et supremo in solio coronatam glorificavit. Ora, quæso, pro universo mundo, quia Mater es misericordiæ. *Ave, Maria.*

Lætitia cœlestium, Virgo Maria, cujus gaudia nunquam deficiunt, sed crescunt, cui Filius nihil negat, gaude, quia Filius tuus judicaturus est vivos et mortuos. Impetra nobis omnibus, o piissima, hic veram pœnitentiam, et omnium peccatorum nostrorum plenam indulgentiam, ut de morte transeamus non ad judicium, sed ad beatitudinis gloriam. *Ave, Maria.*

Cui non administratur devotio tanta, aut tempus non suppetit, ut Articulos orationesque legat, potest adjectos in fronte Articulorum superlativos duntaxat legere, eosque Salutationi angelicæ præmittere. Verbi gratia, ut dicatur :

Ave, amabilissima Virgo Maria, ab initio et ante secula creata ab æternoque electa etc. gratia plena, etc.

Ave, beatissima Virgo Maria, dignior cunctis, sanctior universis, gratia plena.

Ave, castissima Virgo Maria, sine viro fecunda, gratia plena. In hoc casu solo angelicæ Salutationes præcedere debebunt Articulos : alias, Articulos sequentur Salutationes angelicæ.

ROSARIUM MYSTICUM.

DE PRÆCELLENTIIS, DONIS, GRATIISQUE BEATISSIMÆ MARIÆ MAGDALENÆ A DEO COLLATIS.

Decas prima.

Paternoster. Ave, Maria, etc. Jesus Christus,

QUI beatam Mariam Magdalenam ab æterno salvandam prædestinavit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui sanctam Mariam Magdalenam cadere, ut fortius eam resuscitaret, permisit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cujus sermones sancta Maria Magdalena suaviter audivit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui cor sanctæ Mariæ Magdalenæ benigno respectu illustravit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui vitæ prioris displicentiam sanctæ Mariæ Magdalenæ infudit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui cor sanctæ Mariæ Magdalenæ compunctione sancta et sui amore vulneravit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui sanctam Mariam Magdalenam ut ad domum veniret Simonis, inspirando vocavit.

Digitized by Google

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Ad cujus pedes retro sancta Maria Magdalena verecunda procidit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cujus pedes lacrymis sancta Maria Magdalena compuncta lavit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cujus pedes capillis suis sancta Maria Magdalena tersit

Decas secunda.

Paternoster. Ave, Maria, etc. Jesus Christus,

Cujus pedes osculis dulcibus sancta Maria Magdalena demulsit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cujus pedes devota sancta Maria Magdalena unxit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui a Pharisæo sanctam Mariam Magdalenam excusavit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui sanctæ Mariæ Magdalenæ omnia peccata remisit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui sanctam Mariam Magdalenam æthiopissam in candidissimam columbam mutavit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cujus amori et obsequiis sancta Maria Magdalena se totam mancipavit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cujus sermones ut audiret devotissime sancta Maria Magdalena secuta est.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cujus miraculis oblectata, sancta Maria Magdalena gratulabatur.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui sanctæ Mariæ Magdalenæ sororem et fratrem dilexit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui ad sororis querimoniam sanctam Mariam Magdalenam excusavit.

Decas tertia.

Paternoster. Ave, Maria, etc. Jesus Christus,

Cui sancta Maria Magdalena fratris obitum nuntiavit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui sanctam Mariam Magdalenam videns flentem, collacrymatus est.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui sanctæ Mariæ Magdalenæ amore, defunctum ejus fratrem resuscitavit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cui sancta Maria Magdalena caput et pedes unxit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui sanctam Mariam Magdalenam a discipulorum murmure defendit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cui patienti sancta Maria Magdalena fidelissima adstitit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Ex cujus Passione sancta Maria Magdalena vehementer fuit vulnerata.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cujus Matrem sancta Maria Magdalena usque ad mortem Jesu est comitata.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, A cujus sepulchro sancta Maria Magdalena tristis recessit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Ad cujus sepulchrum post sabbatum sancta Maria Magdalena cum unguentis mane venit.

Decas quarta.

Paternoster. Ave, Maria, etc. Jesus Christus,

Quem in sepulchro non inveniens sancta Maria Magdalena ablatum putavit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Quem inter lacrymas et gemitus sancta Maria Magdalena quæsivit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui sanctæ Mariæ Magdalenæ in specie hortulani apparuit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui sanctam Mariam Magdalenam de sua Resurrectione certiorem fecit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui sanctam Mariam Magdalenam ad Apostolos mittens, Apostolorum apostolam fecit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui

Digitized by Google

sancta Maria Magdalena vidente et gratulante, cœlos ascendit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui sanctæ Mariæ Magdalenæ ut aliis credentibus Spiritum Sanctum misit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui sanctam Mariam Magdalenam, ut Jerosolymam ante excidium relinqueret, præmonuit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui sanctam Mariam Magdalenam, in Aquitaniam misit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cujus Evangelium sancta Maria Magdalena prædicavit.

Decas quinta.

Pater noster. Ave, Maria, etc. Jesus Christus,

In cujus nomine et virtute sancta Maria Magdalena miracula fecit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cujus amore, mundum pertæsa sancta Maria Magdalena reliquit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cui soli ut vacaret sancta Maria Magdalena, in specum secretissimum se abdidit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cui per triginta annos sancta Maria Magdalena mundo incognita servivit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Cujus amore totidem annis sancta Maria Magdalena in dura pœnitentia se afflixit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Quo conservante sancta Maria Magdalena tot annis absque cibo humano vixit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui septem horis quotidie sanctam Mariam Magdalenam ad æthera sustulit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui post triginta annos sanctam Mariam Magdalenam per sanctum Maximum viatico cibavit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui sanctam Mariam Magdalenam ad cœlestem gloriam assumpsit.

Ave, Maria, etc. Jesus Christus, Qui sanctam Mariam Magdalenam venerantibus salutem et beneficia multa largitur.

Antiphona.

O quam dives es, Domine, in miserationibus tuis, qui tuæ pietatis viscera in miseros abundanter effundis : nam oculo clementiæ dissimulas quotidie peccata nostra, nosque prævaricantes. O misericors, miserere, et delictis nostris ignosce : quoniam sanctæ Mariæ Magdalenæ lacrymas in dulces tibi convertisti epulas, eamdemque participem non solum veniæ, sed omnis etiam gratiæ atque tuæ amicitiæ tu fecisti consortem.

℣. Dimissa sunt ei peccata multa.
℟. Quoniam dilexit multum.

Oratio.

Domine, qui beatam Mariam Magdalenam ex vitiorum sordibus ereptam, candidam atque tui amore flagrantissimam fecisti : Da nobis ejus intercessione et de peccatis nostris vera contritione semper compungi, et tui castissimo amore in dies igniri. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

Effusio cordis ad B. V. Mariam ob necem Christi.

Heu, Mater mea suavissima, quanta est duritia cordis mei, quanta ariditas mentis meæ, quanta oculorum meorum siccitas, quod non fleam, non gemam, non lugeam tecum ob Filii tui horrendam et contemptibilissimam mortem : quandoquidem ego, ego, inquam, ipse, omnis tibi sum calamitatis, desolationis et tristitiæ, causa. Quis enim, mea Domina, abstulit a te Filium tuum? Quis, beata Mater, interfecit dilectum tuum? Cui vis indignari? cui irasci? Nonne merito mihi? O misericordissima Domina mea, fateor quidem, nec diffiteri possum, peccata mea occiderunt Filium tuum : imo et ipsius divinissima charitas,

Digitized by Google

qua me et cæteros peccatores adeo dilexit, ut nec tibi parceret condolenti, nec sibi gravissime patienti, ad mortem eum pertraxit. Itaque, pia Mater, qui tantorum tibi causa fui dolorum, quique propter me et scelera mea unico tuo es orbata Filio, flectere dignare cordis mei duritiam pœnis illis vehementissimis, quibus in morte Filii affecta fuisti, ut tibi condolere, tecum lacrymari possim.

Sed heu me, Mater præcharissima, quomodo dolebo vicem tuam, quomodo ob tuos acutissimos plorabo dolores, qui nec meipsum nec propria satis deploro peccata atque flagitia ? Heu, heu, ubi sunt lacrymæ meæ, ubi gemitus, ubi dolor, ubi cordis afflictio ? Quomodo tam repente omni lapide factus sum durior, terra stupidior, ipsisque mortuis insensibilior ? Quomodo, o Mater pudicissima, cor meum sic obduruit, sic peccati frigore est congelatum, sic impietate saxeum est factum ? O utinam in me impleatur, quod olim per Prophetam promissum est, ut tollatur a me cor meum lapideum, et detur mihi cor carneum, cor pium et sanctum, et ad omne beneplacitum Dei implendum promptum ac expeditum, ut jugiter te cum omnibus electis Dei, laudem, propriam miseriam digne deplorem, et alienam infelicitatem deplangam. Amen.

Pro felici morte ad B. V. Mariam, precatio.

O Domina mea amantissima, tuis sanctissimis intercedentibus meritis fac me ita religiose et pie vivere, tam fideliter tuo Filio et tibi servire, tam ardentissima et intensissima charitate Deum et proximum diligere, ut nihil damnabile vel purgabile habeam de hoc mundo transiturus : sed in Sanguine dilecti Filii tui lotus, ac in vulneribus ejus sacratissimis sepultus, pretiosissimaque ejus morte vivificatus, et tuis meritis abundantissimis stipatus, nullas inimicorum pertimescam insidias, verum cum gaudio a te perduci et in conspectu benedictissimi Filii tui lætus præsentari, atque sine fine tecum commorari merear : ubi incomprehensibilis illa lux oritur, quæ nunquam occidit : ubi ineffabilis pax colitur, quam nulla turbatio interemit : ubi fontana illa omnis boni abyssus scaturit, quam nemo exhaurire sufficit : ubi divina Majestas æterna requie omnia continet : ubi divina Veritas perenniter lucet : ubi divina charitas æternæ consolationis dulcedine semper rorat: ubi sancta Trinitas semper vivit et regnat Deus in substantia unus, et in personis trinus, Pater, Filius et Spiritus Sanctus, per infinita seculorum secula. Amen.

Alia pro eadem.

Ad pedes sanctitatis tuæ, Imperatrix cœlorum, confugio, per omnem gratiam et gloriam, quam tibi Filius tuus contulit, supplico, ut non derelinquas me in mortis hora, sed assistas mihi tunc et in omni angustia ac tentatione protectrix et liberatrix misericordissima. Impetra etiam mihi talem invenire gratiam apud Filium tuum, ut in hac præsenti vita tantam mihi det peccatorum meorum contritionem, ut plenam, ante animæ meæ egressum, percipiam culpæ et pœnæ remissionem, propter mortem suam et sanctitatem tuam, dulcissima Mater et Domina mea, sanctissima Virgo Maria. Amen.

Ut B. V. Maria in suam curam migrantem animam suscipiat, precatio.

O Clementissima Domina mea, sancta Maria, omnium christianorum advocata et interventrix fidelissima, rogo te per cuncta merita tua eximia, quibus Deo maxime placuisti, et per singula obsequia, quæ benedicto Filio tuo gratiosissime exhibuisti, atque per omnes lacrymas, quas in Passione ejus amarissime effudisti, quatenus mei pauperis misereri digneris, et juxta solitam tuam clementiam et pieta-

Digitized by Google

tem in tuam maternam me suscipias curam, atque in eorum me associes numerum servulorum, qui singulari amore te prosequuntur, omniaque sua exercitia in tuam referunt gloriam.

O unica spes mea post Filium tuum, gloriosa Virgo Maria, non me derelinquas in horrenda mortis hora : sed tunc et in omni tentatione et angustia adesto mihi protectrix fidelissima, consolatrix suavissima, Mater gratiosissima, perducens animam meam egredientem de corpore meo immediate ad gaudia sempiterna. Amen.

Salutatio ad B. V. Mariam efficacissima.

Quot maris sunt guttæ, cœli stellæ, quot beatorum spirituum agmina, quot arborum folia et terræ gramina, toties ex intimo cordis mei te saluto, o nobilissima, electissima, pulcherrima, gloriosissima atque dignissima Mater Dei, cœli Regina præclarissima, amabilissima Domina atque dulcissima mea Virgo Maria. Saluto autem te in unione amoris et per Cor dilecti Filii tui atque omnium te amantium, meque tibi commendo, atque in proprium filium me tibi assigno. Opto etiam ut tu me suscipias et apud Deum facias ut totus sim tuus, tu tota sis mea, post Deum Domina, gaudium meum et corona ac Mater mea dulcissima atque fidelissima. Amen.

Gloriosa Virgo Maria his frequenter compellanda est verbis.

Sub tuum præsidium confugio, sanctissima Dei Genitrix Virgo Maria : tu ab omni peccato, ab hoste maligno, ab omni periculo animæ et corporis libera et defende me : in hora quoque mortis meæ esto mihi benigna et misericors, animamque meam de corpore discedentem mox conspectui Dei repræsenta. Amen.

Digitized by Google

Digitized by Google

CENTUM ET QUINQUAGINTA
THEORIÆ

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO

IN charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miserans tui. Jeremiæ XXXI, 3.

Acturi de ortu, vita, Passione glorificationeque Domini nostri Jesu Christi piissimæque Matris ejus, cum primis operæ pretium fuerit ob oculos constituere, paucisque enucleare, quanta sit virtus vitæ Passionisque Christi, quanta ibi lateat gratia, quantus inde fructus proveniat, quanta denique eadem sedulo meditanti obtineatur utilitas, tametsi multi ea de re, idque doctissime scripserint, nemo potuit tamen id unquam satis hactenus, ut ipse nosti, explicare. Vincit enim ingenium humanum rei ipsius magnitudo. Quapropter prætergressis omnibus ceu iis quæ nunquam satis possunt dici, hoc unum omnibus cum perfectis, tum præcipue incipientibus Dei servis, tanquam rectum utilissimumque consulendum est, continue videlicet meditari Domini nostri Jesu Christi et ipsius Matris mores virtutesque a c Passionem. Neque enim absque Matris memoria possunt Filii gesta omnia recoli. Quid enim tam potest esse fructuosum, quam hoc meditandi mentaliterque orandi, sive in spiritu cum Deo loquendi studium pariter ac exercitium, quod familiaritatem, spem fiduciamque accedendi parit ad Deum? potissime dum tanta charitas, tanta misericordia, tantaque Salvatoris nostri erga nos bonitas consideratur, quæ nos ad se non solum admittit, verum etiam vocat, invitat ac trahit.

Fructus meditatæ vitæ et Passionis Christi, qui sint.

Instruitur præterea meditans, quomodo in omni vita sua perfectum sese præstare debeat Christi vitæ imitatorem : utpote, cujus actus, mores virtutesque assidue admodum contemplatur. Discit quoque opera sua contemnere omnia, et in sola Dei confidere bonitate, sine cujus ope et gratia nihil in se invenit aut sanum aut perfectum. Omnia enim sua si ad regulam eruditionis Christi, quam et verbo et exemplo ipse nobis contradidit, comparet, videt ea esse nulla. Deinde, quo ferventiore accingitur studio Christum imitandi, eo semper clarius videt quam longo adhuc distet intervallo sua ab illius vita. Videt quoque quantum sibi desit, undeve impediatur, ne Christo sit conformis. Experitur denique quam nihil possit, tametsi maximopere bonum affectet, suis viribus assequi, nihil in se corrigere, nihil perfecti absolutive operari, sed gratiam Dei se potius destruere impedireque, et

Digitized by Google

deficere in omnibus, omniaque sibi, puta vires, animum, studium, fervorem, atque ipsam adeo non solum affectionem, sed et voluntatem bonam decrescere. Siquidem quocumque modo ad perfectionem se conatur erigere, cito a fervore, a cœptoque relabitur proposito. Proinde, ubi hoc modo ex vitæ Christi meditatione, atque ex suæ vitæ iniquæ ad ejusdem vitam collatione, invenerit se illi adeo disparem, adeo difformem, adeoque longo se intervallo ab eadem distantem, in se humilietur necesse est : utpote nihil in se præter negligentias, peccata, vitia, errores, ignorantias, defectus ingratitudinemque inveniens. Quare cogitur quoque seipsum despicere, odisseque suam vilitatem, malitiam infirmitatemque, et fieri pauper spiritu, nihil sibi confidens, nihil tribuens, nihil denique de se præsumens. Deinde cogitur, quoniam libenter Christum vellet sequi, quod est ejusdem vitæ virtutes imitari, veluti mendicus ad Christum clamare, sese accusare, veniam de male actis petere, auxilium gratiæ divinæ invocare, atque quotidie ad illius fores pulsando eidem importunus fieri. Cogitur postremo, quamvis revera in sui tunc cognitione proficiat, sibi in oculis suis videri vilis ac quotidie deterior : non propterea quod seipso deterior fiat, sed quod defectus suos, quos aliquando non viderat, jam videns quotidie videat clarius : quamobrem non progredi, sed deficere, licet proficiat, sibi videtur. Hoc enim exercitio, dum clarius se in dies agnoscit, in oculis suis semper decrescit, semperque infirmior ac vilior sibi videbitur. Inde accedit alia quoque utilitas, quod homo se ita videns infirmum, vilem, malum, atque ad malum adeo proclivem, horrebit proximum judicare, patienterque illius feret onera, quandoquidem suis premi oneribus sentit quoque alios. Efficitur igitur humilis ac mitis : et quia suam intuetur miseriam, cogitur desideriis, ut dixi, continuis clamare ad Deum pro ejus misericordia, pro sui liberatione, protectione custodiaque, pro virtute item, pro ope et gratia ejusdem, pro Spiritus Sancti illuminatione, directione quoque sui.

Assuescit nihilo secius interea dum est inter colloquendum cum Deo, pro alienis causis rogare, puta, afflictorum, sese commendantium atque defunctorum. Omnibus enim volens et nulli potens succurrere, cogitur confugere pro auxilio ad eum, qui omnia vult et potest. Quis autem hic est, aut ad quem est alium refugium, spes exspectatioque nostra, præterquam ad amatorem, salvatorem ac benefactorem nostrum, Dominum nostrum Jesum Christum? Tunc autem ad illum clamamus, quando inopiam, infirmitatem, corruptionem atque miseriam nostram intelligentes, ad eumdem pro auxilio, quod inde nobis advocandum est, suspiramus. Tunc clamamus, inquam, quando ignitis flammigerisque desideriis, mentalibus quoque orationibus a Deo salutaria postulamus. Huic certe negotio sancto vehementer conducit, assueta habere exercitia, quibus mentem suam discat homo elevare in Deum.

Digitized by Google

Omnino enim est necessarium homini cupienti sequi Christum, atque quæ spiritus sunt agere conanti, habere exercitia spiritus assumpta atque assueta, quibus se agat, elevet, impellat calefaciatque et moveat in Deum, donec meliora sentiat, dumve ad alia potiora uberioraque a Domino trahatur. Ad quæ ubi se trahi senserit, non curiositate humana, sed invitatione divina sequi debet, relicto etiam suo antiquo modo, quo se exercere solebat pro illo tempore : eadem alio tempore, quando nihil aliud singulare sentit, resumendo.

Debet autem hoc, quo dixi sequendum esse tractum divinum cuivis sese ad Deum exercenti, fieri non ex inconstantia, mutabilitate, levitate aut fastidio meditationum solitarum, sed ex obedientia spiritus, qui sentiens alio se a Domino trahi, sua interim, hoc est, ea quæ sibi paraverat exercitia, et quæ ex propria electione sibi usurpaverat, quantumlibet bona, tunc per sui abnegationem relinquat,et tractum divinum sequatur. Porro inter exercitia spiritus, quia dixi necessarium fore cuivis devoto habere vel unum certum exercitium, quo se discutiat, se arguat, se admoneat, quo etiam proponat observanda, destituatque respuenda, magis expedit habere hujusmodi quid quo se colligat, quo sumat occasionem gemendi, postulandi, Deo gratias agendi, pro multis item aliis eidem supplicandi : cujusmodi est exercitium meditationis vitæ ac Passionis Christi, ubi ad hæc omnia uberrima invenitur materia occasioque seipsum exercendi. Quod si neque hoc, neque aliud certum habuerit, quotidie ipse sua mutabit exercitia, et hodie quidem hoc, cras illi aliud placebit. Hodie orabit ore, cras leget, postridie volet meditari, mutans quotidie et exercitia et suum propositum, donec tandem cunctis in fastidium versis, neque hoc neque illud frequentet. Exercitium igitur in vita et Passione Domini nostri Jesu Christi, cum scirem illud maxime omnium salutare, super hac collegi olim aliquot mihi meditationes,quas comprehendens tandem strictius, ad numerum centum et quinquaginta coegi. Hæ ubi a studioso devotionis in usum fuerint receptæ, mens ipsa quæ multo plura potest complecti, quam os loqui, utpote celerius cuncta pervolitans penetransque, varios mox recipiet affectus erga Deum, puta gratiarum actionis, admirationis, orationis ac laudis, effundetque se variis modis erga Deum per sui resignationem ac oblationem ad illius honorem.

Proinde singulis meditationibus singulas quoque addidi aspirationes oratiunculasve ignitas, quæ tametsi legi possint ore, spiritu tamen et mente utilius multo funduntur. Possent item Salutationes adhiberi angelicæ singulis meditationibus, et sub numero trium rosariorum, hoc est, centum et quinquaginta meditationum articulorumve ita frequentari, ut ubi hodie meditans suum intermiserit exercitium,ibi cras continuaturus illud incipiat. Quod vero Christi vitam meditaturo aliquot meditationes, præcipue circa

Digitized by Google

initium, de beatissima Virgine ejus Matre occurrunt, nihil mirum videatur, quandoquidem Christi meditaturus tam vitam quam Passionem, non potest ejusdem Matris præterire memoriam. Sunt enim quædam in Christi vita, quæ meditata magnopere ad cognitionem juvant ducuntque Matris, ejusque nobis honorem commonstrant; idipsumque e diverso, adeo ut præstantiam excellentiasque Virginis cogitare, non aliud quam beneficia sit Christi meditari. Qomodo enim non merito dignissimam suam fecerit Matrem Christus virtutibus conspicuam, sanctitatis exemplar, cunctisque imitabilem? Aut quomodo gratiis innumeris totidemque donis aliis ac virtutum muneribus non repleverit vas illud, quod se, hoc est, quod Deum esset concepturum et pariturum? Itaque decebat eam magnificari singularibus gratiis, excellentissimisque donis impleri, quæ singularis unaque ex omnibus electa a Spiritu Sancto præparabatur, ut idonea ad grande illud nostræ redemptionis ministerium foret: ita non congruere videbatur ejus silentio præterire vitam, quandoquidem, ut dixi, ejus vitam meditari, Christi est misericordiam, munificentiam gloriamque et nostri redemptionem recolere. Cæterum, qui apponuntur versus, propter ordinem servandum, ut memoriam juvent, inventi sunt, licet vel ii soli probe intellecti, ei qui paululum in meditationibus fuerit assuetus, nobilissimum præbeant exercitium, quod infra monstrabitur, mentale.

Digitized by Google

IN VITAM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI

EJUSQUE SACRATISSIMÆ MATRIS VIRGINIS MARIÆ

THEORIÆ CENTUM ET QUINQUAGINTA

EX SACRIS BIBLIIS APTISSIME CONCINNATÆ

CUM ALIIS NONNULLIS ANIMUM AD DEI PROXIMIQUE DILECTIONEM

VEHEMENTER STIMULANTIBUS

QUINQUAGENA PRIMA THEORIARUM

IN TEMPORALEM ORTUM, PROCESSUM ET CONVERSATIONEM D. N. JESU CHRISTI BEATISSIMÆQUE MATRIS EJUS.

THEORIA PRIMA.

Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum. Genesis I, 27.

Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Sapientiæ II, 23.

Qui vivit in æternum, creavit omnia simul. Ecclesiastici XVIII, 1.

1. Cuncta creat.

O SUMME et excellentissime Deus, quid ego pauperrimus et vilissimus peccator tibi, pro immensis beneficiis et donis tuis, citra meritum, imo et contra demerita mea mihi exhibitis, quid pro charitate tua gratuita tibi exhibeam? qui rationalem creaturam ex nihilo me fecisti, mundum et omnem ornatum ejus propter me creasti, Angelos mihi custodes constituisti, per Unigeniti tui mortem, a morte me redemisti, ad fidem me vocasti salvificam, permulto tempore gravissimis criminibus oppressum non damnasti, obstinatum denique multipliciter ad pœnitentiam reduxisti, dans locum, tempus, statum bene vivendi talem ac tantum, emendandi quoque voluntatem infundens, a peccatis liberans, et a periculosis tentationibus præservans, animæ et corpori quietem et consolationem providisti : postremo, si fidelis fuero, ad quod ipse juvas, te quoque, qui es vita æterna, promisisti.

Pro gratitudine divinoque amore, precatio.

EIA, Creator benignissime, adoro, laudo et benedico te pro his et aliis omnibus infinitis beneficiis tuis : atque utinam tantæ charitati me efficias gratum. Utinam durum cor meum his insigniis amoris emolliatur. O utinam, dulcis Jesu, ad tui amorem accendar : utinam tui amore inexstinguibiliter ardeam : utinam omnibus creaturis vale faciens, tibi soli inhæream. In nulla creatura aliud intelligam, aliud quæram, aliud intendam, aliud inveniam præterquam te. Omnia te mihi prædicent,

Digitized by Google

omnia te mihi insinuent, omnia me in tui cognitionem rapiant, omnia me in tui accendant amorem. Te solum cupiam, te solum sentiam. Quidquid videro, quidquid audiero, quidquid sensero, tu solus intres et possideas cor meum, vereque sis mihi omnia in omnibus. Amen.

THEORIA SECUNDA.

Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Lucæ X, 13.

Ejecitque Adam et Evam de paradiso, et collocavit ante eum flammeum gladium ad custodiendam viam ligni vitæ. Genesis III, 23.

2. Vindex. OMNIPOTENS æterne Deus, colende, metuende, tremende, quam investigabiles justitiæ tuæ, quam profunda sunt judicia sapientiæ tuæ, qui neque Angelis, neque hominibus pepercisti transgressoribus, sed illos e cœlo, hos e paradiso superbientes et inobedientes vindex æquissimus ejecisti.

Pro sui illuminatione, precatio.

ILLUSTRA cor meum, o æterna Sapientia, splendore luminis tui. Circumdet me lux gratiæ tuæ, qua videam, cognoscam et odiam vilitatem propriam, miseriam, ingratitudinem, infidelitatem et omnem immunditiam meam : ut nihil in meipso, in te autem omnia sperem : de mea impossibilitate et nihileitate desperem, in tua bonitate plenissime confidam, mihi perfecte displiceam, tibi perfecte et summe placeam, Salvator et Redemptor meus, Domine Jesu Christe. Amen.

THEORIA TERTIA.

Pulcherrima feminarum eligitur ei. Judicum V, 30.

Elegit eam in habitationem sibi. Psalmo CXXXI, 13.

3. Statuit. BENEDICO te, Creator omnium, piissime Domine Deus meus, benedico te, qui ab æterno Virginem nobilissimam et tibi gratissimam elegisti, instituens ex ea carnem assumere, nasci et pro salute nostra mori. Sed et tu, o Virgo, in æternum sis benedicta. O excellentissima omnium creaturarum, ante secula præordinata, in qua nostræ redemptionis mysterium ageretur, quæ Mater fieres Creatoris, inter Christum et nos mediatrix, porta cœli, janua paradisi, portus naufragantis seculi, stella maris præclarissima, exordium vitæ, introitus gratiæ, Mater totius misericordiæ, Deo acceptissima et universo mundo necessaria.

Pro spirituali adoptione, precatio.

IMPETRA mihi veniam peccatorum meorum, et ut sim de numero electorum, Filium tuum teque ferventissime diligentium. Atque utinam tuis meritis ac precibus dignus efficiar adoptione filiorum electorum Dei. Amen.

THEORIA QUARTA.

Hortus conclusus es, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Canticorum IV, 12.

4. Signata. QUANTA est benignitatis tuæ, o Deus clementissime, magnitudo, qui mundo volens misereri, hunc diu ante ad suæ liberationis spem et tuæ Incarnationis fidem excitasti, per signa et figuras varias ipsum erudiens, et præclaræ hujus Virginis Matris tuæ futuræ vitam sanctimoniamque præmonstrans. Quare et tu, o felicissima ac beatissima Virgo, nunc salve, quæ signis es variis et figuris mundo ostensa: Scala Jacob cœlos attingens, Rubus ardens et ardorem nesciens, Aaron virga florida, Propitiatorium et Dei arca, Vellus Gedeonis, Templum veri Salomonis, Stirps et radix Jesse, Ezechielis porta clausa, Hortus conclusus, Fons signatus. Tanta est excellentia tua, tanta dignitatis tuæ prærogativa, ut vel innumera figurarum

Digitized by Google

mysteria non sufficiant mundo tuam ostendere sanctitatem.

Pro Dei Matris amore, precatio.

DIGNARE me, quæso, o desiderabilissima Domina, in servulum acceptare, in filium adoptare, assumere in tui amatorem castissimum, et in veneratorem devotissimum. Fac me, quæso, o amabilissima, de eorum numero, quos pectori tuo virgineo inscriptos tibi familiarissime signasti. O dulcis et delectabilis, vulnera cor meum tui amore, ut totus tua pulchritudine attrahar, tuo decore illiciar, tua pietate capiar, tua dulcedine absorbear, tui amore ardeam et langueam. Amen.

THEORIA QUINTA.

Exiet virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Isaiæ XI, 1.

5. Prophetis. DEBETUR tibi ab omni creatura, o Deus misericordissime, laus et gratiarum actio, non minor quam immensa et sempiterna, pro consolatione qua tuos in hoc mundo confortasti : qui non solum per ænigmata figurarum, sed etiam per Prophetarum oracula, quibus Spiritum tuum infudisti, tuam Incarnationem credibilem nimis fecisti, tuum adventum in dies clarius prænuntians, donec tandem Joachim et Annæ avis tuis sanctis, sanctoque conjugio utentibus, prolem virgineam, ex qua salus nasceretur omnium, promitteres.

Gaude igitur et tu, o felicissima Virgo, quæ vaticiniis Prophetarum gloriose commendata, seculis promissa, mundo desiderata, parentibus sanctis cœlitus prænuntiaris nascitura, post Christum hortus deliciarum, fons indeficiens sitientium animarum, æstuantium refrigerium, desolatorum solatium, laborantium sublevatrix, et clamantium ad te singularissima adjutrix. Tu sola digna es, ut per te Deus pacem suam terris infundat, ima summis conciliet, humanum genus redimat, vinctos ex inferni claustris reducat, reseret januam cœli, angelicam ruinam reparet. O benedicta Regis æterni filia, omnibus desideratissima, tu nobis promissa et data es, ut sis tenebroso mundo solaris radius, quo corda nostra illuminationem accipiant, ut sis velut canalis seu aquæductus, quo totus mundus gratiæ divinæ fluenta hauriat.

Pro devotione ad Dei Matrem, precatio.

EIA, placeat tibi, o unica post Christum suavissima consolatio peccatricis animæ meæ : eia, placeat tibi, et fac ut totus fiam tuus, et tu tota mea post Deum unica spes nobis promissa, dulcedo et delectatio desideratissima. Amen.

THEORIA SEXTA.

Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram. Proverbiorum VIII, 24.

6. Concipitur. O VIRGO ab initio et ante secula creata, in Deo ab æterno præparata, a parentibus vero sanctis, solo timore Dei et propter obedientiam convenientibus, in tempore sanctissima es concepta. O præclara puella ac lucidissima creatura, a Sole justitiæ de te progressuro matutina quadam irradiatione præventa. Qui enim fabricatus est auroram et solem, te multo puriorem fabricavit suam Matrem. Talem te condidit in tempore, qualem te elegit et habere voluit in sua æternitate : quia in te et ex te statuit assumere, quod sibi perpetuo unitum foret in unitate personæ, de quo exiret pretium redemptionis, justificationis et beatificationis humanæ.

Pro Dei Matris amore et laude, precatio.

O CANDIDA, o rubicunda, o electa ex millibus, imo post Deum electissima ex omnibus, quæso, ne despicias me sordidum, vilem ac miserrimum, in peccato conceptum et enutritum, dum adhuc infantula es, dum

Digitized by Google

in utero es: te desidero, te amare concupisco, gratiam tuam ambio, me tibi commendo et dono : fac sim tuus et talis, cujusmodi tu in oculis Dei esse voluisti, et qualem me esse velis, aut esse debeo, imo cujusmodi tibi placerem maxime. O dulcis, generosa et præelecta puella, sacrosancta Virgo Maria, respice et suscipe me tibi donatum. Amen.

THEORIA SEPTIMA.

Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. Canticorum IV, 7.

7. Sine væ. O EXCELLENTISSIMÆ puritatis Virgo, Christo præ omnibus vicina, sola inter omnes immaculata, sola omnium ab omni peccato præservata. O flos pulcherrime, o lilium candidissimum, in conspectu summæ Trinitatis nitidum. Tota enim tu pulchra es, o beatissima, templum Spiritus Sancti, thalamus Filii Dei, Patris triclinium, sanctæ Trinitatis palatium, quam sibi præparavit, ædificavit et consecravit Altissimus.

Christe Jesu Fili Dei, sis in æternum benedictus. Laus, honor et gloria sit tibi ab omni creatura, pro singulari et inenarrabili dono, quo Matrem tuam dignissimam honorans prævenisti, benedixisti, et omnibus creaturis puriorem splendidioremque fecisti. Ecce adoro, laudo benedicoque te, et ex affectu universæ creaturæ millies infinitiesque tibi gratias ago, qui mundo sidus hoc pulcherrimum et antelucanum donasti. Decebat ut purissimam inhabitares domum, qui mundum volebas purificare universum.

Pro Dei Matris devotione et amore, precatio.

EIA, dulcissime Jesu, animarum amator es, et nihil nobis tam salubre negans. Da mihi xenium illud inter omnes creaturas nobilissimum, tibi placentissimum, mortalibus desideratissimum, post te solatium atque gaudium nostrum unicum atque præcipuum. Da mihi puellam hanc ante mundi constitutionem tibi electam. Nec sinas ut ab hac gratia, seu vilitas, seu pravitas propria me excludat. Non impediant me peccata mea, quin potius tu aufer a me iniquitates meas. Aufer ab anima mea omnes sordes, et quidquid oculis hujus beatissimæ Virginis non congruit. Jube ei ut consentiat me recipere in servulum, in filium, in alumnum, in sui amatorem, ut ipsa vult, castissimum, ferventissimum ac fidelissimum. Zeletur ipsa pro me, zeletur pro te, ut per eam totum tu possideas me, nec uspiam pateat mihi locus recedendi a te

THEORIA OCTAVA.

Ego Mater pulchræ dilectionis, in me gratia omnis viæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis. Ecclesiastici XXIV, 24.

8. Completur. GAUDE nunc, o sanctissima Virgo futura Dei Genitrix, quia is qui te sibi in Matrem elegit, omnium gratiarum plenitudine te superfudit, omni virtutum varietate atque perfectione decoravit, adeoque multiplici te exornavit donorum suorum tam decore quam excellentia, ut quidquid cæteris Sanctis per partes foret daturus, totum simul tibi et excellentius infunderétur. Neque enim hoc tantum tuus Conditor voluit, ut ab infantia esses omnifaria gratia et sanctitate plena, verum etiam ut tua hæc plenitudo in omnes nos exuberaret. Tibi namque nullum defuit bonum, cujus pura creatura in statu viæ capax fuit, aut esse potuit.

Pro castitate mentis et corporis, precatio.

NUNC igitur ego miser peccator et indignus servulus tuus, te Virginem intemeratam, Dei Matrem, Patronam et Dominam meam fidelissimam, ex intimis cordis mei desideriis laudare, et in auxilium meum invocare cupiens, precor in sanctissimi nominis tui præconium, et deficientis ani-

Digitized by Google

mæ meæ salutem, ut reminisci digneris omnium donorum, gratiarum, privilegiorum, charismatum et gaudiorum, quibus misericors Deus te in ortu et decursu illustrissimæ vitæ tuæ, secundum omnes status, tam excellenter dotavit, lætificavit et decoravit, ut impetres mihi a Filio tuo munditiam cordis et castitatem corporis. Nihil in me resideat, quod oculis Omnipotentis et cuncta cernentis displiceat. Scis, pia Mater, quantis vitiorum sordibus inquinatus sum, quam pravis affectionibus et concupiscentiis infectus. O si aliquando implear divina gratia, quæ hæc omnia in me occidat ! O dulcissima spes miserorum, ab his quando respirabo ? O candidissima columba, quando ad veram puritatem et simplicitatem cordis perveniam? O utinam aliquando fiat, ut totus Deo meo placeam, et deinceps nunquam displiceam. Heu, piissime Jesu, complaceat tibi ut eruas me, Domine Deus meus, propter sanctitatem Matris tuæ, ad adjuvandum me respice. Dic animæ meæ : Salus tua ego sum. Amen.

THEORIA NONA.

Judæis lux nova oriri visa est, gaudium, honor et tripudium apud omnes populos, urbes et provincias. Esther VIII, 16.

Quæ est ista quæ ascendit quasi aurora consurgens, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata ? Canticorum VI, 3.

Quod Eva tristis abstulit, tu reddis almo germine.

Intrent ut astra flebiles, cœli fenestra facta es.

9. Nata. Ab æterno et in æternum benedicta sit, o nobilissima Virginum, Nativitas tua, optata seculis, exspectata gentibus, jucundissima omnibus : in qua nova lux mundo oriri visa est, gaudium et tripudium universis terris. Hæc est illa Nativitas, quæ gaudium Angelis, Deo gloriam, universoque mundo lætitiam dedit et benedictionem. Transierant multa secula, quibus damnationis grassabatur immanitas in filios hominum, semperque in deterius roborabatur, nec in massa universæ carnis viam sapientia summa invenit, qua tam luctuosæ perditioni, ut statuerat, subveniret, donec ad te, o felicissima ac electissima, quam laudare gestit anima mea, ventum est.

Quæ mox, ut in mundum per humanæ generationis lineam venisti, tanta mox omnis boni copia, tanta virtutum varietate tantaque constantia per ipsum ornata resplenduisti, ut per te summa Sapientia, non solum primorum hominum peccata delere, verum etiam nostra propitiari, inimicum sui operis diabolum elidere, cœlestis patriæ damna redintegrare, hominem e paradiso terrestri ejectum, in cœlestem reducere disponeret. Benedictum sit igitur tuæ Nativitatis exordium, quo simul nostræ captivitatis liberatio, habuit ortum. Benedictus Deus Pater, qui te nobis destinavit. Benedictus Dei Filius, qui te sibi in Matrem adoptavit. Benedictus sit Spiritus Sanctus, qui te sanctificavit. Benedictus sit parens uterque, qui te mundo in salutem generavit. Eia ergo tu omnium creaturarum dignissima, salve, quæ progrederis velut aurora consurgens, electa ut sol, terribilis potestatibus tenebrarum, ut castrorum acies ordinata. Nobis denique omnibus, ut stella matutina rutilans, et diem salutis prænuntians, desideratissima advenisti. Salve, o benedicta, exspectata et millies optata Patribus, salve.

Pro nativitate spirituali, precatio.

Dignare me in obsequium tuum assumere, o infantula felicissima. Impetra mihi talem puritatem et sanctimoniam, ut dignus fiam Matris Dei mei futuræ esse bajulus. Neque enim nisi casta vis habere servitia, et ego immundus sum. Sed per te, quæso, o gratiosa, inveniam gratiam in oculis Dei, ut sua pietate præveniat me, tecumque me renasci faciat, et me

Digitized by Google

tibi, teque mihi donet : quam per imitationem virtutum, et amorem castissimum in corde meo, velut in cunis jacentem, ubique et semper portem dulciter, simque servulus et bajulus tuus sempiternus. Sentiam quoque in me nunc, quod de te prædicatur, nempe miserationem tecum crevisse ab infantia. Amen.

THEORIA DECIMA.

Erat puella decora nimis, virgoque pulcherrima, et incognita viro. Genesis XXIV, 16.

Erat pulchra nimis, et decora facie. Esther II, 7.

Quam pulchra es et quam decora, charissima in deliciis. Canticorum VII, 6.

10. Venusta. O VIRGO Deo et hominibus gratissima, nobis feliciter exhibita, quam nascituram priores desideraverunt Patres et Prophetæ, beati oculi qui te viderunt, utpote puellam speciosissimam, et omnium oculis gratiosam, quam jure Dei Filius Altissimi adamaret, cujus speciem et decorem speciosus præ filiis hominum concupisceret. O pulcherrima mulierum, quæ formam vincis omnium illustrium ! O Virgo singulariter mirabilis et mirabiliter singularis ! O quam pulchra es, Imperatrix cœlorum, quam scrutator renum probat, quam inspector cordium laudat, quam diligit auctor pulchritudinis, cui testimonium perhibet Magister veritatis, cujus decorem mirantur Angeli, cujus pulchritudinem venerantur Sancti, cujus gloriam et benedictionem devoti contemplantur, ante cujus conspectum humana mens lætatur, ante quam Satan fugit et infernus contremiscit. Pulchra es, o Domina mea, et macula non est in te.

Pro venustate animæ, precatio.

IMPETRA mihi a Filio tuo animæ pulchritudinem, conscientiæ puritatem, ut illi placeam, qui me creavit, et nihil mihi extra illum placeat. Ipse solus mihi sit omnia in omnibus.

THEORIA UNDECIMA.

Et fecerat rex Salomon de lignis thyinis gradus in domo Domini. II. Paralipomenon IX, 11.

Hos gradus Maria sola scandit, nec quærens suffragium.

Quæ et quanta sit futura, bonum dans indicium.

Et adduxerunt eam ut præsentarent ante conspectum Domini in templum, et maneret ibi, sicut dictum est de Samuele propheta.

Offerentur virgines post eam, proximæ ejus adducentur in templum regi Domino. Psalmo XLIV, 15.

11. In templum. O PUELLA pulcherrima, o Virgo immaculatissima, quæ a parentibus in templum oblata, Domino consecraris. Quis digne queat æstimare, quanta devotione temetipsam tunc Deo obtuleris, quanta humilitate commendaveris. O quantum hæc tuæ sanctissimæ ac gratissimæ servitutis professio Deo placuit ! O quam odorifera hæc oblatio in conspectu Dei summi fuit ! Nimirum redolens præ omnibus sacrificiis et holocaustis ab initio mundi oblatis. O quæ mox cœlitus recepisti ! Quas gratias, illustrationes supernas, sublimes contemplationum excessus, spirituale sabbatum, divinæ dulcedinis gustum, Angelorum familiare ministerium, et conscientiæ puræ, tanquam paradisi, gaudium.

Pro sui abnegatione perfecta, precatio.

IMPETRA mihi, o Virgo beatissima, professionis meæ oblationem in dies devotius renovare, fidelius exequi consummareque felicius. Ecce me denuo Filio tuo per te, o benedicta Mater, offero, iterum atque iterum me illi commendo, illi me soli dedicare totis viribus cupio. Eia igitur et tu, dulcis Jesu, ob hujus felicissimæ Virginis merita, da mihi veram, plenam, perfectis-

Digitized by Google

simamque meiipsius abnegationem, ut meipsum omnino relinquens, in te projiciam, me totum exiens tibi resignem in omnibus, adeo ut in me jam non sit velle aut nolle aliud quam tuum : imo, ut jam non solum in templo sim oblatus tibi, verum etiam ipse quod inhabites efficiar templum. Amen.

THEORIA DUODECIMA.

Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum. Ecclesiastici XXIV, 27.

12. Dulcis. Recolo nunc, o reverendissima Virgo, atque votis omnibus laudo et benedico conversationem tuam in templo mundissimam, sanctissimam, et vere plus quam angelicam : qua humillima tu et piissima, mitissima quoque et dulcissima ad omnes homines, plena eras gratiarum. Ubi nemo fuit qui te non amaret, nemo qui non suspiceret, nemo qui non veneraretur, nemo qui ex te non consolaretur. Tantum abfuit, ut quis ex te tristitiam potuisset habere aut tædium. Quod enim solis claritas est mundo, hoc omnibus tu eras vitam agentibus in templo.

Pro vitæ Dei Matris imitatione, precatio.

Christe Jesu dulcissime, hujus nobilem ac dulcem conversationem pro meæ impietatis expiatione, tuis virtutibus ac meritis uniens, eadem simul omnia tibi per suavissimum Cor tuum offero : et ut me Virginis hujus castissimum amatorem fidelissimumque imitatorem efficias, per omnes miserationes tuas obsecro. Amen.

THEORIA TERTIA DECIMA.

Una est columba mea, perfecta mea. Canticorum VI, 8.

13. Fulgens. Iterum benedico te, quam toto corde diligere cupio, o dulce refrigerium, æstuantis animæ consolatio, o gaudium, o Virgo amabilissima, desiderabilissima et suavissima. Beati qui desiderant te, beati qui inveniunt te. Siquidem omnium virtutum varietate, morum omnium honestate, excellentissima charitate, atque totius sanctitatis perfectione, non solum inter homines es singularis, verum etiam angelicis spiritibus præfulges puritate mirabilis. Et quamvis omnis vitæ tuæ decursus ab exordio usque ad finem fuerit innocentissimus, quippe quæ Deo nunquam displicuisti, ab infantia tamen Deum filialiter ac reverentialiter timebas, contemplatione purissima fideliter eidem inhærens, ac dulcedine ejus castissima fruens, corpus quoque virgineum, utpote futurum Dei thalamum, Angelorum ministerio reficiens. Inveniebaris in templo omnibus in vigiliis prior, in sapientia legis eruditior, in humilitate humilior, in charitate ferventior, in puritate mundior, et in omni virtute perfectior.

Pro custodia Dei Matris, precatio.

Tibi igitur, o prudentissima moderatrix, corpus meum, animam, vires, et quidquid sum aut possum commendo et prorsus resigno, orans te per mansuetudinem Cordis tui, per Jesum Christum Filium tuum, et per omnes gratias, quibus te Deus mirabiliter replevit, ut me in tuam curam suscipias, me custodias, regas et dirigas, sicut custodisti atque rexisti corpus tuum virgineum et animam tuam sanctissimam, ad omnem virtutem, in laudem, beneplacitum et gloriam omnipotentis Dei, præservans et liberans me ab omni peccato, et perficiens omni bono. Amen.

THEORIA QUARTA DECIMA.

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? (id est, non cognoscere propono.) Lucæ I, 34.

14. Vovet. O Virgo amabilissima et pudicissima, gaude, quod tu omnium virginum primi-

Digitized by Google

ceria, castitatis regina, Deo te consecrans, perpetuæ virginitatis votum obtulisti : vel in hoc te cunctis constituens et exemplar virginitatis, et speculum sanctitatis. O quam odorifera hæc virginalis castitas pudicissimi corporis, simul ac purissimi Cordis tui in oculis Dei placuit ! Quæ certe fuit tanta, ut non solum profunda cordium te aspicientium aut tecum conversantium irradians penetraret, castioraque redderet : verum etiam te, licet virginem speciosissimam, prorsus omnibus redderet inconcupiscibilem.

Pro castitate, precatio.

Per hanc virginitatis tuæ gloriam, obsecro te, o Virgo singularissima, impetra mihi perfectam cordis et corporis castitatem, ut in cor meum nihil suscipiam immundum, nihil teneam vitiosum, super nulla tentatione quiescam : quin potius castissima mentis puritate etiam omnia creata transiens, in solo Conditore requiescam. O utinam tuis meritis, o candidissima columba, mihi donetur suprema illa castitas atque puritas mentis, qua Deum meum solum pure ac simpliciter in omnibus quæram, ipsius solius honorem et beneplacitum intendam, propter ipsum cuncta faciam, omniaque in ipsum referam, ut ipse sit mihi omnia in omnibus. O Virgo optima et dulcissima, utinam in hac vita adhuc constitutus, hunc statum mentis, quo mihi Deus sit omnia in omnibus, quantocius per te obtineam a Filio : quandoquidem tibi oranti ille nihil negans te honorat, Domina mea sancta Maria. Amen.

THEORIA QUINTA DECIMA.

Gaudebit sponsus super sponsam, et gaudebit super te Deus tuus. Isaiæ LXII, 5.

Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est : pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Matthæi I, 20, 21.

O Virgo integerrima et in æternum benedicta, quæ virgini sanctissimo et justo Joseph desponsaris, gaude quoniam candido flori, lilium tu candidius, imo candidissimum sociaris, ut habeas qui tibi futuræque proli tuæ sit in obsequium, et integritatis tuæ perpetuæ testimonium, cum sine viro paritura sis Angelorum Regem et Dominum. 15. Nova sponsa.

Pro amoris creaturarum suffocatione, precatio.

O utinam amorem omnem a Deo alienum, utinam omnem amorem inordinatum, et omnes affectiones vitiosas ac creaturales, castissimus, ferventissimusque Dei amor in me occidat, meque totum sibi Deus inseparabiliter possideat, et in beneplacitum suum convertat, quo anima mea illi sponsa efficiatur fidelissima. Hoc tuis precibus mihi impetra, Domina mea, dulcissima Virgo Maria. Amen.

THEORIA SEXTA DECIMA.

Orabat illa Dominum Deum Israel, ut aspiceret afflictionem populi sui. Judith IX.

Benedicta sis a Domino, Virgo Deo devotissima Maria, pro continuis suspiriis et ferventissimis orationibus tuis, quæ ingenti charitate pro humani generis reparatione indesinenter Domino obtulisti. Siquidem Patribus pro eadem te supra quinque millia annorum clamantibus, necdum exauditis, oratio tua propter innocentissimam excellentissimamque Cordis tui puritatem, propter humilitatem Deo acceptissimam, propter charitatem denique æstuantissimam cœlos penetrabat, et iram Dei placans atque adeo ipsum alliciens, gratiam et salutem omnibus impetravit. 16. Orat.

Pro proximorum charitate, precatio.

Impetra et mihi, o reverendissima Mater, perfectam charitatem, qua necessitatibus omnium atque defectibus condoleam,

Digitized by Google

omnium salutem atque profectum ardentissimo desiderio sitiam, orando et laborando curem, de omnium consolatione gaudeam, nec meipsum, sed in omnibus Deum quæram.

THEORIA SEPTIMA DECIMA

Ingressus Angelus ad eam dixit : Ave, gratia plena, Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur. Lucæ I, 28, 31, 32.

17. Ave. O PIISSIMA, o felicissima, o dulcissima Virgo Maria, Dei Mater electa, inter hominem et Deum mediatrix benedicta, quæ inter omnes virgines hanc obtinuisti excellentiam, hanc singularitatem, hanc denique præeminentiam, te nimirum, quæ ut Dei fieres Mater, electa eras, fecit dignam, ut pura ab omni peccato, sine macula, et omni gratia plena, universo etiam mundo gratiæ inveneris plenitudinem. O felicem horam, qua summa Dei bonitas recordata misericordiæ suæ, respiciens de sublimi habitatione sua, in hanc vallem plorationis et miseriæ, videnque captivitatem et afflictionem populi sui, tacta est intrinsecus ardore charitatis, cogitans cogitationes pacis, et non afflictionis. Intuens etiam te pulcherrimam filiam et omnium creaturarum singulare miraculum, concupivit te sibi in Matrem, qua suam altitudinem in nostræ mortalitatis ergastulum inclinaret et nostram gustando miseriam, simul damnationem generalem absorberet, atque cœlestis vitæ viam nobis sceleratis, suo vivendi exemplo monstraret. Pro qua re legatum ad te misit, qui sui consilii arcana tibi communicaret. O igitur Virgo singularis, inter omnes benedicta, jam virgineo Cordi tuo memoriam reduco illius felicissimæ horæ, qua te in cubiculo tuo devotissime cum lacrymis orante, subito Angelus e cœlo veniens, excellentissima te veneratione salutavit, et quod te gratiam plenam Deus sibi dignissimam in Matrem elegisset, tuumque ad hoc ipsum consensum expeteret, nuntiavit.

Pro devotione et amore, ad beatam Virginem Mariam precatio.

O UTINAM in gratiam tuam, in amorem tuum, o dulcissima amatrix, me suscipias. O utinam cor meum amoris vulnere perfodias, ut te semper cogitem, te salutem, te diligam, te sequar veneratione devotissima, affectione castissima et imitatione fidelissima. Jesu Christe Fili Dei, per omnes miserationes te obtestor et obsecro, impera Matri tuæ, ut in curam suam et gratiam me suscipiat, me regat et dirigat, charitatem perfectissimam, et quidquid tibi placuerit mihi impetret, mihi se donet, me sibi accipiat, faciatque suis apud te precibus, ut tibi semper placeam : sine væ, hoc est, sine offensione tui vivam, inseparabiliterque tibi inhæream. Amen.

THEORIA OCTAVA DECIMA.

Maria turbata est in sermone Angeli, et cogitabat qualis esset ista salutatio. Lucæ I, 29.

18. Turbatur. ADMONEO te, o Virgo sacratissima, illius profundissimæ humilitatis tuæ, qua ad Angeli salutationem, qua ad laudis tuæ præconium, virginali verecundia fuisti turbata. Gloriosa quidem dicta sunt de te, civitas Dei. Salutaris ab Angelo, gratia plena prædicaris, Mater Dei expeteris, humani generis ad redemptionem cooperatrix adscisceris. At nihil te horum elevat, sed viliter de te sentiens, omnium te adeo arbitraris indignam, ut etiam quod ejusmodi quidpiam de te dicatur, verecundia turberis. O sancta et admiranda humilitas, ad quam se merito inclinat celsitudo cœlestis, quæ cum Deo et cognita et maxime sis accepta, teipsam tantum lates. Sed quid de cæteris virtutibus tuis, o Domina, dicam ? Certatim hæc circa hanc

Digitized by Google

tui salutationem erumpunt, et velis nolis tu, se nobis produnt, te commendant, nosque ad tui venerationem juxta ac imitationem invitant. Parat se fides ad assensum, charitas etiam desiderat ut Mater fias Omnipotentis, et salus, te consentiente, omnibus comparetur. Sed trepidat humilitas, verecundia turbatur, tanto honore indignam, tanto officio imparem se æstimans. Sic pudicitia quoque immarcescibilis virginitatis vigilantissima custos metuit, utpote lilium cœleste, ne candoris aut odoris sui faciat jacturam. Postremo, pro omnibus verbum faciens, prudentia incomparabilis sciscitatur : *Quomodo*, inquiens, *fiet istud, quoniam virum non cognosco ?*

Pro propriæ vilitatis cognitione, precatio.

Eia, beatissima Virgo, desiderabilissima et quam post Deum amare cupit anima mea ; eia, potentissima ad impetrandum, cui nihil negatur : impetra mihi illuminationem cordis mei, ad vere cognoscendam et detestandam omnem pravitatem, vilitatem, et nihileitatem meam : ut ex animo meipsum despiciam, odiam, et ab omnibus despici, confundi, conculcari, et vilissimus reputari cupiam, et absque ulla perturbatione sustineam et diligam. O Mater piissima, impetra mihi profundissimam humilitatem : obsecro te per omnem Cordis tui pietatem, impetra mihi perfectam paupertatem spiritus, qua meipsum, et omnia extra Deum contemnam, illi soli placere cupiam, illi soli placere gestiam. Ah, misericordissime Jesu, audi, quæso, et exaudi me per humilitatem Matris tuæ. Amen.

THEORIA NONA DECIMA.

Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Joannis I, 14.

19. Concipit. Gaude nunc, o beatissima omnium, dulcis, mitis et amabilis. Nihil est quod timeas, nihil unde turberis. Placet Deo tua humilitas, placet verecundia, placent virginitas, prudentia, fides, charitas, placent omnia : nec unquam in te fuit quod displiceret. Progrediatur obedientia ad consensum. Nullius virtutis patieris dispendium : quin etiam sanctitatis gradu excellentiori omnia Deo consecrabuntur. Plura et majora a Deo recipies, tantum abest ut aliquid amittas. Humillima exaltaberis, quod supremæ gloriæ est, in Dei Matrem. Majus aliquid tibi Deus ipse præstare non posset. Verecunda Mater es, sed erit tempus, quando omnibus quoque creaturis Imperatrix constitueris. Pudicitiam quam tantopere observare contendis, Angelica puriorem tenebis, nec tamen fecunditas aberit. Paries enim, at virgo. Nec utcumque, aut vulgariter cujuspiam Mater es futura, sed Altissimi. *Nam quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Spiritus enim Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.*

O felicissima mulierum, o dignissima et ab æterno electa, o piissima et devotissima Virgo, quam ardentissimis illico desideriis hæc audiens, Dei promissa affectabas impleri : quam humillima cordis inclinatione consentiens dicebas : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* O templum Dei sanctissimum, quanta tum exultatio spiritus tui, per omnia etiam corporis membra diffusa est ! O quanta in Deum mens tua dulcedine absorpta est, quando castissimum uteri tui thalamum Deus ipse, qui te creavit, ingressus est ! O quid in Corde tuo sensisti ! O quid in te factum est ! O quam digna subito effecta es, quando intra castissima viscera Deus receptus semetipsum exinaniendo factus homo est ! O sancta et immaculata virginitas, quibus laudibus efferenda sis, nescio : quia quem cœli capere non possunt, tuo nunc continges gremio.

Pro sui in Dei beneplacitum oblatione, precatio.

Domine Deus meus, quid est hoc quod fecisti? Quantum te propter me humiliasti,

Digitized by Google

uterum Virginis ingrediens, et nostram infirmitatem assumens? Quid pro illa charitate tibi rependam, aut quas pro tanto beneficio gratias agam? Eia offero meipsum totum tibi. En omnia corporis mei membra, omnes vires et medullas animæ meæ. Accipe ea, quæso, omnia, et posside juxta beneplacitum tuum. Converte et expende omnia in laudem, in honorem et beneplacitum tuum. Omnia tibi serviant, omnia tibi placeant. Ex omnibus te laudem et magnificem, ex omnibus te diligam, qui es amabilis super omnia, dulcissime Domine Jesu Christe.

THEORIA VIGESIMA.

Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. Ecclesiastici XXIV, 12.

20. Hunc pie gestat.

O BENEDICTA Dei Mater intacta, mediatrix nostra et reconciliatrix post Christum efficacissima. O salutis humanæ exordium, via gratiæ, Mater totius misericordiæ, vas cœlestis gratiæ, radix sancta, ex qua germen vivificum nostræ redemptionis est ortum, Dei templum, et arca in qua divinitas, quæ nullo concluditur loco, ad tempus manet abscondita; clibanus cœlestis, in quo panis Angelorum, panis qui de cœlo descendit, coquitur.

Admoneo te nunc, o benedicta inter mulieres, illius gaudii illiusque consolationis, quibus novem his mensibus exultabat spiritus tuus in Deo salutari tuo, quod sine labore sub virgineo Corde in utero portasti. Admoneo te grandis hujus mysterii divinæ Incarnationis, qua Deus ipse factus est homo. Admoneo te admirabilis fecundationis tuæ, qua tu permanens virgo, facta es mater.

Pro fidelitate et amore ad Dei Matrem, precatio.

PER hæc omnia obsecro te, o suavissima Domina, Virgo singularis, Mater admirabilis, ut mihi peculiariter te dones in Matrem, me adoptes in filium. Omnium es Mater generalis: quippe quæ mundo genuisti vitam et salutem, per quam factum est, ut Christum scilicet Dei Filium in carne vocemus fratrem: sed ego te opto, cupio, et votis omnibus precor, ut eo magis digneris mihi Mater esse singularis, quanto ego cura materna tua magis indignus sum. Suscipias me in amorem tuum et in gratiam tuam: ita mecum agas, talem me facias, qui gratia et amore tuo dignus habear, et qui secundum pudicissimi Cordis tui beneplacitum tibi et Filio tuo sim acceptissimus. O dulcissima Domina, vulnera, accende, reple cor meum amore tui castissimo, ardentissimo, fidelissimo, charitateque perfectissima ad Deum et proximum. Portem te semper in corde meo, simque semper ac indelebiliter scriptus in Corde tuo. Exaudi me, Domina, potes enim hæc: quia quidquid a Filio vis, impetrabis. Amen.

THEORIA VIGESIMA PRIMA.

Exsurgens Maria abiit in montana cum festinatione in civitatem Judæ, et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. Et factum est ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus. Lucæ I, 39-41.

21. Ad montana.

O DEI Mater, Domina mea dulcissima, Virgo Maria, quanta est virginei Cordis tui humilitas, quæ cum Dei esses Mater, quasi teipsam nesciens, non dedignata es teipsam humiliare, ac sterili cognatæ tuæ in ancillam offerre. Siquidem montana transiens festina, utpote quæ in publico esse, aut ab hominibus palam videri horrebas, ad cognatam Elisabeth properasti. Qua per te humillime salutata, mox in ejus utero infans exultavit, et Regi suo, quem tu quoque in utero habebas, honorem deferre gestiens, sese erexit. O Virgo plus quam angelica, in cujus labiis tanta gratia diffusa est, ut ad vocem salutationis tuæ, Joannes in utero sanctificatus,

Digitized by Google

Domini sui et sentiret, et exultando gratularetur adesse adventum : Elisabeth quoque sancta Spiritu Sancto repleretur ac prophetaret, teque ad jubilationis ac gratiarum actionis illud canticum : *Magnificat, etc.* devotissimum invitaret. O quale tunc gaudium fuit in domo Zachariæ, quanta puritas jubilantium, quanta sanctitas commorantium : ubi Prophetæ mater cum Matre Salvatoris, sacra miscent colloquia, ubi major servit minori, ubi tu creaturarum omnium sanctissima gestans illum in utero, quem cœli tremunt et Angeli, quem omnis adorat Potestas, profundissima humilitate ad serviendum seni mulieri te dejiciebas, atque domum hanc, ut orbem solis radius, tua præsentia illustrabas. Sed et hoc, o dignissima feminarum, quanto est præconio extollendum, quod sub Corde tuo novem mensibus intra te Deum portans, miris, ineffabilibus et quotidie novis consolationibus replebaris !

Pro simplicitate et puritate cordis, precatio.

O UTINAM cor mundum et castum, cor purum et simplex a Domino mihi impetres, quod sua Deus gratia impleat, a terrenis ad montana, hoc est, cœlestia sustollat, sibi juxta beneplacitum suum habitationem in illo jugem constituat, meque pro omni voluntate sua in gloriam suam totum et convertat et possideat. Amen.

THEORIA VIGESIMA SECUNDA.

Joseph cum esset vir justus, et nollet eam traducere, cogitavit occulte dimittere eam. Matthæi I, 19.

22. Pavet. O DOMINA reverendissima, Virgo Maria, non sine mœrore, non sine compassione fuit Cor tuum, quod virgineum Joseph sponsum tuum in spiritu cognoscebas anxium et turbatum. Quippe qui uterum tuum videns tumescere, quid cogitaret, quid ageret ignorabat. De pudicissima integritate tua suspicari non sinebat illum perspicua sanctitas tua, conceptum negare prohibebat tumentis uteri imprægnatio manifesta, aliquid inde tibi loqui non sinebat honestissima verecundia tua. Quare, quo se vir justus verteret, quomodo famam tuam non traduceret, item ne quoque erraret, ne illicitum quid tentaret, ne denique aliquid non dissimulandum probaret, in ambiguo habebat. O Virgo admirabilis et prudentissima ! O puella mitis et verecunda, cur non revelas mysterium ? cur a timore non levas castissimum sponsum ? Nempe excusare nolebas, ne te laudares. Nolebas quoque Dei arcanum revelando, auctorem mysterii prævenire. Nolebas etiam antequam a viro esses interrogata, respondere : sicque ideo omne hoc negotium Deo commisisti. Illi, cujus fuerat hoc opus, te excusandam, illi pro te respondendum reliquisti. Ejus in hac re consilium et consolationem in silentio præstolanda decrevisti. Proinde, quia in illum sperasti, quia cogitatum tuum jactasti in illum, ipse te ab omni suspicione exemit, et sanctum Joseph ab omni timore liberavit. Nam per Angelum divinitus de hoc mysterio edoctus, tametsi tuo se consortio indignum propterea intelligeret, ne tamen te desereret jam prohibitus, et humillima tibi et officiosissima sedulitate servivit, et castissima te devotione dilexit.

Pro sui relictione et in Deum confidentia, precatio.

IMPETRA mihi, o benedicta Mater misericordiæ, ut in omni ambiguitate, in omni adversitate ac pavore me Deo offeram et relinquam, omnem cogitatum meum in illum projiciam, fide constantissima atque perfectissima illi confidentia innitens me credam : meque ejus providentiæ et voluntati funditus subjiciam, et in silentio ejus beneplacitum exspectans, cum omni gratiarum actione et laude, quidquid super me venire promiserit, illud de manu ejus suscipiam. Amen.

Digitized by Google

THEORIA VIGESIMA TERTIA.

Ascendit Joseph in Judæam cum Maria uxore sua prægnante. Lucæ. II, 4.

23. Peregrina. O VIRGO omnium excellentissima, o puella omnium speciosissima, o Mater omnium dignissima, *Exiit edictum a Cæsare Augusto ut describeretur universus orbis,* quando tu sub Corde tuo portabas eum, a quo conditus est orbis. Itaque hunc gestans in utero, ut humano imperio tu, mundi Domina cœlique Regina, obedientissima pareres, cum sancto Joseph sponso tuo puella pudicissima atque tenerrima, in Bethleem peregrina venisti. Ubi cum non invenires hospitium pro te, erant enim omnia mundanis et hominibus et rebus occupata, nec eum, quem tu gestabas in utero, capere poterant, tanquam exul et a mundo aliena cum immaculato sponso tuo in stabulum, et juxta præsepe futura Deipara, divertisti.

Pro spiritus paupertate, precatio.

PRO hac obedientia tua, pro peregrinatione tua laboriosa, pro singulis passibus pedum ac gressuum tuorum, pro paupertate et loci vilitate, o benedicta inter omnes mulieres, Deum tuum laudo, benedico, adoro, atque illi gratias ago. A quo ut mihi impetres per mysterium Incarnationis ejus, obsecro veram mihi dari perfectissimamque paupertatem spiritus, ut quam nihil sum, nihil habeo, nihil possum, vere cognoscam : semperque meam vilitatem attendam, ut peregrinus hic nihil de hoc mundo appetam, nec extra Deum meum sit, in quo consoler aut quiescam. Amen.

THEORIA VIGESIMA QUARTA.

Completi sunt dies Mariæ, et peperit Filium suum primogenitum. Lucæ II, 7.

24. Parit. O VIRGO sublimis et nimium venerabilis, admoneo te nunc noctis illius sanctissimæ, claro tunc lumine coruscantis, qua tu Virgo candida, lumen æternum genuisti, habens gaudium Matris cum honore virginitatis. Recordare nunc, quæso, illius horæ illiusque gaudii, quod habuisti tunc, quando Dei Filius in te homo factus, de virginali utero tuo, tanquam sponsus de thalamo, processit : quando tu mundi enixa es Salvatorem, quando vere facta es Dei Genitrix, quando sine dolore facta es puerpera, quando denique eum te vidisti habere Filium, quem habueras Creatorem. O dignissima Dei Mater, quid in illo partu gaudii, quid exultationis tota in Deum absorpta sensisti, quando subito parvulum, Dei Filium, gratia et veritate plenum, ex te editum, ante te jacere vidisti?

Pro vitæ novitate, puritate, innocentia et simplicitate, precatio.

OH utinam hæc Nativitas tam mea quam totius mundi omnia nunc peccata deleat. Utinam me spiritu renasci, et quasi modo genitum infantem fieri, in novitateque vitæ, in innocentia et puritate, in simplicitate et castitate ambulare faciat. O Deus æterne, o Pater misericordiarum, per hunc Unigenitum tuum, per ejus sanctissimam Nativitatem, per infantilia omnia ejus membra, perque ejus dignissimam Genitricem obsecro te, imple ac renova me gratia tua, fac ut totus semper et perfectissime tibi placeam, ut tibi sim filius æternæ adoptionis, qui hactenus ex meis iniquitatibus et sceleribus homo fui perditionis. Amen.

THEORIA VIGESIMA QUINTA.

Inclinavit se, et adoravit regem. III. Regum I, 16.

25 Latriam dat. SALVE nunc et perpetuo gaude, sancta parens, enixa puerpera regem, qui cœlum terramque regit in secula seculorum. Eamobrem felicissima es, o sacratissima Virgo Maria, et omni laude dignissima, quia

Digitized by Google

ex te ortus est nobis Sol justitiæ, Christus Dominus Deus noster, spes, vita, salus et redemptio nostra. O quam profunda humilitate huic infantulo, simulque eidem potentissimo ac immortali Regi seculorum te inclinasti ! O quanta devotione et puritate illum es contemplata, quanta mox illum adorasti reverentia ! O quanto desiderio, quanta pietate te eidem in obsequia ac officia materna parasti, cujus te Matrem exuberantissimo gaudio cognovisti !

Pro fidei, spei et charitatis incremento, precatio.

O quis mihi det, ut et ego hunc supplex adorem, ne me scelera mea præpediant, ne mea me ingratitudo excludat, ne me vilitas ac pravitas mea nimia accedere non sinat ? Eia ergo advocata nostra clemens, dulcis et pia Maria, tuos misericordes oculos ad me, quæso, converte, et Jesum benedictum fructum ventris tui non solum post hoc exilium, sed etiam in exilio nunc mihi ostende. Videam hunc, eumdemque adorem et diligam fide, spe et charitate immarcescibili, perpetua ac perfectissima. Amen.

Adoratio supplex ad cunabula Jesu infantis.

Ave, benignissime Dei Unigenite, Fili Virginis Mariæ. Ave, gloria Angelorum, gaudium cœli, lætitia mundi. Ave, Rex regum et Dominus dominantium. Quid retribuam Domino meo, pro omnibus quæ tribuit mihi ? Quas gratias agam, aut quid refundam Creatori meo, qui pro vilissimo hoc stercore, qui pro me ingratissimo peccatore dignatus est nasci de Virgine ? Eia, Deus misericordissime, ad quid visum est tibi hunc vermiculum, videlicet miserum me homuncionem et peccatorem adeo diligere, ut humanam naturam infirmitatesque carnis et formam servi assumere, ac in stabulo vili nasci, lacrymasque vagiendo pro me dignatus sis effundere ? Neque enim minoris est beneficii, nec minus suaviter corda nostra hæc pietatis tuæ viscera reficiunt, quod tu Deus altissimus atque immensus, propter nos infantiles dignatus es miserias suscipere, vagire, linteis involvi, et præsepio arctari : quam quod voluisti cœlum et Angelos creare, aut ad divinitatis tuæ ostensionem mortuos suscitare.

Pro vilitatis propriæ cognitione, humilitate et paupertate spiritus, precatio.

Eia igitur, Domine Deus meus, te adoro, te laudo et benedico, quid enim aliud possum ? tibique gratias ago, et obsecro te per viscera misericordiæ tuæ, da mihi ut vilitatem meam, et quam nihil sum ex abysso cordis mei perfectissime cognoscam, profundissima humilitate me sub omnibus creaturis æstimem, deprimam, subjiciam et postponam. In nulla re penitus me quæram, cogitem aut intendam, totus a meipso deficiam et desinam, te vero solum habeam ac possideam, te solum laudem et magnificem, te solum cogitem et desiderem, teque ex toto corde meo, ex omnibus medullis animæ meæ diligam, adorem et colam in omnibus et super omnia. Amen.

THEORIA VIGESIMA SEXTA.

Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti. Lucæ XI, 27.

O Virgo devotissima, Mater piissima, sancta Maria, quanto amoris incendio Cor tuum fervebat, quanta dulcedine rapiebatur, quando tenerrimum hunc infantulum, eumdemque Deum omnipotentem, cœlos regentem et in terris vagientem, Patri coæternum, et modo ex te Virgine genitum, e terra levabas ; et inter virginea brachia amplexatum materno pectori adstringebas, pannis illum involvens, et devotissima mellifluaque oscula eidem continue imprimens ! O quanto suavitatis affe- 26. Lactat.

Digitized by Google

ctu, quem Virgo pepereras, etiam virgineo lacte de virgineo ubere tuo cœlitus impleto pascebas, eumdemque ut liberius adorares in præsepe ante jumentorum ora, quia locus alius non aderat, ponebas!

Pro famis sitisque spiritualis gratia, precatio.

EIA, misericordissime Jesu, quanta est dignatio tuæ erga nos dilectionis, qui propter nos suxisti virginea ubera Matris! O panis et cibus Angelorum, quomodo factus es infans, qui fovearis lacte et ministerio hominum? Da mihi ut in hoc mundo nihil me afficiat, nihil mihi placeat, nihil me delectet, nisi tu. Te solum esuriam et sitiam, te solum concupiscam, tui amore ardeam, tui desiderio langueam, tui amore omni consolationi creaturarum renuntiem, omnemque pressuram et adversitatem obvio corde amplectar, sustineam, et gratias agam. Amen.

THEORIA VIGESIMA SEPTIMA.

Non potest mulier oblivisci infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui. Isaiæ XLIX, 15.

27. Condoluit. O VIRGO pudicissima compatientissimaque Mater, quis digne exprimet, quis æstimabit satis, quis expendet Cordis tui virginei amore vulnerati dolorem, quando pudicissimis oculis tuis, iisque maternis, cœli Regem, Dominum majestatis præ nimia charitate pro peccatoribus ingratissimis, usque ad stabulum, usque ad præsepe jumentorum contemplabaris humiliatum? Cernebas eum qui mundum creaverat universum, in præsepi ante jumentorum ora jacere, extrema paupertate, quam elegerat, affici, atque pro peccatis nostris, imo pro universi generis humani miseria, charitate ferventissima compatientissimaque vagire. Heu amoris simul ac compassionis lacrymas, quæ de virgineis oculis tuis fluxere, dum mœror accedit mœrori, compassioni compassio. Siquidem eumdem quem intuebaris parvulum, quem tenerum ex te sciebas paulo ante genitum, spiritu prævides aliquanto post tempore in Cruce extendendum, membra ejus delicata flagellis laceranda, manus infantiles duris clavis fodiendas, atque totum corpus in mortem tradendum. Futurum, inquam, sciebas, o Dei Genitrix, ut is qui uberum tuorum lac modo sugebat, aliquando fuso etiam sanguine, sitiens non esset habiturus pauxillum aquæ qua siti mederetur, dum in Cruce pro nobis moreretur. Heu frigidum atque durum cor meum, cur non lacrymaris? Nescis quia planctus hujus occasio tu, aut ignoras quod ærumnarum harum omnium, quas sustinere habuit Dei et Virginis unigenitus, causa fuisti?

Pro gratia lacrymarum, contritionis et compassionis, precatio.

O UTINAM, piissima Mater, impetres oculis meis lacrymas et cordi meo dolorem, quibus lugeam ex intimo animæ meæ, peccata mea; doleam ex toto corde, quod ego, aut quæcumque alia creatura Deum offenderit. Condoleam quoque compatiens tota mente omnibus ærumnis Filii tui et membrorum ejus. Plorem tui causa, o dulcis Jesu, lacrymas amoris per diem et noctem pro desiderio tui. Langueat præ amore tui anima mea, quo omni consolationi terrenæ abrenuntiem, te vero solum cogitem et desiderem te solum mediter atque suspirem. Amen.

THEORIA VIGESIMA OCTAVA.

Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David. Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio. Et subito facta est cum Angelo multitudo cœlestis exercitus, laudantium Deum et dicentium: Gloria in altissimis Deo. Lucæ II, 10-14.

Digitized by Google

28. Congaudent. INTER hæc, o venerandissima Dei Mater, dum lactas infantem, dum contemplaris Deum, dum in præsepe ponis pannis involutum, Angelorum audis agmina præsentium, Regem suum salutantium adorantiumque. Audis, o benedicta, cœlestis exercitus concentum suavissimum, mundo gratulantis, atque Deo gloriam in excelsis, hominibus vero pacem in terra nuntiantis. Vides præterea pastores advenientes, et pro studiosa devotione, quemadmodum ab Angelo fuerunt edocti, de Infante natoque Salvatore interrogantes. Inter hæc quanta exultatione maternum virgineumque Cor tuum, o pulcherrima virginum, replebatur, pro hujus mysterii salutifera revelatione, pro Dei veneratione, pro Filii tui agnitione, proque animarum, quæ inde sequebatur, salute : quibus omnibus piissima tu exuberantissima devotione gratulabaris ? O utinam laus Filii tui, o utinam laus quoque tua de ore meo nunquam recedat. O utinam in Deo mens mea semper stabilita permaneat, semper gratias agat, Deo semper inavertibiliter inhæreat.

Pro omnis propriæ quæsitionis mortificatione, precatio.

EIA, inventrix gratiæ, impetra mihi hanc gratiam a Filio tuo, ut omni tempore ac momento ipsum solum pure ac simpliciter quæram, ipsum solum intendam, atque in ejus honorem et beneplacitum solum omnes vires animæ et corporis mei, omneque tempus vitæ meæ convertam, expendam et consumam. Non inveniatur, quæso, in me ullius invidiæ locus, vel titillatio aliqua; sed omnium fac ut felicitati gratuler ex animo, atque congaudeam. Amen.

Pro fervore spiritus in Dei obsequio, precatio.

O DOMINE Jesu, colende, adorande atque tremende, o suavissime Jesu, amande et prædicande, aufer a me acediam prorsus omnem, et da mihi fervorem castissimum, devotissimum, ardentissimum atque discretum in omni servitio tuo, qui nunquam deficiat, nunquam etiam tepescat, qui nihil negligat, sed in omne beneplacitum tuum obedientissime se effundat. Amen.

THEORIA VIGESIMA NONA.

Porta hæc clausa erit, et non aperietur, quoniam Dominus Deus ingressus est per eam. Ezechielis XLIV, 2.

29. Integra. O PUDICISSIMA mulierum, o virginum integerrima, o Genitrix Dei, tu Angelis lætitiam peperisti, tu mundo misericordiam genuisti, tu animarum redemptionem, peccati finem, virtutum auctorem, fontem gratiæ, salutis exordium, mortis destructionem, æternæ vitæ reparationem mundo intulisti. Tu, Virgo intacta, tu Mater inviolata, tu ante partum, in partu et post partum virgo incorrupta permansisti. Licet enim facie esses venustissima, et supra omnes mulieres pulchritudine gratiosa, hanc tamen tibi gratiam indidit Deus, ut nullius viri concupiscentiam tua pulchritudo irritaret : sed corda potius omnium te intuentium, pudicissima castitatis tuæ virtus castiora redderet. Quapropter Joseph non solum non te carnaliter concupivit, sed etiam per te castior fuit.

O igitur liliorum castissimorum, o rosarum charitate fragrantium, o virginum Deum amantium Mariæ ac Joseph castissimum matrimonium, o pudicissimam atque vernantem morum honestatem, sanctissimam cohabitationem, sincerissimam dilectionem, o corda Dei amore ardentia, o corda Spiritu Sancto plena, o corpora Spiritus Sancti organa, atque in Dei ministerium sanctificata, admoneo vos suavissimæ illius cohabitationis vestræ, mutuæque dilectionis, qua in omni vita vestra alterutrum vos honore prævenisti, atque Dei Filio Christo Jesu immaculati adhæsistis.

Pro mentis et corporis castitate, precatio.

DULCIS Maria, dulcis Joseph, Dei parentum nominibus honorati, atque ante mun-

Digitized by Google

di constitutionem ad hunc honorem, ad hoc officium præelecti, precibus ac meritis vestris impetrate mihi a Deo, ut omnis amor non divinus in me radicitus moriatur : quo Deum meum solum ex toto corde meo diligam, in omnibus et super omnia. O vernantes gemmæ, violæque castissimæ, impetrate sensibus meis, atque universo et corpori et animæ perfectissimam integritatem, integerrimam castitatem, puritatemque mentis simplicissimam, ut præter Deum meum nil me afficiat, nil delectet. Amen.

THEORIA TRIGESIMA.

Hoc est pactum meum quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te: Circumcidetur ex vobis omne masculinum, et circumcidetis carnem præputii vestri, et sit in signum fœderis inter me et vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis. Genesis XVII. 10.

Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus. Lucæ II, 21.

30. Scindunt.

O Angelorum gloria, o lætitia mundi, o puer innocentissime, quid fecisti, ut peccati originalis remedium, cum sis a peccato immunis reciperes? O Dei et Virginis Fili, agne mansuetissime, quanta nos charitate dilexisti, ut quasi peccator legi subjici, dolore maximo circumcidi, sanguinem infantilem pro nobis fundere, nos in eo abluere, et eumdem Patri dignareris pro nobis offerre? O sanguinem salvificum, omnia peccata nostra delentem! O utinam in eo lavari mereatur anima mea! Verum, bone Jesu, quod nomen illud salvificum, nomen mellifluum, nomen suavissimum, nomen potentissimum, nomen quod tibi ab æterno impositum est, mundo etiam notum fieri, atque te Jesus nominari voluisti, quantam nobis peccatoribus spem veniæ, quantam fiduciam accedendi ad thronum gratiæ, pie Jesu, hoc ipso nomine tuo miseris præbuisti! Quid enim aliud agebas vocari volens Jesus, id est, Salvator, quam ut vel in primo ingressu tuo in mundum, atque adeo in ipso nomine tuo ostenderes nobis benignitatem tuam, qua ad pœnitentiam nos adduceres, esse copiosam, infinitam atque tibi ab æterno congenitam? Cæterum, dum videt te, pie Jesu, pia Mater circumcidi, dum videt te roseo tuo sanguine tingi, sentit ipsa quoque in Corde suo se tecum vulnerari, et cum patiente patitur. Plangit nostra vulnera, pro quibus adeo necesse erat Filium innocentissimum vulnerari.

Pro mystica circumcisione divinique nominis veneratione, precatio.

Pro hac Sanguinis tui effusione, pro tuo Matrisque dolore, dulcis Jesu, adoro te et gratias tibi ago, te orans toto corde et viribus, ut a me proscindas tollasque omnia quæ tibi displicent in me, ut cor meum purifices a cunctis vitiis, passionibus affectionibusque inordinatis, et nomen tuum nominisque tui formam, vitam atque virtutem cordi meo imprimas, atque adeo indelebiliter inscribas, ut quocumque me vertam, quidquid agam, nihil aliud videam, nihil sentiam, nihil sciam, nisi te Jesum meum, et hunc pro me crucifixum, proque me vulneratum. Amen.

THEORIA TRIGESIMA PRIMA.

Cum natus esset Jesus in Bethleem Judæ, Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum? Et intrantes domum, invenerunt Puerum cum Maria Matre ejus : et procidentes adoraverunt eum : et obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham. Matthæi II, 1, 2, 11.

31. Tres veniunt.

O Rex gloriæ, Christe Jesu, quam investigabilis est sapientiæ tuæ profunditas, quam admirabilis bonitas, qui a remotis regionibus reges et sapientes per ea, per quæ possent moneri ac trahi, vocasti : at-

Digitized by Google

que ut primitiæ fierent gentium in fide, tui notitiam illis infudisti. Siquidem ii ab Oriente Magi venerunt Jerosolymam fide pleni, atque ab omni alieni metu, quærentes te natum Regem Judæorum. Quem ubi stella duce invenerunt, procidentes te adoraverunt, obtuleruntque tibi munera, aurum, thus et myrrham : nihil stabuli vilitate, nihil infantia tua, nihil denique Matris paupertate scandalizati. Nam et tu quoque non in alio apparatu a regibus, quam a pastoribus inveniri voluisti : quippe, qui non temporalibus divitiis, sed paupertate humilitateque esse volebas gloriosus.

Pro mysticorum munerum oblatione, precatio.

Dulcissime Jesu, aufer a me cor lapideum, cor frigidum et cæcum, et da mihi cor secundum Cor tuum, quod aurum tibi semper rutilantissimæ charitatis, thus castissimæ devotionis, myrrhamque perfectissimæ mortificationis offerat. Ecce cum tribus his regibus adoro te, benigne Jesu, et me totum quod sum, quod habeo quodque possum tibi offero, ac tibi resigno. Converte illud et me totum in laudem et gloriam tuam, juxta beneplacitum tuum. Amen.

THEORIA TRIGESIMA SECUNDA.

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt puerum Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. Lucæ II, 22, 23.

32. Sistunt. Heu, quid gratiarum actionis tibi nunc rependam, dulcis et amabilis Jesu, quod Deus ipse tu et Dei Filius, dux et legifer noster, legalibus te statutis propter nos voluisti subjicere, quod veluti peccator et Adæ filius in templum sisti, quod velut immundus expiari, quod Patri tuo ipse hostia et oblatio offerri, quod denique hostia paupertatis voluisti redimi? Fecisti utique hoc ad exhibitionem humilitatis, ad commendationemque paupertatis, licet Dominus sis omnium ac dives, sed propter nos duntaxat adeo factus es pauper et egenus. O stupenda dignatio, o humilitas admiranda! Tu Domine, Rex cœli et terræ, tu Dominus universorum, tu Creator omnium humiliaris. Numquid ego posthac homuncio, numquid ego vermiculus et pulvis inflabor? Absit hoc, Domine, a vermiculo tuo : prohibe hoc tu tua potentissima virtute, et non sinas superbiæ aut vanitatis spiritum vel tenuissimum in cor meum intrare, sed doce me ex te semper esse mitem et humilem corde.

Sed et tuæ humilitatis exemplar, o benedicta inter mulieres, o virginum omnium pudicissima integerrimaque, fac lucere in corde meo semper, quod tu cum sis innocentissima, atque ab omni labe aliena, utputa Dei Mater, cum sis Dei templum atque sacrarium inviolatum, cum sis rosa immaculata, atque lilium candidissimum, cum nihil fuerit in te purificandum, volebas tamen ultro suscipere purificationis remedium, et veluti immundam ac unam ex reliquis mulieribus te haberi, quandoquidem nullo volebas gaudere privilegio, nulla uti præeminentia singularitatis.

Pro sui cognitione veraque humilitate, precatio.

O humillima Virgo, humilis Jesu Mater, per hanc humilitatem tuam te oro atque obtestor, impetra mihi profundissimæ humilitatis perfectionem, ut omnem nihileitatem ac vilitatem cognoscam, ut inter infimos me inferiorem sistam, ut peccatorum atque ideo omnium creaturarum novissimum et ingratissimum me ex animo sentiam. Nunquam concupiscam vel alicui hominum placere, nusquam nominari, nunquam honorari vel tenuissimo motu cordis appetam : sed potius ab omnibus cupiam, diligam et gaudeam despici, negligi atque confutari. Christe Jesu, per hu-

Digitized by Google

militatem tuam, imo per majestatem tuam te obsecro, atque, quatenus licet, cum reverentia tuam misericordiam lacrymans adjuro, ut des mihi veram, profundissimam, tibique acceptissimam humilitatem, qua cum sancto odio ac displicentia meam vilitatem cognoscam, omnia probra et convitia ferventer sitienterque suscipiam, et odientes ac contemnentes me amore suavissimo sincerissimoque diligam, tuam præsentiam humiliter, reverenter suaviterque cum devotissima ac omni veneratione semper et ubique sentiam. Amen.

THEORIA TRIGESIMA TERTIA.

Ecce Dominus ascendit super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et movebuntur simulacra Ægypti a facie ejus, et cor Ægypti tabescet in medio ejus. Isaiæ XIX, 1.

Angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens : Surge et accipe Puerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum. Matthæi II, 12.

33. Fugiunt. Suscepimus, o Deus, o Pater misericordiarum, suscepimus nunc misericordiam tuam in medio templi tui : cui et senes justi, Simeon Annaque prophetantes occurrerunt. Cognovimus revera, quod venit ad nos Dominator quem quæsivimus, et quem voluimus Angelus Testamenti : venit lumen nostrum, quod exspectabamus in tenebris. Sensit hoc Simeon sanctus, dum te, Christe Jesu, inter ulnas amplexatum cordi suo adstringeret, et arcanum divinumque nescio quid tunc sentiens, exclamaret : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.* Et nos tibi, o Salvator noster, omnes occurrimus, clamantes : Advenisti, desiderabilis Redemptor noster, advenisti. Verum quo honore, qua exultatione, quanto fervore charitatis nunc dignus es recipi ? Et tamen non solum non honorat, verum etiam contra te mox natum, mox mundum ingredientem armatur mundus. Sævit enim Herodes, et trucidare te quærit infantem. Persequitur, deturbat hospitio, fugat in exilium : et quia tibi meditatus fuerat ignoto mortem, dum cunctos suspectos habet infantes, interficit omnes. Verum, quos ille dum te quærit in mundo trucidat, hos tu in cœlo coronas. Tu quoque interea in Ægyptum fugiendo, cum aliter possis, humano te consilio servas. Benignissime Jesu, tanto tempore a Patribus desideratus, tot exspectatus gemitibus, vix tandem advenisti, et tamen mox natus pulsus es in exilium : fugis a facie regis iniqui, adhuc Matris ubera sugens. Et ne dissimilis esses Patribus, qui parvo numero introierunt in Ægyptum, advena esse voluisti et peregrinus, sicut omnes Patres tui. Voluisti præterea Cor teneræ Matris, infantiæ tuæ laboribus et itineris incommodis, fatigari. Quid dicam ? Heu, tenerrima Virgo, heu nova sed desolata Mater, quanta tristitia, quanto mœrore circumfusum est Cor tuum, cum media nocte jussa fueris in exilium fugere, cum tibi diceretur futurum esse ut Herodes quærat Puerum ad perdendum eum ? Quid in Corde tuo sensisti, quod talis Puer qui tam misericorditer in mundum venerat et recenter ex te fuerat natus, tam crudeliter confestimque ad mortem quæreretur ?

Pro resignatione et patientia inter quævis adversa, precatio.

O si in corde meo videam, o utinam sentiam intus in anima, quomodo tu elegantissimæ formæ, Virgo amabilis, quomodo tu, piissima Mater, quomodo cum tenero Filio, præ filiis hominum specioso, in nocte fugiens, et virgineo sponso comitata, quo nesciebas, ibas. Eia, suavissima Mater, eia, benignissime Fili, facite me nunc derelictionem omnem, omnem desolationem omnemque persecutionem et adversitatem patientissimo, mitissimo ac resignatissimo corde sustinere, nusquam inter quæcumque molesta, præterquam ad te et ad Filium tuum fugere, et inter quoscumque eventus,

Digitized by Google

in omni quoque tentatione et ambiguitate, vobis me plena fide et securitate committere. Amen.

THEORIA TRIGESIMA QUARTA.

Fuge in Ægyptum, et esto ibi, usque dum dicam tibi. Matthæi II, 13.

34. Exul. Benedico teque adoro, piissime Jesu, pro peregrinatione laboriosa in Ægyptum, pro incolatu inter idololatras, pro exilio denique septenni propter me perpesso, quo Matrem tuam Mariam ac Joseph nutritium multa sollicitudine mœstitia, et compassione fatigari voluisti. Sed et tu, o Regina mundi, nullo pedissequarum ancillarumve obsequio comitata, nullo fulta auxilio, nutricis simul et gerulæ officia obibas. Vivebas domi residens, et secreta diligens silentia, in alieno solo manebas ignota, nisi quod, quam pudicitia domi abscondit, fama virtutum tuarum ubique te loquebatur. Omnium feminarum te esse eximiam honestas tua, licet celare volentem, manifestabat. Nunquam tibi antehac similem visam in Ægypto testabantur omnes. Quippe quæ omnes superabas mulieres speciei pulchritudine, morum elegantia, virtutibus, honestate, pudicitia, modestia, integritate, humilitate et gratia. Inter hæc licet cunctis desideratissima, ab omni tamen colligatione aut familiaritate feminea mansisti libera ac aliena, orationi ac manuum labori tantum vacans : quo in magna victus parcimonia, in sobrietate, in omni denique rerum penuria cum sponso suavissimo atque castissimo, domui necessaria provideres. O suavissimam devotissimamque horum cohabitantium honestatem ! O altissimam Regis cœlique Reginæ paupertatem ! O in exilio peregre viventium solitudinem et devotionem !

Pro spirituali oblivione et morte, precatio.

Compungere hic, o anima mea, compungere, et disce nihil terrenum concupiscere. Disce mundi incolatum exilium esse. Disce favorem popularem, honorem et omnem mundi gloriam somnia esse. Disce, et quibus potes gemitibus, ad Jesu et Mariæ cohabitationem suspira. Verum, quid meum est studium meumve desiderium, o Jesu amantissime, nisi dederis tu quod doces habendum ? Quare per tuam infantilem modestiam, et per divinæ majestatis potentiam te obsecro, fac me omnium rerum pereuntium, atque meiipsius penitus oblivisci : fac me mundo universisque ejus concupiscentiis ac vitiis funditus mori, fac me hic sicut in exilio tibi soli vivere, et ad te, sicut cervum ad fontes aquarum, ferventissimo semper amore suspirare. Amen.

THEORIA TRIGESIMA QUINTA.

Et Jesus erat subditus illis. Lucæ II, 51. *Esurivi et non dedistis mihi manducare.* Matthæi XXV, 42.

O altitudo divitiarum sapientiæ Dei ! O profunditas judiciorum ejus ! O quam investigabile consilium tuum, Deus, quod in hoc mundo, cum tui foret arbitrii ubi, quando, et e quibus velles nasci, elegisti parentes pauperes, qui manuum te suarum labore nutrirent, manibusque operando victui suo pariter et tuo necessaria conquirerent. Sed quibus laudibus extollam nescio virum illum dignissimum, virum unum ex millies millibus propterea electum, Joseph loquor, qui tibi Salvatori suo panem manibus operando lucraretur, qui Virgini tuæ Matri, utpote testis et custos ejus virginitatis, tanquam vir et sponsus vitæ necessaria provideret. Itaque tui parentes manibus operabantur : sanctus quidem Joseph nutritius pater et faber lignarius in sua arte : Mater vero tua texendo, nendo suendoque, victum quærebant. Et quid tu interea, o Puer suavissime ? Quid parentibus operantibus faciebas, amantissime Jesu ? Quid, suavissime Virginis nate, agebas ? Num otiosus fuisti ? Non fuisti otiosus, sed utrique parenti, quæ per ætatem licebant, puer optimus inserviendo necessaria afferebas. Quid enim prohibet

35. Pia nutrit.

Digitized by Google

de te cogitare, quod ad honestissima quæque Matri inservieris ? puta, aquam, ligna, aliaque ejusmodi apportando porrigendove : aquam quoque manibus ejus infundendo ut pietate et compassione plenus, parentum tuorum laborem cooperando inserviendoque allevares? Nec temeritatis aut superbiæ fuerit, piissime Jesu, quod tui parentes, a te, Deo videlicet universorum, hæc obsequia acceperint, sed potius obedientiæ, ad quam intus illuminati ac moti sapiebant, quod voluisti sic agere, ut impleres omnem justitiam : quare eorum humilitas quoque non parum proficiens inde merebatur, quod obedientes tuæ dispositioni hujusmodi admittebant.

Pro paupertate spiritus et discretione, precatio.

Benignissime igitur Jesu, da mihi amorem paupertatis, ut modicissima mihi sufficiant, et curiosa, vana superfluaque omnia execrans abjiciam : corpus meum sobrie discreteque nutriam : pro virtutibus, pro cordis puritate, pro charitate, pro tuo honore, pro tuo beneplacito, omnes vires meas infatigabiliter expendam. Amen.

THEORIA TRIGESIMA SEXTA.

Defuncto Herode accepit Joseph Puerum et Matrem ejus, et rediit in terram Israel. Matthæi II, 21.

36. Hinc redit. Benignissime Jesu, pro reditu illo tuo ex Ægypto laborioso in civitatem Nazareth, quo non sine metu parentum propter Archelaum regnantem in Judæa, puer jam septennis divertisti, proque illa sociali, sed honestissima cohabitatione, pro suavissima conversatione, qua innocenter obedienterque cum parentibus vixisti, benedico te, et gratias tibi ago.

Pro eradicatione omnis amoris privati, precatio.

Rogo autem te, piissime Jesu, fac ut amor mundi, privatus amor, omnisque amor, qui non est ex te, aut in te, perfecte in me moriantur, ut citra omnem electionem propriæ voluntatis, hoc solum, hoc continue desiderem, hoc velim, hoc quæram, hoc intendam, quod tibi maxime est beneplacitum, et quod est ad honorem et gloriam nominis tui, de me vero omnem sollicitudinem omnemque cogitatum, confidentia perfectissima, in te projiciam. O si aliquando per tuam gratiam ad innocentiæ statum, et ad perfectionis redire merear integritatem! Amen.

THEORIA TRIGESIMA SEPTIMA.

Cum factus esset Jesus annorum duodecim, ascendentibus illis in Jerosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, et requirebant eum inter cognatos et notos. Lucæ II, 42-44.

37. Ad festum. O mitissime benignissimeque Jesu, quanta fuit humilitas, quanta obedientia, quanta denique devotio, quod puer duodennis Jerosolymitanum voluisti adire templum, obediens Legi, festivitati serviens, et Patris honorem zelans! Nec satis tibi erat ascendisse in templum, nisi et cæteris redeuntibus, ibi tu solus in templo remansisses, doctores audiens atque interrogans, idque tanta sapientiæ tuæ exuberantia, tanta humilitate, ut pro magnitudine hujus tuæ scientiæ, omnes parvulam stuperent ætatem, et in ætate tenera tam grandem admirarentur scientiam. Intuebantur præterea cum stupore in te puero mores compositos, eloquii suavitatem, dulcedinem vultus prudentiæque maturitatem, verborum denique profunditatem et amplitudinem sapientiæ audientes, attoniti quid dicerent nesciebant.

Pro diligentia, reverentia sitique divini honoris, precatio.

Eia, misericordissime Jesu, omnem teporem ac negligentiam depelle a corde meo,

Digitized by Google

ut honorem tuum ac cultum ferventissime sitiam, promoveam, atque me totum pro illo expendam. Fac me, dulcis Jesu, in meipso, et in omnibus hominibus irreverentiam tui medullitus execrari, et tuam ubique præsentiam cum intima ac suprema reverentia venerari. Ah, utinam animæ meæ nulla sit peregrina consolatio jucunda, sed de tua jugi præsentia sit ei festivitas exultatioque sempiterna. Amen.

THEORIA TRIGESIMA OCTAVA.

Requirebant eum inter cognatos et notos : et non invenientes regreesi sunt in Jerosolymam. Lucæ II, 44.

38. Quærunt

O Virgo omnium reverendissima, quis mœror virgineum maternumque Cor tuum obsedit, cum ex Jerosolyma rediens, non habuisti tecum, neque cum Joseph reperisti Jesum Filium tuum? Amiseras lumen oculorum tuorum, amiseras in quo habebas omnia, nec ubi quærendus esset sciebas. Quamobrem anxia eras Mater pro Filio : siquidem modica ejus absentia, longa tibi nimis videbatur. Redeundum tamen modis omnibus in Jerusalem tibi videbatur, et votis omnibus quærendus, qui tibi vita erat charior. Et quamvis pudicitiæ tuæ insolitum esset videri in publico, aut extra domum morari, fortior tamen erat ut mors dilectio, quæ ad non quiescendum urgebat, donec amissum recuperares thesaurum, præsertim quando et Jesum quærere, non solum non erat pudicitiæ femineæ contrarium : sed summa etiam pietas, sanctimonia et religio. Siquidem omnia hic tibi erat Filius : nempe amor, desiderium, solamen, sollicitudo, quæstus, contemplatio, beatitudo. Quare hoc amisso, amisisse te sciebas omnia. Itaque una cum patre ejus nutritio per triduum illum quæsivisti. Inventumque in templo, licet quasi arguere videbaris materna auctoritate, revera tamen magis admirabaris, sciscitans, quo pacto desolatam te Matrem adeo amantem, adeo pro se anxiam reliquerit, adeoque sua contristaverit absentia. Dicebas enim illi : *Fili, quid fecisti nobis sic ?* Nihil Cordi tuo suavius, o devotissima feminarum, nihil affectuosius, nihil denique fuit quod amorem, quod exultationem spiritus, quod postremo citius tibi mentis pararet excessum, quam eum nominare agnoscereque Filium, qui universorum est Deus. Itaque licet maxime omnium illum amares, nequaquam tamen ut cæteræ matres assolent, quæ amore fervent in filios, illum blanditiis gestibusve amatoriis, sed humilitate profundissima reverendissimaque devotione tractabas. Ita enim ejus te sciebas Matrem, ut simul profitereris ancillam. Nec aliquid materna auctoritate præsumebas, quod vel virgineam dedecuisset humilitatem, vel divinam non revereri videretur majestatem. Cæterum tu, dulcissime Jesu, hoc tuo exemplo, quod ignorantibus parentibus in templo manebas, quid aliud docere voluisti, quam parentes haudquaquam nimium, sed ita post te amandos, ut licet illis compassio sive amor debeatur, præferendum tamen perfectionis amorem pariter ac studium. Ideo namque latenter voluisti manere in templo, ne ad perfectionem sectandam, putaremus parentum consensum necessario requirendum.

Verum, ut ad me redeam, Jesu misericordissime, tu scis quam toties a te recedo, quoties te amitto. Heu ! me miserum, qui sine te nihil sum, qui cibus sum vermium, et sine gratia tua sum esca inferni. Da mihi ut revertar ad te. Da ut quæram te corde humiliato, corde perfecto, corde toto, et super omnia maxime contrito.

Pro lacrymis divinique amoris languore, precatio.

Da, pie Jesu, mihi lacrymas contritionis et devotionis, quibus curram post te die ac nocte. Da ut tui amore tuique desiderio totus langueam. O morbum felicem, dulcis Jesu, præ amore tui languere ! Iterum rogo, da ut tui amore langueam. Non

Digitized by Google

requiescam donec te inveniam, donec inseparabiliter, donec inavertibiliter te possideam. Amen.

THEORIA TRIGESIMA NONA.

Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus et ego dolentes quærebamus te. Et descendit cum eis, et erat subditus illis. Lucæ II, 48.

39. Parens-que.

O ÆTERNA sapientia Patris, Christe Jesu, qui amore ingenti Patris tui honorem zelans, puer adhuc duodennis magistros peritosque Legis ædificare, sapientiamque tuam illos experiri voluisti. Interrogabas eos, eisdemque respondebas, quo scientiam illis absque illorum rubore infunderes. Propterea enim solus per hoc triduum mansisti in Jerusalem. Sed quid hoc triduo, o puer mansuetissime, edebas? Quis interim tibi ministravit? Quo denique ibas cubatum? Pauper certe eras et ignotus, nec pro teipso aliquando te usum comperimus potestate divina, qua tibi miraculo, aut aliter quam consuetudine humana provideres. Superest igitur, ut cogitem te hoc triduo mendicasse, quo reficereris, quoniam neque pecuniam, neque aliud tibi proprium possidebas. In omnibus nos, piissime magister, docere voluisti, et verbo et exemplo, quam contemnendus sit mundus, quam relinquenda omnia, quanta denique fiducia in te sperandum. Porro Mater tua cum te invenerat, cum tu quoque illi admiranti in his quæ erant Patris tui, te esse oportere, responderas, quid fecisti? Descendebas cum iisdem parentibus, et eras subditus illis: iterum docens me quomodo esse debeam humilis et mitis corde. Eras illis subditus, participando eorum labori, sollicitudini et paupertati. O obedientiam stupendam et admirabilem, quod relicta voluntate propria omnino bona, utpote quæ Patris voluntati erat consentanea, subjecisti te parentum voluntati, obsequio, et filialis obedientiæ officio sancto.

Pro humilitate, obedientia nuditateque spiritus, precatio.

EIA, dulcissime Jesu, pro hac humilitate, et pro hac obedientia tua te adorans, laudo et benedico, gratiasque tibi agens, per mansuetudinem Cordis tui obsecro, expelle radicitus ex corde meo omnem præsumptionem, omnem elationem, omnem reputationem propriam atque adeo quodcumque vitium quod ex superbia aut vana gloria potest oriri. Mortifica, quæso, radicitus in me universam pestem superbiæ et inanis gloriæ, privatum item amorem omnem, cum vitiis quibuslibet inde nascentibus, et da mihi perfectissimam abnegationem meipsius, atque plenissimam propriæ quæsitionis, atque omnium vitiorum mortificationem, ut absque ullo respectu ad meipsum, veluti mei et omnium oblitus, veluti mundo perfecte mortuus, te solum et quæ tibi sunt placita concupiscam, quæram et intendam, te solum cogitem et desiderem, te solum sciam et in omnibus, ac super omnia, ex omnibus medullis meis diligam. Vide, misericordissime Jesu, vide, compatientissime Jesu, omnes miserias meas, vitia mea, ingratitudines et contumelias, quibus te quotidie offendo. Vide et miserere, et fac ut in conspectu tuo lacrymis continuis intentissimæ contritionis me lavem, et amoris tui gemitibus ac suspiriis ignitis ac indeficientibus tibi inhærendo, totus deinceps, semperque et perfectissime placeam. Non sit in me aliquid proprium, sed tua solius omnia, tibique adeo subjecta, adeoque unita, ut nec velle nec posse habeam proprium, præter tuam voluntatem, pro cujus amore etiam omni me creaturæ subjiciam, suscipiens omnia quæ mihi eveniunt de manu sempiternæ benevolentissimæque providentiæ tuæ, cum plena fide et subjectione, cum amantissima fiducia, cum perfectissima resignatione, cum devotissima continuaque gratiarum actione. Amen.

Digitized by Google

THEORIA QUADRAGESIMA.

Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea. Psalmo LXXXVII, 16.

Dies et noctes laboriosas enumeravi mihi. Si dormiero, dicam : Quando consurgam? et rursus exspectabo vesperam. Job VII. 3, 4.

Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis. Matthæi XX, 28.

40. Latebat.

INTER miracula tua, piissime Jesu, numquid non hoc quoque computandum est, quod post duodecimum annum usque ad trigesimum, cum parentibus mundo incognitus atque absconsus latere voluisti, nec ante præfinitum tempus statutæ maturitatis, ædificationi animarum ac prædicationi, ad quam ferventissimo zelo anhelabas, intendere, licet etiam in hoc silentio tuo maxime humilitatem prædicares : docebas enim nos omnes, quam debeamus propriæ saluti invigilare, nos non ingerere, quantum in nobis est, mundo esse ignotos, et velle latere. Habitabas itaque cum parentibus adolescens, etiam grandior effectus : nec dubium quin parentum laboribus atque paupertati te participem præberes. Laborabas cum laborantibus, ut et activæ vitæ exempla monstrares, et quam compassivo Corde onere hoc laborum parentes pios levare cuperes, ostenderes. Quidni enim parentibus pietatis officium, nobis vero exemplum in collaborando monstrares, qui etiam omnium peccatorum onera solus portare, solus pro illis satisfacere veneras? Atque eam ob rem te vocabant homines fabrum illitteratumque, et quia cum Joseph nutritio operantem te viderant, vocabant fabri filium, quia ex Joseph natum putabant.

Dulcis Jesu, quanta longanimitas charitatis exspectationisque ad operandam salutem nostram in medio terræ, quanta humilitas, nihil ostentare divinitatis in publico, domi latere, et cum parentibus pauperibus panem lucrando manibus operari! Quanta parentum fides qui licet te succedentibus annis cernerent in virum crescere, nihilque de opere nostræ redemptionis, nihil de salute mundi præ te ferre, haudquaquam tamen vel in minimo de sapientia profundissimi consilii tui trepidabant : sed modum ac tempus, quia omnia in mensura et pondere ordinasti, ordinatissimæ prædicationis tuæ ac redemptionis nostræ exspectabant.

Pro sui contemptione ac nescientia, precatio.

DULCIS Jesu, da mihi nihileitatem, malitiam et vilitatem meam perfecte cognoscere, ut cum sancto odio meipsum vere despiciam, vereque despectus, ignotus et abjectus haberi cupiam. Eia, dulcissime Jesu, infige cordi meo illam perfectæ humilitatis radicem, qua mei contemptum desiderem, atque ex animo diligam. Amem, Deus meus, latere, nesciri, et vilis reputari. Cupiam ex animo, ex toto corde, ardentissimisque votis, tui solius gloriam, honorem et beneplacitum. Hæc mihi, benignissime Jesu, tribue, quia ex te solo pendet quidquid est quod est virtutis, quidquid quod boni habet speciem. Amen.

THEORIA QUADRAGESIMA PRIMA.

Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua : et ecce aperti sunt cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super ipsum. Et ecce vox de cœlo, dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Matthæi III, 16,17. Marci I, 9. Lucæ III, 22.

41. Jordanis.

BENIGNISSIME, innocentissime, humillime et mansuetissime Jesu, quanto amore nostram salutem zelabaris, qui nihil eorum omisisti quod in nostram cederet salutem, nihil præteristi quod nobis utile cognoscere, aut salutare futurum. Siquidem nullum contra peccata remedium horruisti suscipere, quo vel nos quotidie omnique hora peccantes, ad peccatorum expiatio-

Digitized by Google

nem, et remedia quærenda tuo exemplo invitares. Eapropter humilis venisti ad Jordanem, baptismum a Joanne susceptu-rus. Tu in aquas lavandus, qui nihil habebas lavandum, humiliter descendisti. Tu caput tuum reverendissimum angelicisque potestatibus tremendum, Præcursoris manibus, quo omnem impleres justitiam, aquis tingendum submisisti. Tu baptismo tuo peccata nostra diluisti. Nam sanctificativæ ac generativæ virtutis tunc potestatem aquis baptismi indidisti. Ibi cœli aperti sunt, ut quantæ sit virtutis baptismus manifestaretur, et Trinitas sacrosancta revelata est.

Pro lacrymis contritionis et pœnitentiæ, precatio.

Itaque pro hac pientissima dignatione tua, cui nihil unquam nimium, imo cujus charitati nihil satis visum fuit, quidquid pro vilibus his sarcinulis ageres aut patereris, adoro te, Christe Jesu salvator. Adoro te, inquam, laudo et benedico, gratiasque tibi ago, obsecrans te per hanc charitatem, qua nobis potestatem dedisti, ut ab omnibus valeamus peccatis expiari, ab æterna damnatione liberari, Deique Filii ac regni possimus cohæredes fieri, ut quia post hanc gratiam susceptam, ingratissimus ac nefandissimus peccator, peccatis quotidie me inquinavi, tibique contumeliosus et blasphemus, præcepta tua impudenter transgredior, da mihi quotidie, imo indesinenter pro Jordane, pro altero Baptismo, lacrymas veræ pœnitentiæ, lacrymas viscerosæ intimæque contritionis et amoris, quibus merear in hac vita totus a delictis expiari, atque ante animæ meæ egressum de hoc corpore, totus tibi pleneque ac perfecte purgatus, reconciliari. Hoc præsta mihi, misericordissime Jesu, per viscera misericordiæ tuæ, non quod ego dignus sim vel merear accipere, sed quia id tu vis et potes dare. Decet enim maximum et misericordissimum, non parva sed magna dare. Amen.

THEORIA QUADRAGESIMA SECUNDA.

Jesus, autem agebatur in Spiritu in desertum, diebus quadraginta, et tentabatur a diabolo. Et nihil manducavit in illis diebus. Et consummatis illis, postea esuriit. Dixit autem illi diabolus : Si Filius Dei es, dic lapidi huic ut panis fiat. Et respondit ad illum Jesus : Scriptum est : Quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei. Lucæ IV, 1-4.

42. Tentat.

Regressus a Jordane, bone Jesu, in desertum ivisti locum, abstinens et affligens temetipsum pro nobis. Vacabas enim in solitudine jejunio, orationi, silentio, vigiliis, cæterisque eremi exercitiis id genus devotis. Voluisti enim hoc genus vitæ in te ipso consecrare, atque nobis persuasibile facere; quippe, qui omnia propter nos fecisti. Ideo etiam a diabolo tentari, atque de loco in locum duci te permisisti. Quid enim solus, et in afflictione carnis, voluisti diaboli tentationes experiri, rursusque superato dæmone, ab Angelis ministrantibus honorari, nisi ut abstractam nobis vitam commendares, et quæ nobis futura ibi essent, quanquam illa non formidanda, sed in te omnia vincenda forent, prænuntiares!

Adversus acediam cunctasque tentationes, precatio.

Benignissime Jesu, pro hoc eremi incolatu, pro humili cohabitatione deserti, pro longa abstinentia et jejuniis, pro vigiliis devotis, pro incommodis deserti a te perpessis, dum sub divo et sine tecto moraris, dum sede cares et lecto, dum inter bestias conversaris, dum homo denique humiliter in deserto, qui Rex es cœli, quiescis, pro ferventissimis denique orationibus, et pro tentationibus quas gloriose vincens, de hoste triumphasti, adoro, laudo et benedico te, gratiasque tibi ago, pie Jesu, orans te per misericordiam tuam immensam, libera et protege me a spiritu acediæ, ut in servitio tuo nunquam tepescam, sed fer-

Digitized by Google

venter mortificationi propriæ et orationi strenue insistam, omnesque tentationes fortiter tua virtute superem, quidquid tuo est contrarium honori, funditus execrando a me repellam. Dulcis Jesu, nulla sit tentatio quæ a te me repellat, quæ impediat, quæ delectet, quæ separet aut maculet, sed tentatio omnis me ad te magis promoveat ac urgeat, et fortius me tibi conjungat. Amen.

THEORIA QUADRAGESIMA TERTIA.

Jesus vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis. Lucæ VI, 13.

43. Vocat hos. Piissime Jesu, benedico, laudo et adoro te, quod discipulos tibi congregare, et ex iis duodecim Apostolos, fidei præcones eligere dignatus es, qui abs te perfecte eruditi, tam vitæ quam eruditionis tuæ gesta universo prædicarent mundo. Ne tamen fides, quam prædicare deberent, humanæ sapientiæ persuasionibus mentibus crederetur introducta humanis, elegisti eos simplices, innocentes atque illitteratos, qui fingere decipereve nescirent, elegisti pauperes et ignobiles, qui neminem premere, neminemque cogere possent, quosque nemo formidaret, nemo illorum gratiam affectaret modo humano, neque denique mundani quidpiam exspectaret ab illis. Dedisti vero eis potestatem super dæmonia, et ut languores curarent.

Pro incremento vitæ melioris, precatio.

Da, piissime Jesu, ut vocationis meæ gratiam non negligam, non sim gratiæ tuæ ingratus, sed prioribus nihil habitis, ad anteriora perfectioraque semper me extendam, omnia vero castissima devotione in tui solius gloriam referam. Amen.

THEORIA QUADRAGESIMA QUARTA.

44. Incommoda. *Jesus exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei.* Lucæ VI, 12.

Quid tibi, benignissime Jesu, retribuam, aut quas gratias agam bonitati tuæ, pro ærumnis, pro incommodis et miseriis multis, quas per omnem vitam mei amore tu pertulisti; videlicet: famem, sitim, frigora, æstum, sudores, pavorem, aliasque corporis afflictiones, et carnis infirmitates? Omnis namque vita tua, laboris, paupertatis atque pœnalitatis veram expressit effigiem.

Pro spiritu discretionis et sui in Dei providentiam submissionis, precatio.

Eia, misericordissime Jesu, non sit tam arduum nec tam grave incommodum, quod ego non ferventissimo desiderio, imo occurrens tui amore suscipiam, quod non patientissimo corde longanimiter et cum gratiarum actione suscipiam. Da etiam, benignissime Jesu, ut carnis necessitatibus non ad delectationem, sed discretionem, et ad tui gloriam juxta tuum beneplacitum satisfaciam. Et quia mensuram discretionis ignoro, omnia mea atque meipsum totum tuæ providentiæ atque directioni committo, subjicio atque resigno; orans te per bonitatem tuam, ut tu me regas, tu solus possideas, atque in laudem ac beneplacitum totum me convertas. Amen.

THEORIA QUADRAGESIMA QUINTA.

Jesus fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Joannis IV, 6.

45. Fessus. Benignissime Jesu, quis explicare posset labores, quos pertulisti in discursu, fatigatione corporis tui, in virium exhaustione, quando pro salute animarum de civitate in civitatem, de castello in castellum mundi Salvator ibas, in laboribus item et vigiliis, quando in orationibus sæpe pernoctabas, et pro conversione peccatorum gemitibus, suspiriis lacrymisque orans, Patrem invocabas? Inde est, pie Jesu, quod fessum ex itinere super puteum te sedentem et cum muliere samaritana non parva

Digitized by Google

mysteria tractantem de regno Dei, quodque orantem in monte ac ibi pernoctantem, legimus.

Pro zelo divini honoris, precatio.

Ah, mansuetissime Jesu, da mihi zelum pro honore tuo, et pro animarum salute, ut mea peccata et aliena indesinenter lugeam; atque pro virtute, pro tuo beneplacito et honore nunquam fatiger, nullis laboribus parcam; imo omnes vires meas pro tui amore expendam. Amen.

THEORIA QUADRAGESIMA SEXTA.

Et circuibat Jesus omnes civitates et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni, et curans omnem languorem et omnem infirmitatem. Videns autem turbas, misertus est eis, quia erant vexati et jacentes sicut oves non habentes pastorem. Matthæi IX, 35, 36.

Renuntiate quæ audistis et vidistis : Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur. Matthæi XI, 4.

46. Mira facit. Amantissime dulcissimeque Jesu, pro pietate, pro compassione, pro misericordia atque benignissima beneficentia tua, quam in quoscumque languidos, miseros ac mœstos effudisti : nulli te negans, neminemque non exaudiens, quo omnium tristitias, omnium ærumnas morbosque depelleres; te adoro, te laudo, te benedico tibique gratias ago. Siquidem tu cæcis visum, tu surdis auditum, tu leprosis munditiam, tu sanitatem languidis, mortuis tu vitam reddidisti. Nec solum beneficia corporibus, verum etiam animabus sanitatem restituisti. Hæc enim gloriosa miracula, hæc signa sola potentissima virtute tua, hoc est, omnipotentia tua divina fiebant; atque ideo in testimonium divinitatis tuæ atque veritatis salutiferæ, quam prædicabas, eadem convertebas. O Cor tuum piissimum, super omnes compatientissimum, qui neminem a te non consolatum abire sinebas! Omnium te mœror sauciabat, gravabatque Cor tuum piissimum singulorum calamitas, quia tu solus es, qui hominum laborem et dolorem consideras. Tibi enim derelictus erat pauper, orphano et pupillo tu eras adjutor. O quantum exultavit Mater tua pientissima in his, quæ de te gloriose fiebant! Quantum cæteri amici tui gratulabantur et tuo honori, et animarum ad te revertentium teque collaudantium saluti!

Pro commiseratione et compassione erga afflictos quosvis, precatio.

Dulcis Jesu, da mihi cor misericordissimum atque compatientissimum, quo omnibus afflictis condoleam, omnium tristitiam omnemque miseriam alienam, in corde meo, ut propriam sentiam et tanquam pia mater portem, omniumque indigentiæ affectuosissima atque exuberantissima cordis liberalitate hilariterque subveniam. Sana et tu, Jesu misericordissime, animam meam multis vitiis et passionibus malis languidam, ut his omnibus exuta, purissimo semper tibi amore inhæreat. Prædicetur et admirabilis fiat in me potentia et virtus gratiæ tuæ, quæ ex impio pium, ex tepido fervidum, et ex ignavo devotum me faciat et perfectum. Amen.

THEORIA QUADRAGESIMA SEPTIMA.

Evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, cæcis visum, dimittere confractos in remissionem. Isaiæ LXI, 1. Lucæ IV, 18.

47. Docuit. Recolo præterea zelum fervoremque tuum, misericordissime Jesu, quo animarum salutem sitiens procurabas, discurrens veluti amore ebrius erga nos per mundum, discipulosque mittens ante faciem tuam, pro ovibus tuis dispersis congregandis; evangelizans pacem, pœnitentiam et regnum cœlorum : idque tanta

Digitized by Google

vehementia et assiduitate, ut etiam cibum aliquando interea intermitteres, et interdum a mane usque ad vesperam jejunus prædicares. Heu, bone Jesu, quanta charitate, quanta spiritus vehementia, quanta verborum suavitate, populum docens, illum ad te trahebas. Quantum Cor tuum piissimum populi devotio post te currentis oblectabat; quantum cupiebas omnes congregare, quemadmodum gallina colligit pullos suos sub alas, ut omnium misereris, et omnes salvos faceres.

Pro zelo divini honoris salutisque animarum, precatio.

Da mihi, piissime Jesu, tui amorem ferventissimum, da mihi tui honoris animarumque zelum. Utinam cruciet me salubriter opprobrium tuum, delectet me honor tui; nihil me afficiat nisi tu, nihil contristet nisi delictum. Eia, Salvator piissime, doce me omnem facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Amen.

THEORIA QUADRAGESIMA OCTAVA.

Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum, quia solus pius es? Apocalypsis XV, 4.

48. Pius est. Domine Jesu misericordissime, piissime, clementissime, cujusque miserationum neque mensura est, neque numerus; quantam spem cunctis pœnitentibus veniæ hoc præbet, quantam fiduciam præstat desolatis ad te revertendi, quod peccatoribus hic adeo benevolum, pium, misericordem, affabilem, mitem, benignum atque compatientem te exhibuisti, quod morum tuorum honestissimo apparatu, quod verborum dulcedine, quod denique charitate in omnibus verbis, gestibus, moribus ac membris tuis flagrante ac se manifestante, peccatores invitabas, ad te trahebas, ad tui familiaritatem recipiebas, ut ad fiduciam et spem veniæ eos alliceres, benigne colloquendo atque cum eis manducando. Tu enim Zachæum, tu Matthæum, vasa iniquitatis in electionis phialas convertisti. Tu Magdalenam peccatricem in tui familiarissimam ardentissimamque amatricem atque discipulam mutasti. Tu in adulterio deprehensam, benignissime absolvisti. Et quis alius est, qui peccata dimittat nobis, nisi tu?

Pro peccatorum venia charitateque erga inimicos, precatio.

Ah, piissime Jesu, quantum animas diligis, qui erga tam ingratos et sceleratos peccatores tantam charitatem ostendis. Da, quæso, pie Jesu, mihi omnium sceleratissimo, de peccatis meis veniam, atque veniæ et gratiæ tuæ spem fiduciamque indeficientem. Da mihi pietatem, misericordiam, et in omnes latissimam charitatem, ut cunctis ignoscam, odientes diligam, malefacientibus benefaciam, atque profundissima meiipsius humiliatione, mansuetissima mititate, patientissimaque injuriarum tolerantia, ad charitatem eos convertam. Amen.

THEORIA QUADRAGESIMA NONA.

Pharisæi dixerunt: Hic non ejicit dæmones, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. Matthæi XII, 24. Lucæ XI, 15.

49. Injuria. Heu, bone Jesu, quantam a gente tua ingratitudinem, quantum odium pro charitate, pro beneficiisque ejus, quantas persecutiones et contumelias pro omnibus laboribus, prædicationibus ac bonis operibus, quantas injurias, quantas derisiones et detractiones pertulisti. Invidebant honori et famæ tuæ Scribæ et Pharisæi, atque indignis blasphemiis gloriæ tuæ detrahebant. Insidiabantur sermoni oris tui, et dolosis quæstionibus te circumvenire capereve moliebantur. Omnes actus, verba et opera tua iniqua æmulatione observabant, si possent contra te invenire, unde tibi calumniam struerent, miraculorum

Digitized by Google

gloriam atque divinitatis tuæ potentiam Beelzebub adscribebant; te fabrum fabrique filium, voracem, vini potatorem, insanum, publicanorum amicum, legis transgressorem, et samaritanum blasphemi appellabant. Ad extremum, eousque eorum processit insania, ut congregato concilio, necem tibi meditarentur, atque occidendum te, idque fore necessarium, prædicarent. Heu misericordissime Jesu, omnes cogitationes eorum vidisti contra te, et malignantium tibi insidias cognovisti. Verumtamen nihil illorum perversitate motus, e diverso tu pergebas eis benefacere. Curabas enim viam salutis vel invitis inferre, cæcitatem illorum miseratus. Ipsi omnes confitentes te esse Christum de synagoga ejiciebant; tu vero illos cœli cives efficere cupiebas. Ipsi tibi panem et hospitium prohibuerunt, tu vero illos regni tui cohæredes optabas.

Pro charitate erga inimicos, precatio.

Eia, Christe Jesu, da mihi perfectissimam charitatem ad universos, præcipue autem ad inimicos et me odientes, ut ex toto corde illis compatiens, eos perfecte diligam, excusem, ignoscam, et pro malis bona semper illis retribuam. Porro pro cunctis iis injuriis, persecutionibus et blasphemiis propter me, heu, bone Jesu, abs te toleratis, adoro, laudoque te, et bonitati charitatique tuæ immensæ gratias ago.

THEORIA QUINQUAGESIMA.

5o. Palmis. *Plurima turba straverunt vestimenta sua in via; alii autem cædebant ramos de arboribus et sternebant in via. Turbæ autem, quæ præcedebant et quæ sequebantur, clamabant dicentes : Hosanna, Filio David; benedictus qui venit in nomine Domini; hosanna in altissimis. Et cum intrasset Jerosolymam, commota est universa civitas, dicens : Quis est hic? Populi autem dicebant : Hic est Jesus propheta a Nazareth Galilææ.* Matthæi XXI, 8-11.

Mansuetissime Jesu, agne mitissime, quanta est mansuetudo Cordis tui, qui omnium injuriarum immemor, ad Jerosolymam, in qua te paulo post sciebas occidendum, lenis, mitis, mansuetus, ac super asinam sedens advenisti. Occurrunt turbæ et magno te honore suscipiunt, vestimenta exuentes et ea in via sternentes; alii vero ramis arborum et magno clamore laudem canentes, te introducunt; Scribis interea et Pharisæis acriori in te odio pariter ac invidia tabescentibus. Verum quid tu inter has laudes humillimus agebas? Videns civitatem flevisti super illam. Nihil enim horum laudibus motus exultabas, sed delicta eorum maxima, vindictam ultionemque peccatorum attendens, et desolationi atque futuræ illorum calamitati compatiens, multa lacrymarum effusione, civitatis, magis autem animarum excidium flebas. Demum templum intrans, ementes atque vendentes ejicis, atque domum tuam, domum adstruis esse orationis, justissimo zelo transgressoribus irascens.

Pro venia peccatorum, gratiarumque atque donorum Dei augmentatione, precatio.

Dulcis Jesu, ex fonte misericordiæ, quid aliud quam misericordia, pietas, clementia quoque et bonitas fluere potest? Atque ideo pro omnibus his, et pro sanctissimæ vitæ tuæ morumque omnium honestate ac innocentia, pro virtutibus tuis, pro beneficiis, pro eruditione salutifera, pro laboribus, pro itineribus, pro incommodis, ac ærumnis, pro miserationibus, pro lacrymis, pro persecutionibus denique iniquis, mei causa et pro me perpessis, adoro te, piissime Jesu, laudo, benedico et gratias tibi ago. Per hæc autem omnia, et per charitatem tuam infinitam, qua propter me hæc agere et pati voluisti, obsecro te, supplex et ante pedes tuos prostratus : Deus meus, miserere mei, et da mihi per illa plenam omnium peccatorum meorum remissionem. Potuisti hoc olim dare,

Digitized by Google

quandoquidem Mariæ Magdalenæ aliisque multis idipsum tribuisti; et si tunc venissem ego, mihi haudquaquam scio veniam negasses. Neque enim infirmior potentia, neque tibi, quam olim, nunc clementia est minor, nec etiam bonitate interim pauperior factus es, bone Jesu, sed idem ipse manes dives in miseratione, et bonitate copiosus in omnes. Aufer igitur a me per omnes miserationes tuas, obsecro, omnem delictorum meorum culpam, reatum atque pœnam; et præsta mihi ex abundantia miserationum et gratiarum tuarum hanc gratiam, dulcissime, amabilissime et fidelissime Jesu, ut te agente, ut tua gratia impellente, meque vincente, vitæ tuæ sanctissimæ devotissimus, castissimus integerrimusque imitator efficiar. Misericordissime Jesu, omnem vitam meam fac, quæso tibi, post hanc horam, quamdiu vivo, juxta sanctissimum supremumque beneplacitum tuum conformem, et ut nihil in omnibus intendam, nil quæram nisi teipsum. Sim interim in lacrymis pœnitentiæ, pie Jesu, donec post mortem, idque confestim, per tuas miserationes, palmam obtineam supernæ gloriæ. Qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto, vivis et regnas per omnia secula seculorum. Amen.

Digitized by Google

QUINQUAGENA SECUNDA THEORIARUM

IN PASSIONEM AGONEMQUE JESU CHRISTI, ET MŒSTISSIMÆ MATRIS EJUS DOLORES.

Ad primas Vesperas.

THEORIA PRIMA.

Abiit unus ex duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad principes sacerdotum, et ait illis : Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam ? At illi constituerunt illi triginta argenteos. Et exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet. Matthæi XXVI, 14-16. Marci XIV, 10, 11. Lucæ XXII, 4-6.

1. Venditur. O JESU, mundi salus et redemptio, o amor et nostrum desiderium, o thesaurus incomparabilis et indeficiens, o refectio animarum tui amore languentium, quanta est cæcitas, quanta infirmitas, quam morbida infectio mea ! quomodo fit, ut vilia caducaque hujus mundi tibi anteferam ? Heu, quomodo te possum deserere, aut aliud præter te diligere ? Et quomodo te quis potest respuere, desiderabile lumen, aut quomodo tibi quis potest aliquid anteferre, o nobilissime, nisi totus infectus, totus corruptus, totus malitia plenus ? Quam sapienter hoc sapiebat sapientissima discipula ferventissimaque amatrix tua, Maria Magdalena ; cui nihil præter te magnum, nihil præter te erat pretiosum ; cui, quidquid in honorem tui fecisset, parum, ut revera parum erat, videbatur. Hæc enim postquam omnia corporis sui membra in sanctificationem, et in tui ministerium mutaverat ; ubi se totam sacrificaverat, suas quoque divitias in te cupiebat expendere omnes, ut ad tui honorationem easdem converteret, et uberrimæ suæ devotioni satisfaceret. Eapropter, appropinquante Passionis tuæ tempore, unguentum pretiosum comparavit, quod super caput recumbentis effudit. Unde perversus discipulus tunc Judas, fur et avarus, occasionem sibi sumpsit peccatis veteribus detestabile hoc crimen adjiciendi, ut te susceptorem suum, Magistrum suum, Dominum et Deum suum, pro vili pecuniola, puta pro triginta argenteis, Judæis in mortem venderet, adeo parvi faciens te, inæstimabile bonum, ut etiam in arbitrium ementium poneret pretium, accepturus quidquid illi dare vellent. Hunc animum discipuli, hanc fraudem, hoc crimen, tu, piissime Jesu, licet diu ante scivisses, nullum tamen signum aut rancoris aut stomachi, sed ne austerioris quidem vultus, in indicium illi ostendebas. Continuabas amorem, continuabas beneficia, nec ullo modo a communione familiaritatis aut mensæ illum separabas, propter ineffabilem mansuetudinem tuam, dulcis Jesu, qua aut illi prodesse, aut emendare illum cupiebas. Heu, amantissime Jesu, sciebas furem, sciebas proditorem, et nihilo minus in officio procurationis eum tolerasti, ne quod occultum erat in eo crimen, faceres manifestum.

Pro divinæ charitatis incremento remissioneque peccatorum, precatio.

AGE nunc, benignissime Jesu, pro hac charitate et tranquillitate tua adoro te, laudo et benedico, oroque ut me confirmes in perpetua charitate, qua nihil tibi unquam præponam ; sed te in omnibus et super omnia diligam, eligam et præferam semper. Ignosce, quæso, quod pro vili delectatione creaturarum, pro peccato et pro re nihili bonitatem tuam adeo nimis frequenter vendidi, contempsi et reliqui, vilissima quæque tibi præferens. Deus meus,

Digitized by Google

Deus meus, sufficiat hactenus deliquisse : deinceps esto tu mihi posthac charissimus in omnibus, et super omnia. Omnia pro tui amore relinquam, omnibus valedicam et renuntiem, ut tibi soli inhærere, te solum possidere queam. Amen

THEORIA SECUNDA.

Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum. Matthæi XX, 18.

2. Abscedit. Benignissime Jesu, quo corde nunc recolam triste illud divortium, quo tu iturus Jerosolymam, ibique mansurus et moriturus, tristem relinquebas desolatamque Matrem ? Heu, qua narratione Passionis ei tuæ seriem ante exposuisti ? Si enim discipulis hanc prædixisti, quomodo taceres Matri ? Heu, quibus ei valedixisti verbis, in quantis eam lamentis et lacrymis flens ipse (ut reor) dimisisti ? Siquidem vita te habuit chariorem, nec tibi creatura charior esse potuit aliqua, quam Mater hæc scilicet, quæ erat innocens tota, pulchra tota, immaculata tota, utpote quæ nunquam offendit, nunquam displicuit. Hanc tamen propter nos deseruisti.

Pro fidelitate filiali, precatio.

Heu, dulcissima Maria, piissima Mater, ego sum causa tristissimæ hujus separationis. Ecce pro me vadit Filius tuus in mortem, ulsciscere, quæso, in me hanc injuriam tuam, et me pro Filio recipe. Heu, Domina mater, scio non esse me dignum vocari filium tuum, licet esse cupiam : fac igitur per Cordis tui misericordiam, ut fiam, ac vere et digne fiam, quia esse cupio filius tuus. Dic ut Mater mea sis, mihique bene sit propter te. Dulcis Jesu, da ut charissima et pretiosissima quæque pro tui amore libenter relinquam, omnia arbitrans ut stercora, quo te lucrifaciam ; fac ut abs te nunquam recedam, imo nunquam a te separari queam, charitate tua me penitus in te absorbente, et gratia tua me confirmante, dulcis amator, Jesu. Amen.

THEORIA TERTIA.

Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis. Et edentibus illis, dixit : Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est. Et contristati valde, cæperunt singuli dicere : Numquid ego sum, Domine ? At ille respondens, ait : Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. Filius quidem hominis, vadit, sicut scriptum est de eo. Væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur. Matthæi XXVI, 20-24.

3. Cœnat. Jesu benignissime, amator paupertatis et obedientiæ observator, instante Passionis tuæ tempore, ultimum pascha cum tuis discipulis comedere voluisti. Verum, ut dixi, pauper neque domum in qua comederes, neque agnum habuisti, quem immolares, vivens ex eleemosyna sola devotarum feminarum tibi ministrantium. Dulcis Jesu, præmissis itaque duobus discipulis, qui pararent pascha, tu cum reliquis paulo post urbem es ingressus, ubi nocte proxima ipse veluti agnus mansuetissimus, impie ac crudeliter eras tractandus, et pro nobis verum pascha immolandus.

Pro zelo divinæ legis, charitateque erga inimicos, precatio.

Pro hac obedientia tua et observantia legalis paschæ, ad quod desiderio diu desiderasti, quo illud vetus ac novissimum terminares, novum inciperes ; pro humilitate quoque, qua Rex cœli cum pauperculis discipulis in eadem mensa sedens, ex eodem catino cum eisdem, Juda etiam præsente, manducabas. Pro charitate item, qua Judam commensalem a cœpto scelere, generali admonitione, revocare conatus es, adoro, laudo et benedico te, pie Jesu : da mihi, quæso, obedientiam perfectam, qua strenue atque discrete legem tuam

Digitized by Google

omnem impleam, omnique proprietati sensus, consilii, voluntatis atque amoris penitus abrenuntiem. O quam felices sunt hi, Jesu clementissime, qui ad cœnam agni vitæ ingressi nunc sunt, qui tecum nunc epulantur in mensa tua! Fac me unum ex his tuis convivis, per omnes miserationes tuas te obsecro. Amen.

THEORIA QUARTA.

Sciens Jesus, quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit, surgit a cœna, et ponit vestimenta sua; et cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde misit aquam in pelvim, et cœpit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo, quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas pedes? Respondit Jesus et dixit ei: Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea, etc. Joannis XIII, 3-7.

4. Lavat.

Offero nunc tibi, benignissime Jesu, humilitatem tuam illam profundissimam, suavissimamque charitatem, quam discipulis in hac cœna exhibuisti. Siquidem cum scires quod Pater omnia tibi dedisset in manus, et quod a Patre exieras ad eumdem rediturus, quodque tuos, quos ab initio dilexeras, usque in finem diligebas, surrexisti a cœna, et positis vestimentis linteoque præcinctus, venisti ante discipulorum tuorum pedes: quos ubi flexis humiliter genibus et procumbens, officiosissime laveras atque exterseras, osculo etiam benedicti oris tui affectuosissima illos dignatus es charitate; charitatis exemplum nobis tribuens in temetipso, et præceptum statuens conformia charitatis humilitatisque officia fratribus faciendi.

Pro humilitate et charitate, precatio.

O utinam, piissime Jesu, hoc humilitatis tuæ exemplum me penetret, et omnem altitudinem ac præsumptionem in me dejiciat, ut omnibus profundissima humilitate me subjiciam, et latissima charitate cunctis hilariter inserviam. Lava etiam me, quæso, in Sanguine tuo ab omni affectione impura, ab omni intentione vitiosa, et ab omni cogitatione non sancta. Amen.

THEORIA QUINTA.

Manducantibus illis accepit Jesus panem, et benedicens fregit, et dedit illis, et ait: Sumite, hoc est Corpus meum. Et accepto calice, gratias agens, dedit eis: et biberunt ex hoc omnes. Et ait illis: Hic est Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur. Marci XIV, 22-24.

5. Instituens dat.

Stupet anima, o Deus, qui es mirabilis in omnibus donis tuis, amoris tui magnitudinem erga nostram vilitatem, iniquitatem et ingratitudinem nimiam. Nempe cui non satis videbatur pro nobis incarnari, nasci, pati, et velle mori: nisi etiam post hæc et reliqua omnia beneficia tua teipsum dares, nobisque relinqueres in cibum et potum; et hoc in dilectionis tuæ omniumque beneficiorum tuorum fieri volebas memoriam. Hac igitur in cœna ultima, Corporis et Sanguinis tui Sacramentum instituens, discipulis tuis te, sub utraque hac specie, sumendum dedisti, nobisque omnibus idipsum faciendi usque in finem mundi potestatem eamdem, data sacerdotibus solis consecrandi et forma et auctoritate, reliquisti.

Heu, Jesu amantissime, quam admirabilis est dignatio charitatis tuæ erga nos! Licet enim satis præscires multifariam te a nobis quotidie offendendum, licet omnes præcognosceres abominationes et ingratitudines nostras, nec ignorares hoc honorandum tremendumque Sacramentum a multis quam impie foret tractandum sumendumque: fortis tamen ut mors dilectio tua, quam ad tuos habes electos, adeo te vicit, ut cum eisdem manere usque ad consummationem seculi, pro deliciis computares. Heu, dulcis Jesu, quæ est ista

Digitized by Google

pietas tua, quæ hæc charitas, ut dicas tibi delicias esse cum filiis hominum ! Heu, quid in nobis est, quod non fœdum, obscurum, abominabileque sit, quod non stomachum nauseamque tibi magis provocet quam delectationem ! Et tamen adeo nos diligis, ut optes etiam nobis benefacere, a nobis velis tractari et manducari.

Pro gratia devote reverenterque accedendi ad sacram communionem Eucharistiæ, precatio.

Pro hac charitate tua, pro hoc præcipuo beneficio tuo, pro omnibus bonis in hoc Sacramento nobis collatis, et contra omnem irreverentiam ac contumeliam, quam a me cæterisque tuis fidelibus sustines, adoro, laudo, benedico te, ac gratias tibi ago : obsecrans te per eamdem charitatem tuam, qua teipsum nobis dedisti, ut ad hujus Sacramenti frequentationem cor meum desiderio ferventissimo accendas, et accedere me facias semper cum intima devotione ac reverentia, cum profundissima humilitate et sincerissima puritate cordis. Ah, amabilissime Jesu, utinam semper te esuriat sitiatque anima mea ; utinam tui amore mens mea langueat, utinam nullam consolationem extra te recipiat, tui solius amore capta. Dulcissime Jesu, quotiescumque dignatio tua admiserit, ut ad hoc Sacramentum tuum accedam, fac ut in unione amoris hujus, quo hoc ipsum instituens nobis dedisti, devotissime humillimeque accedam : fac quoque per illud me a peccatis, a vitiis, a negligentiis denique omnibus expiari, ardentiori perfectiorique charitate repleri, ac potentius firmiusque tibi uniri. Amen.

THEORIA SEXTA.

Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, etc. Joannis. XIII, 34.

6. Prædicat. Recolo nunc, benignissime Jesu, spiritum illum dulcedinis, spiritum ferventissimæ tenerrimæque dilectionis, quo discipulos, sicut mater filios, fovebas, idque tunc maxime, quando instabat hora separationis tuæ ab eis. Quam separationem, quia mox erant visuri, ne propter infirma quæ eras passurus, aut per mortem tuam ipsi scandalum paterentur, aut se arbitrarentur deceptos, quasi qui frustra tui amore cuncta reliquissent, cum jam ipse tu quoque, in quo speraverant, et cui se credideRant, quem denique adeo amaverant, ipsis, ut putabant, perisses : ideo præmonuisti eos, tristitiam quidem dicens eos passuros, te abiturum ; sed rediturum, denuoque ab eis cum gaudio videndum. Promisisti quoque Spiritum Sanctum eis affuturum, quo instituerentur confortarenturque in omnibus ; pro cujus receptione adeo aiebas tuam esse mortem necessariam, ut, nisi abires, ille ad eos non veniret. Promisisti quoque eos in omnibus, quæ peterent, exaudiendos, pacemque monuisti inter adversa tuam ut habere curarent. Exhortabaris præterea eos ad unitatem et concordiam, dans charitatis præceptum ; atque hujus, quo habere se eamdem nossent, evidens ponebas signum, quod erat : si præcepta tua servaverint. Teneritudinem denique amoris tui in eos ostendisti, vocans eos non servos, sed amicos atque filiolos. Postremo, ut futuras calamitates et mundi odia perferre possent, admonitos Patri commendasti, pro eis orans, quo faceret, ut sint unum cum ipso. Hæc autem omnia, quæ in pectus dilecti discipuli tui Joannis tunc super pectus tuum recumbentis infudisti, non solum discipulis, verum omnibus etiam nobis suavissimo longoque sermone locutus es.

Pro charitate ad omnes homines nuditateque spiritus, precatio.

Pro hac quoque charitate millies te laudo, adoro et benedico atque tibi gratias ago, orans te, piissime Jesu, ut mihi perfectissimam integerrimamque charitatem des indeficientem, qua omnes ho-

Digitized by Google

mines, sicuti tu nos, diligam ; quo inter omnia quoque adversa et tentamenta tibi inseparabiliter inavertibiliterque inhæream ; qua denique per abyssalem meiipsius abnegationem ac relictionem, per denudationem quoque omnis privati affectus, tibi uniri unumque tecum effici merear. Dulcissime Jesu, scribe quoque illum ipsum sermonem, quem tunc locutus es, imo sermonis hujus spiritum, qui in te loquebatur, et quo servari oportet ea quæ docuisti, in cor meum, ut in me, de me, et per me omni tempore impleatur atque perficiatur omnis tua sancta beneplacentissimaque voluntas. Amen.

Ad Completorium primum.

THEORIA SEPTIMA.

Et venit Jesus in prædium, cui nomen Gethsemani. Et ait discipulis suis : Sedete hic, donec vadam illuc et orem. Et assumit Petrum et Jacobum et Joannem secum : et cœpit pavere et tædere. Et ait illis : Tristis est anima mea usque ad mortem ; sustinete hic et vigilate mecum. Et cum processisset paululum, procidit in faciem suam super terram, et orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora, et dixit : Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt ; transfer calicem hunc a me : sed non quod ego volo, sed quod tu. Marci XIV, 32-36. Lucæ XXII, 42.

7. Exivit.

Piissime Jesu, oppressorum liberator consolatorque mœstorum, offert tibi nunc anima mea ultroneam oblationem tuiipsius in mortem, quando exivisti civitatem et intrasti hortum, ut, quemadmodum hostes tui cupiebant, solum te et sine turbis invenirent, opportunitatemque tecum, quæ vellent, agendi obtinerent : ita tu quoque illorum votis non contradicens, te inveniendum obtulisti. Itaque sicut Adam in horto deliquit, ita in horto tu satisfactionem pro peccatis nostris incipere voluisti ; et ad locum, ad torcular videlicet imminentis Passionis, ultro, comitantibus te discipulis, properasti. Prædixisti autem discipulis in hoc itinere, omnes in te scandalum passuros, atque abs te recessuros, Petrum vero te negaturum.

Pro voluntatis divinæ impletione, precatio.

Dulcissime Jesu, da mihi propriam funditus exire voluntatem, tuam sequi, nec aliam præter tuam scire, ut mihi promptus devotusque semper sit animus ad quævis pro tui honore paratus.

THEORIA OCTAVA.

Cœpit Jesus contristari et mœstus esse, aitque discipulis suis : Tristis est anima mea usque ad mortem. Matthæi XXVI, 37, 38.

8. Tristatur.

Dulcis Jesu, lætitia Sanctorum omnium, et gaudium justorum, adoro, laudo, benedico te, et gratias ago, pro tristitia illa maxima, propter nos ultro assumpta. Hac enim cœpisti pavere et mœstus esse, dicens : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Dulcis Jesu, quam triste et afflictivum erat, te videri tristem ! Tristabaris autem pro peccatis singulis omnium nostrum, ut sicut per pœnam corporis pro iis eras satisfacturus, ita etiam in animo tristitiam, aversionem et dolorem pro eisdem sentires. Multum etiam judaici populi, gentis videlicet, cui peculiariter missus adveneras, ingratitudo Cor tuum piissimum afflixit, Sanguinem et mortem tuam crudeliter nimis sitientis. Siquidem hanc tibi gentem licet olim peculiariter elegeras, ex Ægypto liberaveras, multis signis et prodigiis de captivitate ad terram promissionis eduxeras, pane cœli paveras, viam deserti nocte per columnam ignis, die vero per columnam nubis monstraveras : præter hæc tamen et alia beneficia multa, hoc uno ipsam reddidisti

Digitized by Google

clarissimam, quod ex ea Virginem tibi elegeras, ex qua carnem et sanguinem sumens, de illorum, hoc est Judæorum, genere nasci voluisti, inter ipsosque Deus homo dulciter conversatus, ore tuo benedicto Evangelium eisdem prædicasti, et infirmos eorum curasti. Quibus tamen omnibus ingrati, jam jamque facta conspiratione, moliuntur te occidere.

Dulcis Jesu, multa bona ostendisti eis, propter quod horum volunt te occidere? Te volunt occidere piissimum benefactorem, sapientissimum doctorem, Dominum Deumque, creatorem suum. Verum non minus afflixit te Christianorum futura impietas et ingratitudo : quandoquidem hi majora ex morte tua suscepturi erant gratiarum charismata, quam tunc receperant Judæi ; quorum tamen iniquis operibus non semel, sed quotidie te sciebas crucifigendum. Heu, misericordissime Jesu, horum unus et maximus ego sum. Quippe qui tamdiu, tot tantisque sceleribus misericordissimum et benignissimum Cor tuum afflixi. Tristabaris præterea, quod tantæ Passionis acerbitas, tantaque moriendi pro nobis charitas, a cordibus hominum tam cito erat projicienda, adeo ut paucissimi erant futuri, qui tantæ charitati gratias agerent, aut qui tanti beneficii memores, perciperent fructum, licet hic adeo foret copiosus, ut adhuc mille mundis sufficeret redimendis. Passionis namque ipso tempore, Sanguine tuo noviter fuso et adhuc calente unum latronem obtinuisti, dum interim intimi quos habebas, aut a te fugiebant timidi, aut scandalizati dubitabant : adeo ut etiam Apostolorum princeps te negaret, alius venderet ; quæ res non parum piissimum Cor tuum tristitia afflixit. Itaque vulnerabat Cor tuum damnandorum numerositas, et compassionis tuæ erga illos magnitudo. Verumtamen non tristabaris, nisi quia voluisti. Quis enim te, omnipotens, sancte metuendeque Deus, contristaret? aut quis te tristitiam doloremque tantum, nullo adhuc hoste præsente, ut assumeres cogeret, nisi tua immensa infinitaque charitas? Hæc profecto fecit te contristari, quæ te fecit et mortem subire. Potuisses sane minori nos dolore redimere. At hoc non sufficiebat charitati tuæ, puta, ut nos liberares potestate, sed voluisti nos redimere justitia, pœnarumque æquivalentia atque satisfactione peccatis nostris æqua. Neque enim attendere volebas, quanta Passionis tuæ esset virtus, nec quod delere posses per divinitatem tibi unitam peccatorum infinitum acervum, nec illud quoque respexisti, quod una Sanguinis gutta, ob patientis excellentiam et dignitatem, pro peccatis mundi cunctis satisfaceret : sed quantus, secundum humanam naturam atque per æquam delictorum nostrorum commensurationem, dolor foret in expiationem eorumdem necessarius, tantum pati voluisti : quasi omnia mundi peccata in una jacerent lance stateræ, et tu in altera tot passiones poneres in corpore tuo tolerandas, donec peccatorum nostrorum gravitas doloribus tuis foret levior atque minor. Atque ideo non sufficiebant tibi pœnæ, quas cruentæ manus tortorum deforis infligebant, nec satis erat charitati tuæ quidquid externa pœnarum læsio inferebat, sed pro uberiori perfectiorique satisfactione secundum viam justitiæ, ad ostendendam erga nos amoris tui ineffabilem magnitudinem, ultro in temetipso dolorem tristitiamque assumpsisti, tantam scilicet, quanta divinæ sapientiæ tuæ atque justitiæ par esse, atque peccatis nostris eluendis sufficere videbatur.

Adversus levitatem tristitiamque omnem, precatio.

Dulcis Jesu, ab inepta, quæso, lætitia, ab omni etiam mala tristitia libera et præserva me. Non sinas me, piissime Jesu, in pusillanimitatem, desperationem obstinationemve cadere, sed ut profundissima humilitate, sancta compunctione atque vera contritione, peccata mea defleam,

Digitized by Google

quemcumque tui contemptum medullitus doleam, et in tuis miserationibus, in tua bonitate toto corde immobiliterque confidam.

THEORIA NONA.

Jesus procidit in faciem suam super terram, orans et dicens : Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat. Matthæi XXVI, 39.

9. Et orat.

Recordare, bone Jesu, profundissimæ illius humilitatis, attentæque orationis, quam separatus a discipulis ad Patrem fudisti, flexis genibus, atque deinde in faciem prostratus, dicens : *Pater si possibile est, transeat a me calix iste.* Dulcissime Jesu, ad probandam veritatem humanæ naturæ assumptæ, ad infirmitatisque nostræ consolationem, mira dispensatione, et pavorem mortis et pœnarum horrorem in te suscepisti. Ecce enim tu, Domine virtutum, qui paulo ante discipulos ad certamen longa exhortatione roborasti, nunc personam geris moremque infirmorum evadere cupientium. Nam quasi animo viribusque destitutus, transferri abs te calicem petis, quem tanto tempore hactenus et adhuc incredibili desiderio sitis, propter quem etiam bibendum, et meam naturam, et mei causa assumpsisti. Verum totum hoc ad instructionem, ut dixi, consolationemque nostram fecisti : docens nos, si naturæ infirmitas sensualitasve remurmuret, nihil nobis id nocere posse, modo rationalis voluntas parata tibique ad omnia inveniatur subjecta : atque ideo tu quoque, licet naturaliter pœnam mortemque horreres, tamen sine contradictione, absque ullo renisu, sponte libereque in voluntatem Patris tui resignasti te, dicens : *Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.* Non mea, inquis, qua liberationem posco, naturæ infirmitatem et quid illa optet indicans ; sed tua fiat, cui totus consentio, et idipsum volo. Ah, misericordissime Jesu, pro hac charitate tua, et contra omnem ingratitudinem meam, adoro te, laudo, benedico, et gratias tibi ago, obsecroque te per infinitam misericordiam tuam, da mihi perfectissimam abnegationem atque relictionem meiipsius, qua sine ulla optione electioneve privati commodi aut amoris, totum offeram, totum tibi me resignem in omne beneplacitum tuum.

Pro animi fortitudine inter quævis adversa, precatio.

Dulcis Jesu, fac ut, quæcumque mihi adversa eveniunt, non subterfugiam, non retrocedam, sed forti hæc animo, flagrante desiderio, patientissimo corde, ardentissimaque charitate de manu tua suscipiam, me tibi credam, tibi confidam, nec aliquid aliud, quam ut voluntas tua in me et in omnibus fiat, cupiam, orem, diligam et gaudeam. Amen.

THEORIA DECIMA.

Jesus cum surrexisset ab oratione, et venisset ad discipulos suos, invenit eos dormientes. Lucæ XXII, 45.

Jesu piissime, qui es exemplum et omnium forma virtutum, docuisti nos, quomodo vel orationi vacantes non debeamus proximorum oblivisci. Siquidem tu in oratione constitutus, mœrore perfusus, atque in re arduissima cum Patre tractanda occupatus, tuorum tamen, utpote quos tibi Pater dederat, non oblitus, eorum curam, quippe quorum tristitiam tuæ anteferebas, egisti. Nam ab oratione surgens, ter illos pavidos dormientesque visitasti, excitasti, atque ad orandum sese ut converterent monuisti, haud dubium ipse quoque eosdem, oratione super eos fusa, protegens ac roborans, affectumque tenerrimi Cordis et affectuosissimæ compassionis illis impartiens. 10. Ad illos.

Pro alacritate spirituali, precatio.

Jesu amantissime, hæc, quæso, me charitas tua foveat, hæc protegat, excitet,

Digitized by Google

currereque faciat alacriter in omne beneplacitum tuum. Heu, Jesu bone, acediam meam in servitio tuo, heu teporem et negligentiam, heu infirmitatem, vilitatem, ingratitudinem et malitiam meam! Ubique et in omnibus, dulcissime Jesu, tu mihi necessarius es, tua gratia ubique et semper egeo. Hæc igitur, quæso, me nunquam derelinquat, sed vigilem, strenuum, alacrem fortemque in omni tentatione faciat. Non me sinas, quæso, piissime Jesu, in tentationem ingredi, non sinas concupiscentia nec suggestione mala me vinci, nec etiam hostium insidiis decipi; sed tuis sanctis instinctibus auscultare, eosque juxta beneplacitum tuum vigilantissime obedientissimeque semper perficere. Dulcis Jesu, da mihi quoque cor ad omnem proximum misericordia, pietate, compassione atque juvandi studio plenum et effluentissimum. Amen.

THEORIA UNDECIMA.

Egressus Jesus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum. Secuti sunt autem illum et discipuli ejus. Et cum pervenisset ad locum, dixit illis : Orate, ne intretis in tentationem. Et avulsus est ab eis, quantum jactus est lapidis. Et positis genibus orabat dicens : Pater, si vis, transfer calicem istum a me, verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum. Lucæ XXII, 39-43.

11. Angelus. Ah, clementissime Domine Jesu Christe, in illa Cordis tui pressura et oratione prolixa, dum recordor paternæ illius consolationis per Angelum tibi missæ, quæ fuit, ut ires ad omnia patienda, non tam futura, quam animæ tuæ jam præsentia, faceresque tibi semen longævum, desponsares tibi Ecclesiam in Sanguine tuo lavandam atque dealbandam, quæreres colligeresque oviculas, quæ dispersæ perierant, peccatores pœnitentes et amicos tibi faceres, salvares omnes : dum, inquam, hanc Patris confortationem, qua non a morte te exemit, sed ad mortem destinavit, recolo : quid habeo, bone Jesu, nisi ut plorem, tibique condoleam? quippe qui mei causa hæc patienda suscepisti. Porro si mente revolvo tuam humilitatem, qua tu Rex Angelorum et Dominus, tu mundi Creator, quasi Deum ac Dei te nescires Filium, ab Angelo, a servo, a tua creatura confortari te voluisti, quomodo possum non erubescere de superbia et præsumptione mea, qui mihi sufficiens videor, nec meam infirmitatem, atque quam prorsus nihil sum, attendo?

Pro fortitudine resignationeque animi, precatio.

Conforta me, o superbenedicte Jesu, non solum Angelo sancto, sed et plenitudine gratiæ tuæ, et fac ut, in omni adversitate, in omni timore et tristitia, me totum in manus fidelissimas providentiæ tuæ, in manus paternæ curæ, in Cor tuum piissimum atque misericordissimum tibi offeram, plenissimaque resignatione me totum in te projiciam, et omnia ventura de manu clementiæ tuæ libenter suscipiam, atque cum omni gratiarum actione sustineam. Amen.

THEORIA DUODECIMA.

Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Lucæ XXII, 44.

12. Et sudat. Heu, bone Jesu, quantum tunc anima tua, dum inter orandum remorabaris prolixius, angustiabatur, dum omnino mori et cuperes et horreres! Interim namque dum passionum instantium tuarum multiplicitas, varietas enormitasque, earum videlicet, quas eras subiturus; ignominiosa item opprobria et mors, quæ pavebas, imaginationi tuæ occurrerent, simul etiam ardentissimum patiendi ac nostræ redemptionis desiderium in tuo Corde fer-

Digitized by Google

vebat : itaque pro naturæ infirmitate, quam absque peccato assumpseras, voluisti etiam pavorem mortis gustare, quia mortem vehementer horrebas, idque propter nobilitatem excellentissimam, innocentiamque tuam purissimam, utpote a debito mortis alienus; nihilominus tamen interea moriendi pro nobis desiderium, atque nostræque redemptionis amor, quo æstuabas, ad moriendum te impellebant. Unde sentiebas quasi diversorum contrapugnantium votorum in Corde tuo tumultum, veluti duorum fluctuum e diverso sibi vehementer impetuoseque occurrentium. Quamobrem prolixius Patri supplicans, consummationemque tui per passiones mortis eidem commendans, in agonem venisti, quo adeo es concussus, dum hinc formidares, illinc desiderares mortem, ut fieret sudor tuus veluti sanguinis effusio decurrentis in terram. Heu, pie Jesu, si Passio tua tibi adeo fuit dura vel meditata, quantum torsit animum tuum et corpus exhibita !

Pro lacrymis compunctionis et compassionis, precatio.

Heu, quod oculis non lacrymantibus hæc cogitare possum ! Heu miserum me, quod durum cor meum hac Cordis tui angustia non scinditur ! Tu in agone pro me constitutus, præ angustia et pressura Cordis, emisisti toto corpore Sanguinis guttas; ego neque tibi, neque mihi compatiens, emittere nequeo gemitus aut lacrymas. Dulcis Jesu, da mihi veram, amaram dolorosamque contritionem et compunctionem cordis, qua contemptum, rebellionem, blasphemiam ingratitudinemque, quibus Cor tuum adeo sæpe, quantum in me est, afflixi, ex toto corde meo inconsolabiliter lugeam. Sint mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, quod longanimitatem charitatemque tuam piissimam, non solum non colui, sed sprevi etiam, tua præcepta superbe transgrediens. Heu, Jesu pie, fleant omnia corporis mei membra, exsudent sanguineas contritionis lacrymas, quod tam bonum, tam amandum tamque benignissimum te Deum toties offendi, quod tam diræ angustiæ, tamque horrendæ Passionis ac mortis tuæ causa fui, quod denique tantæ charitati et misericordiæ tuæ adeo hucusque ingratus permaneo. Iterum opto, ah, utinam, dulcissime Jesu, corporis mei membra cuncta solvantur in lacrymas ! Et quia sanguinis nequeo, saltem cordis et oculorum gemitus lacrymasque præ tui amore, quem, heu, adeo sæpe offendi, inconsolabiliter indesinenterque fundam. Amen.

Ad Matutinas.

THEORIA TERTIA DECIMA.

Jesus sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit eis obviam, et dixit eis : Quem quæritis? Responderunt ei : Jesum Nazarenum. Dixit eis Jesus : Ego sum. Ut autem dixit eis : Ego sum, abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. Joannis XVIII, 4-6.

13. Redit obvius.

Mitissime Domine, Jesu Christe, quid dicam, aut quas tibi gratias agam, quod ab oratione surgens, totus madefactus præ nimio sudore, totusque debilis ex agonia, ultro voluisti ad Passionem proditori hostibusque tuis occurrere ? Ad discipulos propterea vadens : *Surgite,* inquis, *appropinquat hora, et qui me tradet, prope est.* Heu, pie Jesu, quam triste est nuntium hoc mœstis discipulorum cordibus. Itaque obvius is hostibus tuis, lucernis, facibus, fustibus et gladiis te quærentibus. Quos ubi, quem quærerent, inquiris, illisque respondentibus : Jesum Nazarenum; ego sum, inquis; ad quod verbum, Jesu potentissime, illi supini in terram retrorsumque ceciderunt. Senserunt nimirum si voluissent sapere, contra te nihil se posse, nisi permitterentur, et nisi tu ipse velles : quandoquidem ne cognoscere te quidem potuerunt, tantum abfuit

Digitized by Google

ut capere lædereve, nisi tua permissione, te valuissent. Dulcis Jesu, occasionem illis si converti resipiscereque voluissent, præbere voluisti ad salutem, nobisque simul ostendere, quam voluntarius pro nobis ad patiendum ires; quandoquidem obvius hostibus ibas, et his prostratis nihilque potentibus, ab oculis eorum non recedebas, sed surgendi facultate concessa, iterum illos, quem quærerent, interrogans, iterumque te illis significans, tandem quo etiam cognoscere te possent, copiam illis fecisti.

Pro resignatione ad quævis adversa, precatio.

Christe Jesu, da mihi resignatum obviumque habere animum in omnia tua beneplacita, et adversitates non fugere, sed alacriter humiliterque illis occurrere, proque tui amore hilariter eas amplecti, et æquanimiter ferre. Amen.

THEORIA QUARTA DECIMA.

Judas accedens ad Jesum, dixit: Ave, Rabbi. Et osculatus est eum. Matthæi XXVI, 49.

14. Oscula. Mansuetissime Jesu, in illa hora captionis tuæ instantis, dum hostibus dedisses licentiam, suam in te malitiam crudelitatemque exercendi, accessit te fraudulentus dolosusque proditor tui Judas, qui hostibus tuis hoc signum proditionis dederat, ut eum quem ipse oscularetur, Christum esse agnoscerent. Accessit itaque simulator pessimus, te latere putans infidelitatem suam, et dedit tibi osculum, dicens: *Ave, Rabbi.* Heu, bone Jesu, et quid tu ejus secreta sciens, faciebas? Numquid indignabaris? Num a te illum fugabas? Numquid beneficia illi tua exprobrabas? Minime. Verum hoc, quod nos quoque inimicis nostris exhibere volebas, fecisti; caput inclinasti, memorque fragilitatis humanæ, suavitatem dilectionis in vultu, moribus et animo exhibuisti, osculandum te præbuisti, benigne amicum, ne desperaret, vocasti; peccatum quoque suum, ut agnosceret et in gratiam tuam redire quæreret, simulatam ejus amicitiam, revera autem proditionem, te non latere commonstrasti.

Adversus quamvis malevolentiam et rancorem ad inimicos, precatio.

Ah, Jesu optime, pro ineffabili hac tua mansuetudine, pro indicibili suavitate atque amoris tui dulcedine, pro longanimitate et patientia, qua illum insidiantem tam benigne tamque diu sustinuisti, dilexisti, monuisti, atque quo conversus rediret, blandum te illi exhibuisti: adoro, laudo et benedico te, obsecrans te per inæstimabilem misericordiarum tuarum effluentiam, da mihi charitatem, pietatem, misericordiam et compassionem ad omnes, præcipue autem ad inimicos, persecutores aut me calumniantes, ut illos pie supportem, ignoscam, nihil illis imputem; sed orando et benefaciendo placare omnes studeam. Dulcis Jesu, infunde mihi perfectam charitatem, qua omnes inimicos perinde ac præcipuos amicos diligam. Non sit, quæso, nec inveniatur in corde meo unquam amaritudo, malevolentia, rancor, displicentia aut odium. Piissime Jesu, da mihi in simplicitate cordis, in pace et charitate, simplici corde omnium dicta et facta intelligere bonique consulere, adulantium tamen linguis et osculis non acquiescere. Amen.

THEORIA QUINTA DECIMA.

Et cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum. Lucæ XXII, 51.

15. Sanat. Christe Jesu, fons bonitatis et pietas ipsa, unde nihil emanat nisi quod bonum est, utpote pietas et misericordia. Quid enim aliud, dulcis Jesu, a te processit unquam, quam misereri, parcere, compati, diligere, servare, benefacere, consolari et

Digitized by Google

redimere ? Hoc in illa hora, etiam dum instaret tempus captivitatis tuæ, in te emicuit, videlicet quam non posses sustinere hostes tuos lædi, quibus omni tempore cupiebas benefacere. Siquidem dum adessent, qui te caperent hostes tui et jam jamque sacrilegas manus pararent, eum, qui cæteris ferocius insistebat, Petrus, exempto gladio, percussit, et amputavit auriculam ejus dexteram. Verum, tu piissime, neminem volens lædi, non solum Petrum arguens, prohibendo a percussione deterruisti, verum etiam percussum hominem, aurem illi restituens abscissam, sanasti ; quo declarares te vere pium ac misericordem, qui ne impiis quidem persecutoribus aliud præter beneficia præstare posses.

Pro misericordia compassioneque, precatio.

Ah, bone Jesu, hac compassione tua quid dulcius ? Quid tua desiderabilius erga nos charitate ? Noli igitur, quæso, pie Jesu , memor esse iniquitatum mearum neque ingratitudinum : quia et si memor esse voluisses, jam olim in inferno sederem. Sed facias, quæso, misericordissime Jesu, per omnes miserationes tuas obsecro te, ut misericordiam et gratiam inveniam apud te in oculis tuis. O misericordissime Jesu, miserere mei, aufer iniquitates meas, da mihi cor purissimum atque piissimum, ut ego quoque faciam misericordiam cum omni proximo, ejusdem necessitates omnes, sicut fidelissima mater, in corde meo portans, atque compatiendo, subveniendo, excusando supportandoque, latissimæ et viscerosæ charitatis affectum omnibus semper impendam. Dulcis Jesu, sana cor meum, ut nunquam alius in me inveniatur affectus erga proximum, quam clementiæ, compassionis et charitatis. Amen.

THEORIA SEXTA DECIMA.

Et adhuc Jesu loquente, ecce turba, et qui vocabatur Judas, unus de duodecim, antecedebat eos, et appropinquavit Jesu, ut oscularetur eum. Jesus autem dixit illi : Juda, osculo Filium hominis tradis ? Lucæ XXII, 47, 48.

Cohors ergo et tribunus et ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, et ligaverunt eum. Joannis XVIII, 12.

16. Captum.

Recordare, piissime Jesu, horrendæ illius captionis tuæ, cujus a corde quoque meo ne unquam recedat memoria, tu facito, clementissime Jesu. Semper ob oculos cordis mei versetur hostium tuorum crudelitas, et e diverso tua admirabilis erga illos mansuetudo. Heu, benigne Jesu, quomodo te capiendum iniquitatis ministri invadunt ? Siquidem memores quod paulo ante in terram ad unum respondentis verbum corruerant, inde majori irarum sunt stimulo perciti, et dum quasi de injuria se volunt ulcisci, atroci vultu, oculis minacibus, furenti animo, impetuoso clamore sonoque terribili sacrilegas tibi manus injecerunt. Heu, Jesu bone, quot convitiis, quot injuriis tuam innocentissimam vitam majestatemque divinam blasphemantes, non aliter atque agnum lupi te circumvallabant. Et cum sic furerent , cæderent, traherentque te, quid tu interea, innocentissime, agebas ? Profecto nil aliud, quam quod agnus mitissimus, qui ducitur ad immolandum, tacebas sustinens, nec aperiens os suum. Et quamvis tu omnia sic pati volebas, pro tuis tamen sollicitus, imperabas ut abire sinerent illæsos.

Pro spirituali captivitate, precatio.

Ah, piissime Jesu, placeat tibi, quæso, me tua dulcedine capere, captumque possidere ; placeat tibi quoque , cor meum replere perfectissima mansuetudine, patientia , mititate ad omnes , ut absque murmure, absque rancore, absque renisu sensualitatis quæcumque adversa de manu providentiæ tuæ suscipiam, et pro tui amore desideranter eadem gaudenterque sustineam. Amen.

Digitized by Google

THEORIA SEPTIMA DECIMA.

Ministri comprehenderunt Jesum et ligaverunt eum. Joannis XVIII, 12.

17. Fune ligant.

Jesu bone, licet omnem malitiæ suæ vim in te exercerent impii, cædendo, illudendo improperandoque, non tamen satisfacere suæ potuerunt malitiæ, nisi etiam veluti aut mago, aut malefico, aut certe impotenti, utpote quem vincula tenerent, tibi manus ligarent. Neque enim ibi dolor tantum, sed blasphemia etiam in hoc tibi fuit irrogata, quasi virtus tua foret infirmior, quam ut vincula solveret.

Pro ligatione spirituali, precatio.

Pro iis, dulcissime Jesu, singulatim te benedico, adoro et tibi gratias ago, oroque ut tu me semper ligatum teneas, possideasque totum. Dulcissime Jesu, inter omnia tentamenta, inter omnes inimicorum fraudes ac insidias, triplici hoc funiculo, qui difficile rumpitur, fidei, spei et charitatis me ligatum teneas, perpetuoque a vinculis peccatorum me absolvas ac munias. Amen.

THEORIA OCTAVA DECIMA.

Discipuli ejus relinquentes eum, omnes fugerunt. Marci XIV, 50.

18. Fugiunt.

Christe Jesu, pastor et magister bone, turris fortitudinis, spes et refugium omnibus ad te clamantibus, qui tribulatorum solum cognoscis gemitum, qui desolatis omnibus atque ad te confugientibus, te exhibes tutorem et præsidium. Jam tamen ipse inter hostes derelictus es solusque manes, amicis omnibus abs te fugientibus. Benedico igitur te, piissime Jesu, quod adeo omnem tibi consolationem abesse et undique contristari voluisti. Quomodo enim Cor tuum piissimum potuisset non vulnerari, cum videres charissimos discipulos tuos, amicos tuos, filios tuos, eos quos de mundo elegeras, de quibus etiam non multo ante fueras gloriatus, quod ipsi essent, qui permansissent tecum in tentationibus tuis : quando, inquam, hos quoque videres a te fugere, et te inter captivantium manus sacrilegas solum derelinqui ? Heu, bone Jesu, pastor clementissime, quantum doluisti super hac infirmitate et scandalo tuorum discipulorum ! Quantum compatiebaris eorum desolationi et, quam prædixeras illis, dispersioni ; videns te quoque ab omnibus notis derelictum, separatum, desolatum et ferocissimis inimicis conglobatum !

Pro constantia et fortitudine in adversis, precatio.

Heu, bone Jesu, quantum dolebant pariter tui discipuli, videntes te charum tam impie tractari ; quantum dolebant erubescentes suam fugam et dispersionem, quantum plangebant a tam dilecto Magistro, cujus amore totum mundum reliquerant, sui separationem. Heu, Jesu piissime, quid est homo a te non confortatus ? Quid est homo, si tu illum non custodis et protegis ? Hi discipuli tui paulo ante adeo ferventes erant, ut pro te in carcerem ac mortem ire sese paratos sponderent, et modo, tametsi nemo illos, quia prohibueras, lædere potuisset, a te fugiunt. Christe Jesu, hæc infirmitas eorum fuit, in qua tu eos licet charissimos dimisisti, quo sese cognoscentes humiliarent, et aliorum infirmitatibus compati discerent ; sciremus præterea nos quoque neminem debere præsumere, sed timere ; disceremus postremo quam nihil prorsus est ex seipso homo, et qui super seipso stat, omnino non stat. Tu ergo solus virtus et fortitudo nostra, quem rogo per pietatem Cordis tui, confirma me gratia tua inamissibili, propter nimiam instabilitatem et infirmitatem meam, ut non solum non velim, sed nec possim etiam a te fugere seu recedere, voluntate mea in te charita-

Digitized by Google

te perpetua radicata et confirmata. Dulcis Jesu, non sinas etiam me aliorum infirmitates spernere aut judicare, sed juvare; nec indignari proximo sed compati, satagereque ut tu solus in omnibus honorificeris. Amen.

THEORIA NONA DECIMA.

Adduxerunt Jesum ad Annam primum. Joannis XVIII, 13.

19. Annas. Mitissime Domine, Jesu Christe, post tui captionem illam truculentam, quantis, quæso, clamoribus, quanto tumultu, quibus injuriis, quot verberibus, inimici tui te traxerunt impuleruntque, ducentes te in tenebris ad Annam vinctum atque ligatum, ubi inter eundum interdum cadebas, quia ligatæ erant tibi manus. Heu, quam bestialiter pedibus te calcant atque protrudunt, nihil prætermittentes, quod putarent tibi fore aut ad injuriam aut ad contumeliam. Hoc modo coram Anna pontifice armati te protractum statuunt, multis falsis criminationibus te accusantes. Stas itaque ante pontificem superbum ac tumidum tu, humilis, verecundus, atque ab eodem quasi vilis homuncio despectus.

Pro morum reformatione, precatio.

Ah, bone Jesu, quanta est patientia tua, quanta mansuetudo ! Neque enim resistis dum caperis, dum ligaris non murmuras, non maledicis dum traheris, sed vadis mansuetus ut agnus, sequeris obediens, pateris innocens, despiceris humilis. Ah, pie Jesu, juxta hos sanctissimos mores et virtutes tuas, reforma et transforma in te, quæso, quidquid reliquum est vitæ meæ. Amen.

THEORIA VIGESIMA.

Unus ministrorum dedit alapam Jesu. Joannis XVIII, 22.

Jesu piissime, offero nunc ante oculos summæ majestatis tuæ, commonefaciens te illius alapæ, quam pro me in domo Annæ suscepisti. Siquidem interrogatus a pontifice inflato ac tumido de tua doctrina atque discipulis tuis, cum verecunde sapienterque eidem respondisses, adstat servus pontificis, adulator pessimus, qui alapam tibi dedit gravissimam : quam tu, Dominus, Rex cœli ac terræ, licet a nequissimo nebulone, patienter sustinens, non solum non maledixisti, sed nec comminatus es illi, verum dulciter rationem reddens verborum tuorum eidem respondisti. 20. Alapam fert.

Pro injuriarum patienti perpessione, precatio.

Ah, piissime Jesu, da mihi objurgationes injustas injuriarumque alapas humiliter sustinere, non reniti, non contendere, non murmurare aut querulari, non disputare, sed æquanimiter hilariterque sustinere, atque iis hujusmodique aliis multo gravioribus memetipsum dignum judicare. Domine Deus meus, da mihi super lingua mea custodiam, ut nullus sermo de ore meo procedat, qui te offendat, aut qui proximum lædat, noceat aut contristet. Dulcis Jesu, pro te, pro tuave gloria, quando loquendum est, fac ut non taceam ; porro ubi res propria agitur, meipsum non excusem nec defendam, sed tibi plena confidentia et me et mea omnia committam. Amen.

THEORIA VIGESIMA PRIMA.

Petrus cœpit detestari et jurare, quia non novisset hominem. Matthæi XXVI, 74.

Accedit tibi, o misericordissime, ad hæc Cordis alia non minor afflictio, quod prædilectum discipulum tuum, quem caput et principem constituere volebas omnium, sensisti tentationi succubuisse : et licet præmonueras atque prædixeras illi 21. Ter negat.

Digitized by Google

lapsum suum, timore victum, te cum juramento et sui execratione ter negasse. Verum licet cadere eum permisisses, haudquaquam tamen potuit se ineffabilis misericordia continere, quin benigno clementissimæ Divinitatis tuæ respectu ipsum ad cor, ad sui cognitionem, ad verborum denique tuorum rememorationem, reduceret. Unde conversus atque compunctus, recessit a loco ubi deliquerat, et flevit amare. Flevit, quod tantam patrasset infidelitatem erga suavissimum magistrum, adeo ferventer dulciterque amantem.

Heu, benignissime Jesu, quid faciam ego, qui non semel aut ter, sed absque numero te negavi, præferens vilem delectationem amori tuo ? Multiplicatæ sunt profecto iniquitates meæ supra multitudinem arenæ maris, et tamen, eheu me miserum, quod interim durum non scinditur cor meum. Ah, igitur, bone Jesu, deducant oculi mei lacrymas per diem ac noctem, et non taceant. Sint mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, quod tam amandum, tam fidelem, tam pium, tam denique misericordem Patrem, Deum ac Redemptorem meum, sciens atque ultro tam multipliciter offenderim. Merito non audeo oculos meos levare in cœlum præ confusione, qua totus factus sum vilis, despicabilis et abjectus. Pie Jesu, o dulcem illum respectum, o virtuosum intuitum, quo gratia tua in corde delinquentis illuxit. O quam nihil sumus nos absque te. Si tu dissimulas, pie Jesu, quid sumus nisi peccatum, et esca inferni ? O ineffabilem Bonitatem tuam, o inexhauribilem Misericordiam, qua nos tam frequenter tamque multifariam respicis ingratos ! Respexisti oculo misericordiæ tuæ Petrum, et ad fletum pœnitentiæ per memoriam dulcedinis tuæ reduxisti. Neque enim, ut Judas, desperavit, sed memor abundantiæ miserationum tuarum, quam sæpe expertus in omnes viderat, pietati tuæ confisus ad secretum confugit, et lamentis pœnitentiæ te reconciliare studuit.

Pro lacrymis veræ pœnitentiæ, precatio.

Misericordissime Jesu, respice me quoque eodem oculo misericordiæ tuæ, quo Petrum delinquentem respexisti. Illumina tenebras cordis mei lumine gratiæ tuæ, ut peccata mea omnia, quibus te miser negavi, clare cognoscam, detestatione sancta odiam, ingratitudinem et malitiam meam ex intimo cordis defleam, atque tui contemptum super omnia plangam. Ah, bone Jesu, quando vere pœnitebo ? quando incipiam detestari omne quod tibi displicet ? Quando ante faciem tuam inconsolabiliter lugebo, quod tibi tanto tempore displicui, quod te reliqui, vadens post concupiscentias meas ? Iterum atque iterum rogo te, Domine misericordissime, scinde, vulnera et penetra cor meum, fac ut lugeam peccata mea, da mihi lacrymas veræ contritionis, compunctionis, viscerosæ compassionis et ferventissimæ dilectionis, quibus non requiescam, donec me sentiam ad te Patrem misericordiarum receptum. Quod utinam, dulcissime Jesu, mihi præstare digneris, et nunc et in hora mortis meæ ; videlicet : ut totus tibi reconciliatus et purgatus, ad te absque mora venire merear. Amen.

THEORIA VIGESIMA SECUNDA.

Tenentes Jesum duxerunt ad Caipham. Matthæi XXVI, 57.

Heu, benignissime Jesu, recolo nunc injuriosam illam tui deductionem ad Caipham, ubi pontifices senioresque Judæorum sese congregaverant, ad dolosum consilium confingendum, quo te ad mortem ignominiosam perducerent, at nequierunt, quia nondum venerat hora tua, et nemo potuit tollere animam tuam, nisi tu ipse poneres eam. Hæc itaque hora tenebrarum et potestas fuit caliginis, cui propter nos, pie Jesu, te ultro subdidisti. Itaque congregati gaudebant, quod in po- 22. Ad Caipham.

Digitized by Google

testate te sua haberent, et veluti canes vehementer sitientes sanguinem, ita ipsi quærebant quomodo te interficerent. Porro tu in medium eorum adductus, demisso capite et verecundus stabas tacebasque, et audiebas eos, qui torvis oculis minacique vultu omnia tibi beneficia exprobrabant, omniaque verba tua pervertebant. Sciebas, quam superbo corde circumsedebant et te stantem contemnebant, gaudentes atque improperantes, quod in suis jam te manibus vinctum haberent.

Pro sancto odio sui, precatio.

Dulcis Jesu, fac me in omni opprobrio et in omni contemptu meiipsius gaudere. Quod ut possim, clementissime Jesu, infunde mihi perfectam meiipsius cognitionem odiumque sanctum, quo meipsum solum perfecte contemnam, et ex animo ab aliis contemptum et injurias pati gaudeam. De omnibus vero aliis bene sentiam, illisque veræ charitatis affectum, beneficia et obsequia semper impendam. Amen.

THEORIA VIGESIMA TERTIA.

Principes sacerdotum quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent, etc. Matthæi XXVI, 59.

23. Testes. Patientissime Jesu, qui stetisti ante faciem pontificis et seniorum, quasi is qui nullam habet potestatem aut virtutem. Nam cum multas contra te iniquas impii accusationes afferrent, quando interrogationibus multis tibi erant vehementer molesti, cum denique testimonia multa quærebant adversum te, tu, pie Jesu, tacebas ad omnia, sciebas enim quia quiquid fuisses locutus, mox in calumniam verteretur. Sciebas quoque quod nihil aliud quærebant, quam ut respondendo diceres, unde te apud Pilatum accusandi haberent speciem. Provocabant enim idcirco te ad loquendum, quo innocentem capiant in sermone. Eam ob rem subornant iniquos testes, qui te accusent ; sed inconveniens erat testimonium eorum. Heu, mitissime Jesu, quam patienter, quam æquanimiter et quam tranquillo corde hæc omnia sustinuisti.

Pro taciturnitate inter calumnias et accusationes, precatio.

Pro hac igitur taciturnitate tua, pro mititate tua, adoro benedicoque te, et gratias ago tibi, benedicte Jesu, et oro te, da mihi ad omnia convitia, ad improperia, ad calumnias, ad accusationes iniquas, ad falsa testimonia, et in quacumque adversitate humiliter æquanimiterque tacere, tibi omnia committere, et in silentio salutare tuum, hoc est, gratiam et consolationem tuam exspectare. Amen.

THEORIA VIGESIMA QUARTA.

Princeps sacerdotum scidit vestimenta sua dicens : Blasphemavit. Matthæi XXVI, 65.

24. Blasphemiæ. Heu, Christe Jesu, cum itaque multa forent hostes machinati, quo provocarent te ad loquendum, qui tacebas, Caiphas de sede sua, furore agitatus, exiliens : *Adjuro*, inquit, *te per Deum vivum, dic nobis si tu es Christus*. Tu, pie Jesu, Divinitatis nomen audiens, ne illud videreris contemnere, sapienter humiliterque illis veritatem confessus es, dicens : *Tu dicis, quia ego sum*. At ille mox, quod exspectabat, ratus se invenisse, pro simulata religione vestimenta sua scidit, exclamans : *Blasphemavit*.

Pro divini nominis reverentia, precatio.

Heu, bone Jesu, blasphemi isti, qui centies milliesque nomen sanctum tuum blasphemaverunt, tibi blasphemiæ crimen impingunt. Quanta est innocentia tua, quanta mansuetudo, quanta animi tranquillitas! Nihil enim asperum loqueris, non

Digitized by Google

animo indignaris, quia impiorum judicio te totum propter me, o divina Majestas, submittis. Dulcis Jesu, da mihi ut tui blasphemiam, irreverentiam atque contemptum ex omnibus execrer medullis, ut nomen sanctum tuum ex toto corde meo, ex omnibus viribus animæ ac desideriis meis cupiam exaltare, et exaltari illud apud omnes ; meipsum vere despici propterea et injuria affici, quo laus, honor, gloria et beneplacitum tuum crescant, et in omnibus proficiant. Amen.

THEORIA VIGESIMA QUINTA.

Ecce nunc audistis blasphemiam ; quid vobis videtur ? At illi dixerunt : Reus est mortis. Matthæi XXVI, 65, 66

25. Damnant. Dulcis Jesu, quam flebile est audire calamitatem tuam et temeritatem, quam ab iniquis tulisti in domo Caiphæ, Siquidem mox ut adjuratus tu divino nomini honorem tribuens, respondisti ; pontifex, occasione quam quæsierat, ex verbis tuis sumpta, statim subintulit, judicans te blasphemasse, ipsoque sententiam impiorum consulente, *reus*, inquiunt, *est mortis*.

Adversus suspiciones perversaque judicia, precatio.

Ah, bone Jesu, quam iniquus judex, quam perversi assessores, quam falsi testes te circumvallant ! Damnaris ad mortem, in quem non cadit iniquitas, tu vitæ et mortis Auctor. Tu Judex vivorum et mortuorum, judicaris mortis reus. Quid fecisti, bone Jesu, quid fecisti, ut tali sententia ferireris ? Tu non peccasti, sed ego peccavi. Verumtamen tu omnino ut charitate et misericordia plenus agnoscereris, peccata mea super te suscepisti. Ex me igitur procedit unde tu mortis reus diceris. Dulcis Christe Jesu, aufer a corde meo suspiciones omnes malas, et da mihi ut neminem ego neque damnem neque judicem : aliorum vero judicia humiliter patienterque supportem. Amen.

THEORIA VIGESIMA SEXTA.

Palmas in faciem ejus dederunt, dicentes : Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit ? Matthæi XXVI, 67, 68.

26. Cæsus. Christe Jesu benignissime , gloria et corona Sanctorum, Angelorum decus et pulchritudo, quare non scinditur cor meum tristitia et mœrore, quandoquidem tot passionum, tot opprobriorum, tot confusionum totque vulnerum et livorum tibi causa extiti ? Siquidem cum a pontificibus, Judæorum senioribus esses damnatus, ministri eorum quasi reprobum et maledictum omnibus pœnis et contumeliis te affecerunt. Nam ceciderunt te in faciem tuam, dantes alapas, nec leves, sed validas, unde e naribus sanguis potuit emanare.

Pro devotione vera, precatio.

Heu, amabilissime Jesu, quomodo tam gratiosam faciem potuerunt alapis cædere, quam sancti eorum Patres olim, Prophetæ et Patriarchæ tantopere desiderarunt videre ? Piissime Jesu, heu, quoties ego tibi alapas in faciem, quantum in me est, dedi, te cædens, te contemnens ! Da mihi, quæso, profundissimam humilitatem, infunde devotionem et reverentiam affectuosissimam, qua omni in loco tuam præsentiam cogitem, venerer et diligam toto corde. Amen.

THEORIA VIGESIMA SEPTIMA.

Tunc exspuerunt in faciem ejus, et colaphis eum ceciderunt. Matthæi XXVI, 67.

27. Conspuitur. Humillime Jesu, quomodo sic elegisti propter me fieri opprobrium hominum et abjectio plebis ? Nam inimicis tuis hoc nequaquam satis erat, quod cædebant faciem tuam, quod blasphemum, quod reum quoque mortis te dicebant, nisi putentia etiam phlegmata ac sputa in faciem tuam jactarent. Erat enim illis con-

Digitized by Google

suetudo, quos abjectissimos, vilissimos omnique odio dignos judicabant, in eorum faciem spuere. Atque ideo vehementi odio te contemnebant et detestabantur. Conspuebant enim faciem tuam, faciem scilicet illam, quæ plena erat gratiarum, faciem tot gemitibus et suspiriis Patrum desideratam, videlicet clamantium: *Ostende nobis, Domine, faciem tuam, et salvi erimus; in quam desiderant Angeli prospicere.*

Ps. LXXIX, 4. I. Petr. I, 12.

Pro puritate simplicitateque animi, precatio.

Ah, bone Jesu, pro hac injuria, pro immunditia et fœtore, pro denique abominatione nobilissimæ complexionis tuæ ad hujusmodi, e diversoque pro mitissima voluntariaque patientia tua, adoro, laudo, benedico te, et gratias tibi ago. Obsecro etiam te per eamdem mansuetudinem Cordis tui, da mihi faciem tuam, ubi signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, non conspuere, sed servare immaculatam conscientiam; et concupiscentiis, delectationibus cogitationibusque tam carnalibus quam vitiosis non inquinari. Da mihi, mitissime Jesu, castitatem mentis et corporis, puritatem ac simplicitatem cordis, quibus totus perfectissimeque tibi placeam. Amen.

THEORIA VIGESIMA OCTAVA.

Cœperunt quidam conspuere eum, et velare faciem ejus. Marci XIV, 65.

28. Velant.

Benignissime Jesu, qui scrutaris renes et corda, cujusque oculis omnia sunt nuda et aperta, utpote cui patet omne secretum, quam gravis erat hæc contumelia, quod viri impii et illusores ad blasphemandam Divinitatem tuam, qua scis omnia et intelligis, circumligantes velo oculos tuos operuerunt, et deridentes te, dixerunt: *Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit?* Interea vero percusserunt, alius in faciem dans alapam, alius pugno, alius colapho cædens; alius denique per barbam, alius capillis te trahebat, quasi dicerent singuli: Propheta magnus es, secreta nosti cordium, arcana facere potes manifesta: dic nobis, quis te, dum simul omnes cæderent, percussit?

Pro casto filialique timore Dei, precatio.

Mi Domine, hæc olim passus es ab impiis, sed nihil eo minus pateris ab iniquitate infidelitateque mea, qua adeo temere superbeque delinquo, quasi tu non fores præsens, aut non videres, et quasi velo circumligati forent tibi oculi. Da igitur mihi, suavissime Jesu, timorem tui filialem ac castum, quo vigilantissime stem super conscientia mea, humillimeque per tui nominis invocationem omnes tuos instinctus observem, prudenter discernam perficiamque semper tuum beneplacitum obedientissime, strenue atque ferventer. Iterum rogo te, liberalissime Jesu, quia mendicus et pauper sum ego, ut excites ignaviam meam, vigilantissimumque me facias omni tempore et loco, ad reverentiam tuæ divinæ præsentiæ meditandam ac sentiendam, cum omni humilitate et dilectione. Amen.

THEORIA VIGESIMA NONA.

Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. Lucæ XXII, 65.

29. Fert multa.

Præter hæc patientissime Jesu, alia multa, blasphemantes te, dicebant atque agebant impii per totam noctem illudentes tibi. Heu, bone Jesu, quid agebant in te? Genas tuas vellicabant, capillis te et barba trahebant, pedibus trudebant, aliaque multa, quæcumque poterant excogitare, tam absurda tam graviaque, ut Evangelistis verecundia esset ea scribere. Crudelissimi enim nebulones totam noctem in pœnis tuis expendere cupiebant, ac pœnis tuis

Digitized by Google

se satiare: unde dentibus in te fremebant, verbis comminabantur, subsannantes ac blasphemantes.

Adversus vitiosas affectiones, precatio.

Heu, pie Jesu, quanta pro me pateris tu, cum mihi adeo sit molestum, vel minimum quid pati pro te. Quare, o amabilissime Jesu, tuæ misericordiæ me totum commendo ; quia nulla est virtus mea, nullus erga te amor, nulla constantia in me. Cupio esse despectus, incognitus ac vilis reputari : sed desiderium est futile et inanis voluntas, quamdiu, bone Jesu, res ipsa non sequitur. In ipso namque tentationum occursu, mox ubi probari debeo, voluntas deficit, omneque propositum meum succumbit. Prævени igitur me, dulcis Jesu, in benedictionibus tuis, reple me dulcedine gratiæ tuæ, quæ cor meum purget, purumque servet ab omni affectione vitiosa, ab omni suspicione mala, ab omni cogitatione impura et ab omni amaricatione æmulationeque invidiosa. Repleat, quæso, cor meum, suavissime Jesu, et totum me possideat castissimus ferventissimusque tui amor, qui totum me in te transformet, totum absorbeat, tibique me perpetuo inseparabiliter et inavertibiliter uniat. Amen.

Ad horam Primam.

THEORIA TRIGESIMA.

Et surgens omnis multitudo eorum cum universo concilio, vincientes Jesum, vinctum duxerunt eum, et tradiderunt Pontio Pilato præsidi. Adducunt ergo eum ad Caipham in prætorium. Erat autem mane. At illi non introierunt in prætorium, ne contaminarentur, sed ut manducarent pascha. Matthæi XXVII, 1, 2. Marci XV, 1. Lucæ XXII, 66. Joannis XVIII, 28.

30. Pilatum. Heu, Jesu piissime, cujusmodi noctem tu sensisti, quam totam in contumeliis, alapis, improperiis ludibriisque patiendis transegisti, dum mane facto, congregato concilio seniorum, omnium pontificum et Pharisæorum, sententia quam Judæorum pauciores nocte statuerant, ab universo eorum cœtu firmaretur. Itaque mane denuo interrogatus, Christusne sis aut Filius Dei, humiliter respondisti, confitendo veritatem. Quapropter etiam denuo ab omnibus, nimirum conspiratoribus, es damnatus atque mortis reus pronuntiatus. Mox igitur, quia vehementer sitiebant mortem tuam, ad Pilatum vinctum, quod signum erat judicii mortis, te perducebant, sic turpiter cæsum atque consputum, ut vix esset in te, unde posses agnosci. Et quia nullam causam adversus te habebant mortis, dolosi ac versipelles interrogati a Pilato, quam accusationem adversus te haberent : *Si non esset hic,* inquiunt, *malefactor, non adduxissemus eum tibi;* hoc est: tam religiosi sumus, tam sapientes ac justi, ut merito soli nostro examini credere res, nihil ultra interrogans; quandoquidem nostræ non est consuetudinis innoxios damnare. O cæcam, o simulatam, pie Jesu, inimicorum tuorum conscientiam! O stoliditatem nimiam, quasi nihil plus interrogaturus Pilatus, ad eorum duntaxat verba, hominem inauditum punire deberet.

Adversus judicia temeraria, precatio.

Ah, bone Jesu, unam petitionem precor a te ; non confundas, quæso, faciem meam. Fac, dulcissime, ut neminem ego judicem, neminem spernam, et aliorum judicia non timeam, sed humiliter patienterque sustineam. Amen.

THEORIA TRIGESIMA PRIMA.

Accusabant Jesum summi sacerdotes in multis. Marci XV, 3.

Offero tibi nunc, piissime Jesu, accusationes illas iniquorum ante faciem Pilati, coram quo te seductorem, Cæsaris 31. Accusat.

Digitized by Google

mandata prohibentem, atque qui regem te feceris, calumniantur. Denique alia multa iniqui contra te mentiebantur, ad quæ omnia tu tacebas. Stabas autem ante judicem demisso capite humilis, et quasi omnium fores reus, verecundus. Omnium namque et singulorum peccata in te susceperas, ideo pro omnibus etiam peccatis nostris verecundiam sustinebas.

Pro patientia ad accusationes et vituperia, precatio.

Benignissime Jesu, da mihi accusationes et vituperia hominum libenter sustinere, non irasci, nec propterea indignari; sed humiliter pœnitere, ferventer emendare, et omnibus me subdere. Amen.

THEORIA TRIGESIMA SECUNDA.

32. Regi. *Pilatus audiens quod Jesus homo Galilæus esset, misit eum ad Herodem, qui et ipse Jerosolymis erat illis diebus; Herodes autem viso Jesu, gavisus est valde. Erat enim ex multo tempore cupiens videre eum, eo quod audierat multa de illo, et sperabat aliquod signum videre ab eo fieri. Interrogavit autem illum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. Stabant autem principes sacerdotum et Scribæ constanter accusantes eum.* Lucæ XXIII, 6-10.

Heu, mansuetissime Jesu, post multas Judæorum accusationes contra tuam innocentiam, coram Pilato, aut incongrue adductas, aut mendaciter confictas, post longam etiam interrogationem et examinationem judicis, tandem quasi malefactor pessimus et morti obnoxius, ad superbissimum Herodem es adductus. Heu, bone Jesu, quam crudeliter tunc es susceptus ab inimicis tuis, heu quam viliter tractabaris! Quibus verberibus et blasphemiis es affectus, præsertim cum voluntatem suam non obtinuerint, quam speraverant, apud judicem Pilatum. Cum magno itaque clamore, cum armorum strepitu, cum derisionibus, per civitatem ductus es ad Herodem, ubi nihilo secius quam apud Pilatum, obstinatissime Judæorum te seniores accusaverunt.

Pro refrenatione linguæ, precatio.

Ah, pie Jesu, obsecro te per misericordiam tuam infinitam, custodi et refrena linguam meam, ne unquam in verbo aliquo detractorio excedam, neve verbo aliquo proximi charitatem lædam. Christe Jesu, da mihi silentium oris et cordis potissime conservare, ad inutilia, querulosa, mundana carnaliaque non defluere, sed ab omni verbo otioso continere. In hoc tu me rege et protege, pie Jesu, quia pauper et infirmus ego sum. Amen.

THEORIA TRIGESIMA TERTIA.

Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, et illusit indutum veste alba. Lucæ XXII, 11.

Sapientia Patris, Christe Jesu, adoro, laudo et benedico te, gratiasque tibi ago, pro humilitate, pro taciturnitate, pro patientia denique tua, quam in domo Herodis exhibuisti. Ibi enim multis criminationibus te populo tuo accusante, tu ad omnia tacebas. Herodes præterea curiosus, gaudens te exceperat, speransque se abs te signum videre, multis te interrogavit sermonibus; ad quos dum nihil responderes, quia sicut tempus fuerat docendi et operandi signa, ita nunc patiendi quoque erat et tacendi, ceu fatuum te habuit, cum omni item exercitu suo te sprevit, alba veste induit, illusit ac illudendum te præbuit. 33. Spernunt.

Adversus derisiones detractionesque aliorum, precatio.

Heu, pie Jesu, omnis, quæso, superbia discedat a me, deserat me omnis vel species vanæ gloriæ, ut vere humilis tibi placeam, et derisiones detractionesque aliorum non timeam, imo sperni et vilipendi cupiam. Amen.

Digitized by Google

THEORIA TRIGESIMA QUARTA.

Herodes Jesum illusum remisit ad Pilatum. Lucæ XXIII, 11.

34. Redit. RECORDARE nunc, piissime Jesu, postquam nullum volebas signum operari, quia mori propter nos, non a morte liberari veneras, Herodes in veste alba, quæ fatuorum erat, ad Pilatum te remisit. *Sap.* VIII, 1. Heu, Sapientia æterna, quæ attingis a fine usque ad finem fortiter, disponisque omnia suaviter, tu qui universum ex nihilo *Ibid.* XI, 21. mundum creasti, quique in pondere et mensura gubernas et contines omnia, illuderis ut fatuus. Heu, obedientissime Jesu, quam præclara, quam eximia est patientia et humilitas tua, qui inimicis tuis crudelissimis obedis. Nam secundum voluntatem eorum vadis et redis, de judice quoque ad judicem duci et reduci, non absque magna injuria et ignominia, te permittis. Siquidem vadis sicut agnus qui ducitur ad victimam, et dum subsannaris, dum illuderis, dum denique percuteris, non contradicis.

Pro felici ignorantia stultitiaque, precatio.

HEU, quas gratias agam, pie Jesu, pro tam crebris magnisque fatigationibus, pro violentis hostium impulsibus, pro tractibus molestissimis, pro opprobriis denique et contumeliis continuis, quibus per vicos et plateas civitatis cum derisivo clamore fuisti ad Pilatum reductus, infamatus, atque ut fatuus monstratus, ac illudendus omnibus exhibitus ? O mi Jesu amabilissime, quanto factus propter me tu es vilior, tanto mihi es charior ; fac, quæso, me ad omnia hujus mundi stultum, insensibilem et mortuum, ut quæ sursum sunt, et ea sola, sapiam, nihil extra te, Domine, sciam. Tu solus sapientia mea, pulchritudo mea, virtus mea, amor meus, gaudium meum, delectatio mea. Tu unus et solus quem quæram, quem diligam, quemque pure intendam, ex toto corde meo in omnibus et super omnia. Satis diu hactenus a te aberravi, fac ad te redeam, suavissime Jesu, tibique inseparabiliter inhæream. Amen.

Ad Tertiam horam.

THEORIA TRIGESIMA QUINTA.

Congregatis sacerdotibus, principibus et Pharisæis, dixit eis Pilatus : Quem vultis vobis de duobus dimitti ? Barabbam an Jesum, qui dicitur Christus ? Matthæi XXVII, 17.

35. Alter ab illo. AMABILISSIME Jesu, adoro, laudo et benedico te pro ignominia illa maxima et ingenti contemptu, quem pertulisti a Judæis. Siquidem reductus ad Pilatum, cum ab eodem agnoscereris innocens, et per solam invidiam traditus, volebat ille te liberare a morte, ut vel ob celebritatem festivitatis, quæ instabat, et propter privilegium quod concessum fuerat Judæis, vita tibi donaretur. Atque ideo cum homicida et insigni odiosissimoque latrone te præposuit populo, ratus illius pessimi hominis flagitia, et Judæorum erga ipsum odium esse tanta, ut libentius tibi quam illi optarent, cui parceretur. Ea propter Judæos alloquens, post alia dixit : *Est vobis consuetudo, unum petere vinctum,* atque a morte liberum facere : *quem igitur e duobus vultis dimitti ? Barabbam an eum, qui dicitur Christus ?* Vultis ut vobis Christum dimittam ? Clamaverunt seniores, simulque omnis turba ad hoc instigata : *Non hunc dimittas, sed Barabbam.* Heu, Jesu bone, quo mœrore tum affici potuit Cor tuum, cum videres plebis tuæ erga te ingratissimæ odium adeo obstinatum. Comparatus eras latroni pessimo a judice, cum eodemque simul propositus. Verum a tuis, hoc est, a tua gente vilior, nequior ac vita indignior quam latro vel insignis æstimatus es, adeo ut nec nominatione te dignarentur, quomodo Barabbam nomina-

Digitized by Google

verunt. Sed odio te abominantes : *Non hunc,* inquiunt, *dimittas,* utpote et vita et nomine indignum. Porro, Pilatus dum vehementer pro tui liberatione instaret : *Quid,* inquit, *vultis igitur, ut faciam regi Judæorum?* Si tantum beneficium latroni impenditis, qui vestros necavit viventes, quanto magis grati beneficium postulabitis ei, qui languidos vestros curavit, mortuos suscitavit ? Exclamavit ad hæc omnis populus : *Crucifigatur.* Hæc est merces tua, bone Jesu, hoc præmium, quo laboribus beneficiisque tuis plebs execranda respondet. Quomodo interea, pie Jesu, posset non vulnerari Cor tuum, sentiens te, Regem Angelorum Deique Filium, adeo despectum adeoque haberi exosum, ut latronem vehementer pestilentem tibi plebs illa ingrata præferret ; nec solum præferret, sed illum vita etiam donaret, te vero adeo vita haberet indignum, ut ad amarissimum ignominiosissimumque mortis genus magnis vocibus postularet? Heu, quam ignominiosum fuit, hoc verbum mox per civitatem divulgari : Latronem scilicet scelestum dimitti, te vero, qui habitus fueras populi salvator, atque omnigenarum infirmitatum curator, tanquam magum aut seductorem, aut quasi latrone pestilentiorem inventum, ad Crucem postulari. Heu, quam lugubris hic erat rumor in auribus piissimæ Matris reliquorumque amicorum tuorum. Heu, quanto mœrore ac dolore, o beatissima Maria, Cor tuum virgineum maternumque scindebatur, quando tam tumultuosæ ad Crucem petitionis vox cunctorum ore in altum ferebatur, hoc est, quando benedictus uteri tui Unigenitus, quando Creator et Deus tuus ad vilissimum Crucis suspendium petebatur.

Pro sui cognitione humiliationeque, precatio.

O UTINAM, dulcissime Jesu, illumines cor meum illustratione gratiæ tuæ, qua perfectissimam veramque cognitionem meæ vilitatis, infirmitatis, malitiæ, præsumptionis totiusque nihileitatis mihi infundas, ut videam semper atque ex animo sentiam, quam nihil nisi vilissimus maximusque peccator sum : unde cum sancto odio displicentiaque me ex animo contemnam, nulli me creaturæ audens comparare, sed inferiorem atque per ingratitudinem viliorem cunctis me credens esse. Hujusmodi etiam me perfecto desiderio optem gaudeamque ab aliis pariter credi, ac propterea vilipendi, quo mei contemptus et amor tui per singula momenta simul in me crescant, roburque in dies accipiant. Omnia quoque desideria humanæ laudis ac favoris, omnes motus vanæ gloriæ, superbiæ aut propriæ complacentiæ penitus in me evanescant. Dulcis Jesu, da mihi, atque utinam fiat, ut te præferam semper cunctis desiderabilibus, diligamque in omnibus et super omnia. Amen.

THEORIA TRIGESIMA SEXTA.

Nudans exspoliavit eum. Joel I, 7.

EIA, benignissime Jesu, ab omni creatura sit tibi sempiterna laus, honor et gloria, pro humili castissimaque erubescentia, pro innocentissima verecundia tua, qua nobilissimum Cor tuum fuit perfusum, dum ad populi sævitiam placandam a Pilato fuisti flagellandus militibus traditus, vestibus exspoliatus, atque totus sic nudus, quod pudicissimis quibusque virginibus ipsa interdum morte molestius est, ante oculos derisorum, cum ingenti contumelia constitutus. Causa enim erubescendi, licet non eadem fuerit in te, quæ est in nobis ; nihilominus tamen, quia hanc quoque passionem, ut alias omnes absque peccato susceperas, fuisti, quod decebat virgineam honestatem, maxime verecundus ; et zelo pudicitiæ propterea quod ab inimicis, quantum fuerat in illis quomodoque illi putabant, juxta eorumdem æstimationem, dehonestabaris, contristatus. 36. Nudatum.

Digitized by Google

Pro nuditate paupertateque spiritus, precatio.

Dulcissime Jesu, per fidelitatem suavissimi Cordis tui, da mihi cor nudum et exoccupatum ab omnibus phantasiis et imaginationibus, ab omnique cogitatione atque affectione vitiosa et otiosa, ut in vera paupertate et nuditate spiritus, in vera simplicitate et puritate mentis, tibi soli placere cupiam, imo tibi semper et perfectissime placeam et inhæream. Amen.

THEORIA TRIGESIMA SEPTIMA.

Data sunt super te vincula, et ligabunt te in eis. Ezechielis III, 25.

Conclusit me Deus apud iniquum, et manibus impiorum me tradidit. Job XVI, 12.

37. Striagunt. Misericordissime Jesu, postquam corpus tuum speciosum præ filiis hominum totum nudatum, spectaculum præbuit inimicis, fuisti ad columnam ligatus; ligabaris autem tanquam malefactor, ut magus et impotens, qui nullam haberet virtutem.

Pro vinculis virtutum, precatio.

Heu, bone Jesu, quæ te possent vincula tenere, nisi charitas te ligaret? Quæso igitur, piissime Jesu, ut funibus fidei, spei et charitatis perfectissime perpetuoque me tibi alliges, ut a te separari nequeam in æternum. Dulcis Jesu, dirumpe etiam in me vincula pravæ consuetudinis omniumque vitiorum, ut nihil sit inter te et me medium, quod me a te elonget, nihil quod ad te accedentem impediat. Amen.

THEORIA TRIGESIMA OCTAVA.

Apprehendit Pilatus Jesum et flagellavit, Joannis XIX, 1.

38. Cædunt. Domine Jesu Christe, elegantissime et præ filiis hominum speciose, quas tibi nunc debeo gratias pro atrocissima acerbissimaque flagellatione tenerrimi ac nobilissimi corporis tui? Quas lacrymas fundam, quæso, piissime Jesu, pro te simul ac pro me? Quandoquidem ego causa sum et occasio tibi, ut tantos dolores tu sustineres, et permitteres a crudelissimis ministris iniquitatis carnem tuam virgineam adeo miserabiliter flagellari, tam profunde vulnerari, lacerari roseoque sanguine perfundi. Heu, bone Jesu, quam pœnosa fuit hæc tui flagellatio, quam dolorosa, quam valida, quam cruenta, quando nebulones impii et crudelissimi, utpote ad hoc feroces electi, sine misericordia et absque compassione tibi adjiciunt plagam super plagam cædendo, livoremque jungunt livori, utpote qui tuis satiari non poterant doloribus, donec post inexcogitabiles intensissimasque pœnas, post injurias multas ac varias, post opprobria denique ac blasphemias tibi innocentissimo inflictas, se quoque ad sui perducerent fatigationem.

Pro his itaque, et pro singulis duris verberibus, pro acutissimis puncturis, quibus sacratissimum nobilissimumque corpus tuum fuit miserabiliter vulneratum, pro largissimis item rivulis pretiosissimi Sanguinis tui, quo totum corpus tuum perfusum ac rubricatum est, pro Sanguine denique nobilissimo effuso, quod in terram defluens, pedibus impiorum calcatum est, quandoquidem sicut botrus expressus e singulis percussionibus corpus tuum madebat rubescebatque sanguine, te adoro, laudo, benedico, tibique gratias ago. A planta enim pedis usque ad verticem capitis nulla in te est sanitas; sed membra sunt singula aut verberibus attrita, aut plagis livoribusque lacerata, aut præ nimia afflictione et frigore obrigescentia.

Pro sufferentia æquanimi in adversis, precatio.

Obsecro igitur per dolorem vulnerum tuorum et per effusionem Sanguinis tui, da mihi veram et perfectam cum humili-

Digitized by Google

tate patientiam, ut inter omnia occurrentia nihil aliter quam de manu providentiæ tuæ suscipiam, idque hilariter et cum gratiarum actione sustineam, credens me deteriora millies meruisse. Ah, misericordissime Jesu, omnes dolores, omnes pœnas, cuncta denique quæ propter me tolerasti molesta, offero tibi pro peccatis meis et pro universis peccatis mundi, obsecrans te per infinitam charitatis tuæ magnitudinem, qua me omnesque peccatores, licet scelestos et odibiles, quia tuæ creaturæ sumus, diligis, ut ex toto corde meo te diligam, facias. Nihil mihi durum sit pro tui amore agere, nihil molestum, nihil sit triste; mihi displiceam, pro tua sola misericordia contritus et compunctus continue gemam, in tua sola bonitate ac miseratione confidam, atque in fine vitæ meæ de singulari misericordia tua, propter flagella quibus propter me cæsus es, et ex universo merito tuæ Passionis totus purgatus pleneque tibi reconciliatus, exeam: nisi, dulcis Jesu, aliter tibi placuerit, aliudve sit quod in gloriam tuam cedat magis. Atque ideo totum me tibi committo et resigno in beneplacitum et honorem tuum. Amen.

THEORIA TRIGESIMA NONA.

Et exuentes Jesum, chlamydem coccineam circumdederunt ei: et plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus, et posuerunt arundinem in dextera ejus, et genu flexo ante eum illudebant, et cæperunt salutare eum, dicentes: Ave, Rex Judæorum. Et dabant ei alapas. Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem et percutiebant caput ejus. Matthæi XXVII, 28-30. Marci XV, 17, 18. Joannis XIX, 2, 3.

39. Spinisque. Ave, Sanctorum gloria, splendor diademaque omnium electorum, Jesu potentissime, sed propter nos infirme; Rex cœli et terræ, sed propter nos nunc ut vermiculus abjecte! Adoro, laudo benedicoque te et gratias tibi ago, pro confusione nimia acerbissimaque pœna, quam in Pilati domo post duram flagellationem a perfidis impiissimisque tortoribus suscepisti. Nam purpura aut chlamyde potius coccinea te vestiunt, coronam quoque spineam flectentes eamdem capiti tuo circumponunt, denique ne sceptrum tibi deesset, illusores arundinem tibi in manus præbent, per hoc ironice sic regiis vestibus ornatum incusantes, quasi stulte nomen Christi, id est regis, usurpaveris, temereque regiam ambiveris dignitatem: quippe cujus omnis et potestas et promissio non minus vacua sit, quam arundo.

Ah, mitissime Jesu, quam patienter humiliterque sustines hanc ignominiam, hunc contemptum, hanc afflictionem huncque cruciatum. Heu, quam acerba afflictivaque fuit hæc tibi impressio spinarum, quæ cutem carnemque suis aculeis rigidissimis penetrantes, dum quædam illarum contra ossa capitis se reflecterent, quædam vero usque ad cerebri pertingerent teneritudinem, inæstimabili et immani te cruciatu torquebant.

Pro mystica coronatione, precatio.

Ah, misericordissime Jesu, cor meum durissimum spinis tuis vulnera, penetra, tuæque Passionis jugi memoria illud reple, ut quocumque me verto, quidquid ago vel cogito, Passio tua semper in corde meo versetur. Nihil, Jesu bone, aliud videam, nihil sentiam, nisi te Dominum meum Jesum Christum, propter me patientem spinisque coronatum. Amen.

THEORIA QUADRAGESIMA.

Et veniebant ad eum, et dicebant: Ave, Rex Judæorum. Joannis XIX, 3.

40. Cachinnant. Christe Jesu clementissime, offero nunc tibi ante oculos tuæ majestatis ludibria, subsannationes, opprobria, pœnas et blasphemias, quæ propter me pertulisti in domo Pilati, cujusmodi ante in domo Cai-

Digitized by Google

phæ tuleras, renovata. Siquidem dum sic veluti rex magno fores spinarum cruciatu coronatus, illudebant tibi tortores crudelissimi, quasi temerario regiæ dignitatis invasori, adorantes te tanquam Deum, et salutantes ut regem : *Ave,* inquiunt, *Rex Judæorum*. Voluisti rex esse, en insignia regalia, quibus digne sis, quomodo superbus meruisti, ornatus. Indeque ironicam salutationem in gravem injuriam vertentes, surgebant dabantque tibi alapas. Exspuebant præterea in faciem tuam, putentissimum oris sui phlegma in te projicientes. Verum his pœnis ac contumeliis nondum satiati, quo omnem sui furoris in te complerent rabiem, baculum arundineum rigidumque ex dextera tua, quem humiliter loco sceptri tenebas illusus, arripiunt, et caput tuum reverendissimum angelicisque potestatibus tremendum, paulo ante ex omni parte spinis vulneratum, vulneribus ac doloribus plenum cædunt, diris crebrisque ictibus spinarum aculeos sacratissimo vertice tuo impellunt, vulnera renovant, exaggerant dolores, et Sanguinem pretiosissimum per genas tuas amabiles et collum, ad rivulorum modum defluentem, eliciunt. Inde facies tua plena gratiarum collumque nitidissimum sic colorata cruore, sic sputis oblita sunt, ut jam non facies hominis sed leprosi æstimaretur; quippe qui eras non habens hominis speciem neque decorem.

Heu, piissime Jesu, omnipotens Deus, Rex regum et Dominus dominantium, quem laudant Angeli et Archangeli, quem adorant Dominationes tremuntque Potestates, quem denique omnis cœlorum Virtus socia exultatione concelebrat : hunc viri impii, peccatores obstinati, tanquam vilissimæ infimæque sortis hominem pœnis afficiunt, alapis cædunt, ludibriis contemnunt, faciemque tuam nobilissimam contundunt. Pro his omnibus te adoro, laudo, benedico, gratiasque tibi ago, Deus colende ac metuende, obsecroque supplex per omnes dolores, vulnera et Sanguinem tuum, ut tu, Rex amabilis et potens, corpus meum, animam meam ac omnia quæ in eis sunt, quæ tibi offero, commendo et resigno, accipias, tu regas, tu possideas, atque juxta supremum beneplacitum tuum in laudem et honorem tui convertas.

Pro sui abnegatione et resignatione, precatio.

Ah, bone Jesu, fac ut adeo semper sim resignatus, ut plena perfectaque meiipsius abnegatione, me totum tibi relinquam, me totum in te projiciam, tristia, adversa, probrosa æque ut læta, de manu tua recipiens, nihil de me curans, nihil desiderans, nihil cogitans, nisi te et honorem tuum, nihil volens aut velle potens, nisi beneplacitum tuum. Dulcis Jesu, sim erga me et erga mundum veluti mortuus, tibi vero soli vivam, et tu solus vivas in me. Amen.

THEORIA QUADRAGESIMA PRIMA.

Et postquam illuserunt ei, exivit iterum Pilatus et dicit eis : Ecce adduco eum vobis foras, ut cognoscatis quia nullam in eo invenio causam. Exivit ergo Jesus foras, portans coronam spineam et purpureum vestimentum. Et dicit eis : Ecce homo. Cum ergo vidissent eum pontifices et ministri, clamabant, dicentes : Crucifige, crucifige eum. Joannis XIX, 4-6.

Ah, mitissime et benignissime Jesu, post graves illas contumelias et pœnas tibi inflictas, Pilatus te spinis coronatum, chlamyde coccinea circumdatum, consputum, cæsum, sanguine coloratum, eduxit foras ad Judæos, omnibus monstrandum, sperans populum compassione erga te permovendum, furoremque eorum, quando sic te cernerent punitum miserabiliter, mitigandum, teque absolvendum. Exibas igitur, qui stare ireve præ nimia debilitate, ex pœnarum afflictione vix poteras. Itaque Pilato te monstrante, et clamante : *Ecce homo,* id est : Ecce, qui hominis non habet

41. Exhibitus.

Digitized by Google

speciem, quem adeo afflixi, ut vix vivere queat : tantum abest ut de regni ambitione usurpationeve cogitet. Quare merito vel nunc ira vestra quiescat; sic enim tractatus est, ut ridiculum sit vos illum timere. At vero illi videntes te, nulla sunt compassione moti, quin majori potius invidia accensi. Quare populus ad clamandum per seniores excitatus, cum pontificibus et Pharisæis, magnis postulabat vocibus : *Crucifige, crucifige eum.* Non quiescemus, inquiunt, non satiabitur ira nostra, implacatos nos senties, quantumvis illum afflixeris, Pilate, nisi affixum cruci viderimus. Heu, benignissime Jesu, quid Cor innocentissimum tuum tunc sentiebat, aut qua verecundia gravabatur, dum stares sic afflictus, sic illusus ante oculos odientium te, dum nulla tibi compassio, nulla misericordia a plebe tua electa impendebatur? Invidia vero odiumque in dies contra te augebantur, adeo ut nisi despectissimæ te morti judex addiceret, nunquam tui a malignando quiescerent inimici. Pro his aliisque omnibus beneficiis tuis, dulcissime Jesu, quibus charitatem tuam erga nos immensam commonstras, adoro, laudo benedicoque te, et gratias tibi ago, orans te, misericordissime Jesu, ut ab omni odio et invidia alienum me facias, charitate vero proximique dilectione, compassione et misericordia totum me repleas.

Pro suæ vitæ cum Christi vita et Passione conformatione, precatio.

Ah, misericordissime Jesu, obsecro te per omnia quæ pro me passus es, per roseas item guttas Sanguinis tui, et per Cordis tui tristitias, perque omnes miserationes tuas, exhibe imprimeque cordi meo miserabilissimam hanc speciem vultus tui et Passionis, in qua populo tunc monstratus es, et veluti leprosus abjectus. Deus meus, non sis tu mihi abjectus, quia desiderat te anima mea. Utinam facias ut tibi placeat et vita mea. Amen.

Ad horam Sextam.

THEORIA QUADRAGESIMA SECUNDA.

Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens : Innocens ego sum a sanguine justi hujus ; vos videritis. Et respondens universus populus, dixit : Sanguis ejus super nos et super filios nostros. Tunc Pilatus volens populo satisfacere, adjudicavit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis Barabbam : Jesum vero tradidit voluntati eorum. Matthæi XXVII, 24-26. Marci XV, 15. Lucæ XXIII, 25.

Heu, mitissime Jesu, judex vivorum et mortuorum, quanta est magnitudo tuæ charitatis erga me, qui tam dura, tam probrosa tamque tristia sustines pro me, ut a damnatione perpetua liberes me, qua diu jam forem absorptus, nisi tua misericordia immensa me prævenisset. Ecce quanta benignissime tu passus es propter me. Post multas Judæorum accusationes, post clamorosas postulationes ut crucifigaris, post denique judicis examinationem crebram, tandem sedente Pilato pro tribunali, heu, innocentissime Jesu, heu, Deus majestatis, in conspectu omnium te odientium amantiumque, tanquam malefactor pessimus ante judicem atque ejus tribunal fuisti adductus, et sententia manifesta, licet injustissima, atque ideo maxime dolenda lacrymandaque, ad mortem crucis es damnatus. Heu, bone Jesu, quamvis omnia præscires, omnia sic velles, Cor tamen tuum piissimum quanta tristitia, quanta verecundia fuit afflictum, cum latæ sententiæ tam probrosus rumor, clamante præcone, in tuis omniumque auribus auditus evulgatusque est de te, qui mundi, quod eras, Salvator putabaris ! Nonne tunc recolebas mœstissimæ tuæ Matris, quam cum paucis amicis tuis usque ad mortem pro te sciebas contristari, inimicos vero tuos, tuum Sanguinem sitientes, crudelissimo gaudio lætari ? 42. Damnatur.

Digitized by Google

Pro contritione remissioneque peccatorum, precatio.

AH, mi Domine,tu pro peccatis meis accusaris, pateris, condemnaris et tandem moreris. Quare, dulcissime Jesu, contritionem pro peccatis meis, pro qua sæpius te rogo, mihi non infundis? Quare non facis, ut lacrymas etiam sanguineas, videns tuam charitatem et meam iniquitatem, effundam? Heu, Domine, id ex culpa et negligentia est mea. Tu paratus es mihi dare omnia et teipsum. Verum ego adeo cæcus, ingratus adeoque iniquus sum, ut venenum diligam, te respuam, omnique gratia tua me indignum faciam. Rogo tamen vel nunc, piissime Deus, propter teipsum, da mihi pro peccatis meis contritionem veram, intimam ac intensissimam, cum omnibus ad hoc necessariis, quibus miser peccator tibi possit reconciliari, et in gratiam tuam redire. Scio, mi Domine, quod iniquitates meæ multiplicatæ sunt super numerum; sed quis delebit ea, nisi tu manu misericordiæ tuæ? Fac igitur, ut strenue ferventerque me totum in laudem ac honorem tui expendam. Verumtamen hoc nihil erit : sola enim est necessaria misericordia tua, quam præstolamur. Ideo omnes dolores, pœnas, opprobria, Passionem et mortem tuam pro peccatis meis, et pro peccatis totius mundi tibi offero. Non habeo enim aliud, quo me aut alios redimam. Et hoc tibi sufficit, pie Jesu. Da igitur ut hic purgatus atque plene tibi reconciliatus, haudquaquam damnandus, nec ad judicium, sed ad quietem egrediar tecum, mi Domine, perpetuo possidendam. Si tamen aliter tibi placuerit mecum agere, totum me, dulcissime Jesu, tibi offero et resigno in gloriam tuam et manus misericordiæ tuæ. Amen.

THEORIA QUADRAGESIMA TERTIA.

Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, et induerunt eum vestibus suis. Marci XV, 20.

RECORDARE, Jesu bone, illius verecundiæ pudicissimæ, quam passus es, quando exutus purpura in oculis derisorum illusorumque vestimenta tua jussus es colligere atque teipsum induere. Id enim inimici tui procuraverant, non studio pietatis, sed invidia, qua omnia ad ignominiam tibi excogitabant. Quia enim veritate non poterant, saltem fictionibus, mendaciis et falsis criminationibus te insimulabant. Ad diem namque festum tunc ex omni Judæa, ex Samaria et Gentibus multitudo numerosa convenerat, coram qua universa oportebat te fieri opprobrium et abjectionem plebis. Turba enim, quia Lazarum te audierat resuscitasse quatriduanum mortuum ex monumento, cum palmis, hymnis et laudibus paulo ante obviam tibi venerat. Inde tabescentes invidia Judæi meditantur, quomodo turba adveniens se errasse atque deceptam arbitretur; ideo curabant, ut a Romanis quasi reum mortis inventum, damnatumque te cernerent, ex vestibus quoque tuis, quandoquidem te facies contusa, consputa cruoreque deformata haudquaquam monstrabat, te agnoscerent. 43. Amictus.

Pro vestitione virtutum, precatio.

AMABILISSIME Jesu, ante omnia et præ omnibus rogo benignitatem tuam, da mihi nunquam vestibus fidei, spei et charitatis nudari. Dulcis Jesu, inveniar semper iis vestibus amictus, quibus a te filius fidelis, amans et strenuus agnoscar. Ah, pie Jesu, diligam te ex toto corde meo, in omnibus et super omnia. Amen.

THEORIA QUADRAGESIMA QUARTA.

Susceperunt autem Jesum, et exuerunt eum chlamyde et purpura, et induerunt eum vestimentis suis, et eduxerunt eum, ut crucifigerent eum. Et bajulans sibi Crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum. Sequebatur autem illum turba multa po-

Digitized by Google

puli et mulierum, quæ plangebant et lamentabantur eum. Matthæi XXVII, 31. Marci XV, 20. Lucæ XXIII, 27. Joannis XIX, 17.

44. Sub Cruce.

DOMINE mi, Jesu Christe, postquam ad mortem damnatus es, et voluntati Judæorum traditus, quidquid cuique libebat pessimo, licebat inferre tibi : unde a multis et vilissimis opprobria et injurias tolerabas. Interea educeris ubi Crux miri ponderis protensæque latitudinis et longitudinis parata jacebat, in quam suspendendum te sciebas. Heu, bone Jesu, licet ultro omnia ferres, nihilominus tamen Crucem aspiciens, quomodo fieri potuisset, ut natura tua concussa non fuerit? quomodo Cor tuum non contremuit? Itaque cum Crucem hanc juberis portare, huic benedictos humeros tuos sauciatos mox obedienter supponis, et per mediam civitatem, in qua claritate signorum fulseras, egressus es, ferens imperium, imo et improperium super dorsum tuum. Ah, dulcis Jesu, tu solus et primus portas tibi supplicium tuæ Crucis. Neque enim alius quispiam hoc tangere voluit, propterea quod vituperium tunc haberet et maledictionem. Neque aliis tecum crucifigendis latronibus id jussum est, ut crucem suam portarent. Quippe quod nunquam factum, nunquam visum auditumve fuerit, ut crucifigendi suum propriis humeris portarent supplicium, nisi tu, mi Domine, solus, cui perfidissimi Judæi hoc procurarunt : quo sicut singularis hæc contumelia tibi fieret præ cæteris, ita ab ignorantibus singularis præcipuusque malefactor super omnes tu credereris. Heu, piissime Jesu, omnia hæc tu veluti agnus sustines, et taces, libenter pateris, quia et sic voluisti. Verumtamen Cor tuum nobilissimum, quanto mœrore potuit circumfundi, quod adeo reprobatum, adeo exosum te ab iis, quos peculiariter elegeras, videbas; quodque te quasi insignem malefactorem judicandum, cunctis cerneres expositum.

Pro religionis abnegationisque cruce suaviter ferenda, precatio.

O UTINAM, dulcis et misericors, o utinam, benigne Jesu, charitate me illa accendas, illa me repleas, quæ te sub Cruce inclinavit ! Utinam fervorem tui amoris, qui in dies crescat, mihi infundas, quo professionis meæ crucem, ad quam adeo misericorditer me vocasti, alacriter, ferventer strenueque portem, ut per viam perfectissimæ obedientiæ intimæque abnegationis curram post te in semitis omnium beneplacitorum tuorum, ad laudem, honorem et gloriam tuam. Misericordissime Jesu, si tu es creator meus, si tu redemptor, si tu salvator meus, qui ex profundo liberavit me inferni, qui peccata gravissima mihi remisit, qui me denique ad hunc Ordinem et locum Cartusiensium vocavit, inveniam etiam hanc gratiam in oculis tuis, ut tu me regas, ut me custodias, tu me possideas, et ad finem perducas illum, ad quem tu me creasti, tua morte me redemisti, tua etiam misericordia infinita vocatum hactenus exspectasti. Dulcis Jesu, trahe me nunc post te, et fac me imitari vestigia Passionis et charitatis tuæ. Amen.

THEORIA QUADRAGESIMA QUINTA.

Sequebatur autem illum turba multa populi et mulierum, qui plangebant et lamentabantur eum. Lucæ XXIII, 27.

45. Flebant.

PIISSIME Jesu, afflixit misericordissimum Cor tuum utrobique et lætitia inimicorum tuorum super morte tua exultantium, et mœror paucorum amicorum tuorum super te vehementer lugentium, præcipue autem quod Mater tua fuit nimis afflicta de tam ignominiosa morte tua, audiens te damnatum ad eamdem festinare. Eam ob rem cupiens te videre comitata modico devotarum mulierum collegio venit, ubi videre te potuit. Sed quid vidit, Jesu piissime? Nihil profecto, nisi quod Cor ejus maternum secabat. Vidit te onustum gra-

Digitized by Google

vissimo ligno Crucis, curvumque incedentem, utpote pondere usque ad terram prægravatum; vidit faciem tuam deturpatam, consputam, contusam et cruentatam; unde præ tristitia facta est quasi exanimis. Tu quoque, pie Jesu, Matris cernens angustiam, compassione vehementissima vulnerabaris. Heu miserabilem duorum amantissimorum occursum, ubi præ dolore et tristitia neuter aliquid poterat loqui, sed alter alterum aspectu amoris et compassionis vulnerabat! Aderant etiam aliæ mulieres paucæ, quæ omnes super te amarissime plangebant atque post te paulatim verecundeque sequebantur. Inter omnes tamen Mater tua amplius dolebat, videns tantam ignominiam, tantum contemptum, inter tot dolores ac pœnas te sustinere: unde lacrymas et gemitus miserabiles dabat, suspiciens in cœlum.

O Agne innocentissime, o immaculate Fili pudicissimæ Virginis, o benedicte Jesu, unigenite Dei Patris, quam libenter, quam desideranter amici tui fideliores, quorum modicus erat numerus, qui in tanta tibi necessitate assisterent, lignum Crucis illud gravissimum pro te sustulissent; modo sic tibi placuisset: idque potissime post dilectam Genitricem tuam ferventissima discipula et amatrix tua fecisset Magdalena, quæ fidelissimo corde præ cæteris tibi, sicut ardentius amabat, ita plus compatiebatur. Hæ omnes lugentes sequebantur, audientes clamorem hostium, verba improperantium, ictus ferentium, blasphemias deridentium, gaudium risusque super morte tua exultantium. Inter quæ tu tacens, veluti agnus mansuetissimus, incedendo laborabas. Cor namque tuum non solum pœna exterior, verum etiam, idque multo maxime, dolor interior, hoc est amicorum gemitus et luctus et hostium gaudium, plebis tuæ ingratitudo, obstinatorum periculum, tuorum scandalum sauciabat. Inter hæc omnia tamen quasi tuæ calamitatis ac pressuræ immemor, conversus ad mulieres, præ compassione flentes, benigne easdem admonens: *Nolite*, inquis, *flere super me, sed super vos ipsas flete et super filios vestros.*

Pro lacrymis contritionis, compassionis et amoris, precatio.

Heu, misericordissime Jesu, da mihi lacrymas veræ pœnitentiæ, quibus quotidie et continue peccata mea fleam et lugeam, quod tantarum sum tibi causa et occasio pœnarum. Jesu bone, da mihi lacrymas amoris et compassionis, quibus solvatur cor meum durum et congelatum. Heu me, Domine mi, da mihi contritionem peccatorum meorum veram atque perfectam, ut lugere et flere non desinam, quod te Patrem, Dominum ac Deum meum toties offenderim. Da mihi etiam emendationem vitæ meæ, et imitationem totius vitæ tuæ. Amen.

THEORIA QUADRAGESIMA SEXTA.

Ducebantur autem et alii duo nequam cum eo, ut interficerentur. Lucæ XXIII, 32.

Innocentissime Jesu, ad majorem tibi confusionem ignominiamque etiam hoc accessit, quod Judæis id procurantibus, duo latrones tibi sociati sunt tecum crucifigendi. Hi simul te comitabantur, quo populus extraneus, si mortis causam ignorans scire cuperet, quam Pharisæi nullam dare poterant, saltem ex latronibus comitantibus æstimaret, te eorumdem fuisse criminum complicem, atque in scelere parem, quibus esses conjunctus in damnatione. Ibas itaque, pie Jesu, maxima populi multigenarumque gentium multitudine circumvallatus, qui finem agonemque videre tuum cupiebant. Pro hac itaque gravi insuetaque, Domine mi Jesu, peregrinatione tua imo pro singulis passibus pedum tuorum in terram defixis, pro nimia etiam usque ad defectionem virium fatigatione corporis tui, ex præcedentibus pœnis exhausti; pro gravi quoque descensu aut ascensu indirectæ viæ subonere Crucis, et

46. Associant.

Digitized by Google

pro improba tandem tortorum tuorum impulsione, festinatione et impia tractatione, gratias tibi agens, adoro, laudo et benedico te, quod inter hæc omnia mala sic conglobata incedebas sicut agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, tacens et non aperiens os tuum, properans ad locum supplicii tui. Interea tamen, piissime Jesu, relinquebas vestigia cruenta ac rosea, quæ cernens piissima Mater te sequens, vulnere gravissimo in Corde suo sauciabatur. Heu, Jesu bone, quot suspiria, quot gemitus, quot lacrymas in hoc itinere effundebas, meditans Judæorum cæcitatem, impiorum obstinationem amicorumque desolationem!

Pro tractu amoris, precatio.

Domine mi, Jesu Christe, sequar te quocumque ieris, sed trahe tu me post te : quia nisi tractus a te, malitia mea inveterata id prohibente, non valeo sequi te. Misericordissime Jesu, da igitur me tibi sociari, atque per vestigia vitæ ac Passionis tuæ te devotissime sequi. Amen.

THEORIA QUADRAGESIMA SEPTIMA.

Exeuntes autem cum ducerent Jesum, apprehenderunt Simonem quemdam, et imposuerunt illi Crucem, ut portaret post Jesum. Lucæ XXIII, 26.

47. Simon. Suavissime Jesu, agne mansuetissime ac mitissime, adoro, laudo benedico te et gratias tibi ago pro gravissimo cruciatu quem sub Cruce pertulisti, potissimum tunc, quando Crucis lignum adeo ponderosum humeris tuis benedictis impositum, vulnera paulo ante ex flagellatione multa recenter inflicta in unum contrivit ac quassavit. Inter sanctissimas enim scapulas tuas, in quibus Crux jacebat, propter multiplices motus, et tractus, et violentias hostium, ex multis unum vulnus grande contritum fuit, cui Crux imminens ad singulos motus pedum tuorum intolerabiles tibi inferebat cruciatus. Accessit huic dolori incrementum, ex impiissima tortorum crudelitate, a quibus fuisti austere impulsus, dire protrusus, hinc inde tractus, armatis manibus verberatus, crudeliter quoque tractatus, et progredi compulsus : unde dolor junctus dolori vehementer auctus est, adeo ut onere Crucis nimio depressus, tu jam curvus incederes exhaustusque, viribus in te deficientibus, crebro sub ligno in terram corrueres. Verum impiorum manibus pedibusque absque ulla miseratione veluti bestia miserabiliter calcatus, fune etiam a terra juxta ac capillis retractus, nec modicum respirare es permissus, sed tandem hominem quemdam Cyrenæum angariaverunt, qui Crucem post te, Domine mi Jesu, portaret. Haudquaquam tamen moti pietatis compassionisve affectu hoc fecerunt, sed quo mortem tuam, quam maxime sitiebant, magis accelerarent, et sui furoris rabiem usque ad extremum suum posse, citius in te effunderent.

Pro progressu in virtutibus, precatio.

Heu, Jesu bone, hujusmodi iter nunquam ambulasti, tam asperam viam ante nunquam ingressus es, nec jugum adeo pœnosum antehac unquam tulisti. Per omnes igitur Cordis tui angustias corporisque dolores obsecro te, ut sub cruce vocationis meæ non sinas me tepescere nec deficere; sed facias proficiendo me progredi, atque ad majora me semper extendere, discretione omnia moderari, superioribus ex animo et humillime subjici, aliis quam mihi plus credere, te non ut Simon per angariam, sed devotissima imitatione sequi tibique inexstinguibili ac perpetua charitate semper conjungi. Amen.

THEORIA QUADRAGESIMA OCTAVA.

Et dabant ei bibere myrrhatum vinum cum felle mixtum. Matthæi XXVII, 34.

Heu, benigne Jesu, post tam multiplices derisiones te blasphemantium et subsannantium, factus enim es opprobrium eo- 48. Vinum.

Digitized by Google

rum et canticum tota die, post injurias et tormenta multa, post etiam gemitus et suspiria frequentia ex anhelo pectore tuo sæpe erumpentia, post vestigia sanguinea, quasi in testimonium, imo in vulnerationem piæ Matris sequentis relicta, post denique lacrymas ex oculis tuis defluentes, et post multas detractiones sermonum in itinere de te prolatorum, quorum te nullus latebat, postremo post studia prava inique tibi derogantium, cum tandem ad Calvariæ locum venisses, dederunt tibi quasi fatigato refocillandoque, ne ironiæ contumelia deesset, vinum myrrhatum cum felle mixtum. Ipsi namque potum bonum a viris misericordiarum propinatum ebiberant.

Adversus rancorem amarulentiamque omnem ad alios, precatio.

Dulcis Jesu, da mihi, ne vinum fellitum, hoc est, ne amaritudo, rancor, displicentia, furor, inquietudo unquam cor meum intret ; sed sincera castaque dilectio, piissima quoque ad omnes miseratio cor meum semper repleat ac possideat. Amen.

THEORIA QUADRAGESIMA NONA.

Desuper tunicam pallium sustulistis, et eos qui transibant simpliciter convertistis in bellum. Micheæ II, 8.

Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa ? Canticorum V, 3.

Exspoliavit se tunica, qua erat indutus, et dedit eam David, et reliqua vestimenta sua. I Regum XVIII, 4.

Tulerunt pallium meum custodes murorum. Canticorum V, 7.

49. Nudant. O fons et pulchritudo omnium creaturarum, amator pudicitiæ omnisque honestatis zelator, recolo nunc, atque utinam cum dolore, compunctione compassioneque cordis recorder ignominiam in monte Calvariæ tibi factam. Siquidem ibi omnibus vestibus denudaris, stans nudus in oculis universæ multitudinis. Stabas autem non tantum nudus, sed vulneratus, laceratus, cruoreque perfusus, et spineo serto pro diademate coronatus; stabas totus sauciatus, quia a planta pedis usque ad verticem capitis, non fuit in te sanitas, utpote in quo vulnus, livor, plagæ cruorque omnia obsederant ; idque sustinebas coram pia Matre reliquisque amicis tibi condolentibus, cernentibus quanta pertulisses ante, qui sic miserabiliter vulneratus, atque livoribus et plagis stabas opertus.

Pro paupertate naturæ et spiritus, precatio.

Heu, Jesu Christe, quem mundi contemptum, quam paupertatem nos docere volebas, qui sic nudus exspoliatusque omnibus, licet adeo necessariis, mori voluisti ! Heu, Jesu bone, quæ hæc paupertas tua, quæ non solum nihil habet proprium, sed etiam rei cujusvis adeo necessariæ non retinet usum ! Da igitur mihi quoque, amantissime Jesu, paupertatem ex animo diligere, carentiam, necessitates necessariorumque defectum constanter amare, contemptum et despectum diligere, et a cujuscumque rei creatæ imaginatione affectioneque cor nudum purumque tibi semper offerre. Ah, bone Jesu, da mihi veram nuditatem ac simplicitatem cordis : quibus te solum cogitem, desiderem et ex toto corde diligam, quibus inavertibiliter tibi inhæream, totusque semper et perfectissime tibi placeam. Amen.

THEORIA QUINQUAGESIMA.

Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Psalmo LXVIII, 27.

Heu, dulcissime Jesu in hac vestium denudatione non solum verecundiam pertulisti, verum etiam magnum dolorem. Siquidem laneam vestem, quæ vulneribus tuis compacta agglutinataque sanguine erat, dum tortores impiissimi retraherent, utpote festini et ad mortem tuam accelerantes, renovabant omnem dolorem quem paulo ante virgis flagellisque inflixerant. 50. Renovantur.

Digitized by Google

Nam vulnera pristina denuo lacerando aperiebant, et tenerrimi corporis tui plagas roseas dilatabant. Itaque doloribus vulneribusque renovatis, stabas, pie Jesu, lacerato corpore, decurrentibus undique rosei tui sanguinis rivulis, quasi excoriatus, contuens quomodo supplicii tui tibi ac mortis interea pararetur stratus. Verumtamen ubi sic doloroso aspectu tibi parari Crucem cernens exspectabas, nequaquam ab injuriis et calumniis liber eras. Circumstabant enim inimici tui blasphemiis te molestantes, comminantesque mox duras Crucis pœnas tibi affuturas.

Pro innovatione spiritus et compassionis, precatio.

Heu, bone Jesu, in nullo tibi miseri parcunt, sed sermonibus tibi aut derogant, aut illudunt, aut blasphemant, aut injuriis molestant. Renova, quæso, in me, pie Jesu, spiritum meum, et novam quotidie devotionem infunde, novum fervorem novumque tibi perfectius serviendi propositum. Ah, dulcissime Jesu, tuis vulneribus cor meum vulnera, et dolores intra me tuæ Passionis compassionisque quotidie renova, ut quocumque me vertam, nihil aliud oculis, nihil cordi, nihil denique memoriæ meæ occurrat, nisi Passio tua, vulnera tua et charitas tua. Hæc versentur continue in corde meo, et omnia caduca terrenaque mihi in fastidium vertant. Itaque tu solus mihi esto desiderium, gaudium, amor et delectatio, dulcissime Jesu. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Digitized by Google

QUINQUAGENA TERTIA THEORIARUM

VITÆ ET PASSIONUM JESU CHRISTI, DOLORUMQUE MŒSTISSIMÆ MATRIS EJUS.

THEORIA PRIMA.

Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Psalmo XXI, 17.

Extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua. Psalmo CXXXVII, 7.

1. Extensus. MISERICORDISSIME Jesu, Cruce tua parata, tortores tui velut rabidi canes furiose te arripiunt, alius brachio, alius capillis aut barba et super durum nodosumque Crucis lignum te retrorsum protrudunt : ubi sic præcipitatus jacuisti, toto corpore tuo ubique sauciato, præ dolore horroreque casus oculos comprimens, dentibus stridens, faciemque contrahens. Heu, amabilissime Jesu, fac ut digna devotione memor sim illius amorosæ ultroneæque expansionis membrorum tuorum. Siquidem, jacens super lignum, tam miserabiliter, quam dignanter brachia tua ultro super cornua Crucis expandisti, pedes ad inferiora ligni extendisti, et pœnis doloribusque offerens totum corpus aptasti. Dulcis Jesu, quomodo propter nos desideratum tibi fuit pati! Sic etiam ut hoc modo, hacque figura patereris, puta, qua te monstrares inter brachia tua, super tuo pectore, paterno quoque affectu te paratum recipere redeuntes, atque in amplexum nos recipere, quam tibi semper optatum sit. Accessit doloribus tuis, non absque providentia tua, aliud singulare novumque genus te cruciandi. Siquidem dum crudelitatis ministri Crucem pararent, quia mortem tuam Judæi vehementer sitiebant, ipsique propterea festinabant ministri, quo Judæis placerent, foramina Crucis, ubi eras manibus pedibusque affigendus, non ad tui corporis mensuram, sed a se distantia nimium fecerant : unde brachia cruraque tua benedicta, atque totum corpus tuum violenter, ut foramina attingeres, extendi necesse erat. Itaque pro hac extensione rigidissima omnium membrorum tenerrimi corporis tui super duro ligno, quod vulnerato fuit dorso tuo substratum, pro gravibus quoque pœnis ac doloribus in pectore, in corde, in omnibus quoque membris tuis, pie Jesu, toleratis, siquidem in pellis modum tam miserabiliter quam pœnose fuisti extensus, ut omnia possent dinumerari ossa tua, tam rigorose in longum latumque distentus, ut compages omnium membrorum tuorum solverentur, tam valenter denique affixus, ut nullius pene membri haberes potestatem ; pro his itaque omnibus, adoro, laudo benedicoque te, et gratias tibi ago. Nimis enim, benignissime Jesu, dolorosum est hoc videre spectaculum, te videlicet cœli Regem et omnium Creatorem inter omnes inimicos tuos, interque frementes lictores jacere, non aliter atque virorum novissimum et miserrimum ; videre etiam te præ intolerabili angustia et vulnerum pœna, anhelo pectore et corde palpitantem, crebros singultus emittentem : unde adamantina etiam pectora ad tui aspectum mollescere potuissent.

Pro charitate perfectioneque virtutum, precatio.

DULCIS Jesu, da mihi fervorem charitatis, atque ipsam charitatem perfectissimam, intensissimam perpetuamque mihi infunde, qua omnia mea præterita despiciam, in anteriora semper me extendam, mores actusque sanctissimæ vitæ ac Passionis tuæ imitari devotissime studeam,

Digitized by Google

de me funditus desperem, in te solo confidam, discretioni superiorumque voluntati humiliter acquiescam, cunctis per meiipsius contemptum subjiciam, et omnes vires animæ et corporis, omneque tempus vitæ meæ in laudem, honorem et gloriam tuam juxta beneplacitum tuum expendam. Amen.

THEORIA SECUNDA.

Postquam venerunt in locum, qui dicitur Calvariæ, ibi crucifixerunt Jesum. Lucæ XXIII, 32.

2. Crucifigatur.

Heu, mansuetissime Jesu, offero nunc tibi acerbissimam illam dolorosissimamque perfossionem manuum pedumque tuorum, qua dextera tua clavo nimium obtuso et crasso, duris malleorum ictibus impulso, ruptisque cute, venis, nervis ac ossibus, fuit crudelissime perforata : quæ illico sanguinis effluxione vehementique contractione, clavo meatum prohibente, vehementer intumuit. Deinde arreptam sinistram, quia ad foramen ligni paratum attingere nequibat, appositisque funibus ligatam, ad designatum locum in Cruce sævissimi tortores extenderunt atque Cruci affixerunt. Pari modo, dulcissime Jesu, cruribus extentis, atque ad foramen etiam nimium distans protractis, pes uterque tuus ingenti est dolore Cruci affixus. Tam dira autem fuit hæc crucifixio, ut clavi obtusi ac crassi per foramen Crucis et cutem et nervos secum transduxisse putandi sint, indeque intolerabili te cruciarunt dolore. Eia igitur nunc, benedicte Fili Dei vivi, eia innocentissime Jesu, cœlorum decus et gloria ! quid retribuam tantæ charitati tuæ, qua tam immensa tamque horrenda pro nobis patiens, nos dilexisti ? Aut quas gratias agam pro tot lethalibus cruciatibus tuis propter me perpessis, quas malleorum ictus tam validi, tam diuturni, tam denique sæpius iterati intulerunt, in hac acerbissima crucifixione corporis tui tenerrimi virgineique, paulo ante flagellis ac verberibus ubique saucia-ti, viribusque cunctis exhausti ? Hi namque ictus singuli Crucem asperam cum corpore tuo sanctissimo desuper extenso, sua violentia movebant, agitabant tremereque faciebant, adeo ut venarum omnium sanguis discurrens, et exire nequiens, corpus tenerum turbide percurrendo, vitalia quæreret. Unde pro excessivo dolore et cruciatu, quem mei causa tunc patiebaris, tumescentibus vulneribus tremen-tibusque membris, vix vivere poteras. Ah, dulcissime Jesu, utinam meipsum totum et omnia, quæ circa vel intra me sunt, Cruci tuæ inseparabiliter affigas, unde aliud posthac non sit mihi velle, scire aut posse, non aliud desiderare aut cogitare, nisi in Cruce tua, Domine mi Jesu Christe.

Pro sensuum affectionum crucifixione, precatio.

Heu, misericordissime Jesu, infelicem me peccatorem, quantum plangere debeo instabilitatem, distractionem evagationemque cordis mei, qua nimis graviter te continueque offendo. Hanc quæso, benignissime Jesu, omnemque effluxionem sensuum meorum, in Cruce tua colligas, affigas atque compescas. Heu, piissime Jesu, omnes affectiones et cogitationes meas, castissimi ferventissimique amoris tui anchora in te stabilias et quietes. Ah, dulcissime Jesu, hanc crudelitatem misericordissimam in me exerceas, quæso, ut cor meum clavo intensissimæ ardentissimæque charitatis incurabiliter vulneres, transfodias, crucifigas, inseparabiliterque sibi conglutines ac unias, ut tui semper amore langueam atque extra te nil valeam cogitare aut desiderare. Amen.

THEORIA TERTIA.

Jesus autem orabat : Pater, dimitte illis ; non enim sciunt quid faciunt. Lucæ XXIII, 34.

Digitized by Google

3. Orat. MANSUETISSIME Jesu, te adoro, laudo benedicoque et gratias tibi ago, pro ineffabili misericordissimi Cordis tui benignitate, pro indeficientique charitate, quæ ubique ex te in omnes emanat. Siquidem perfidissimis lictoribus atque inimicis adeo crudeliter te torquentibus, et Cruci te affigentibus, te item odientibus ac persequentibus, quid mali retribuisti? quomodo tuam ultus es injuriam? profecto charitate. Nempe tantam his compassionem exhibuisti, ut tuarum omnium immemor injuriarum omniumque dolorum, imo et Matris amicorumque, expansis in Cruce manibus, ardentissima charitate Patrem tuum cum lacrymis pro illis orares, peccata eorum excusans et dicens : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Magis enim illorum dolebas cæcitatem quam tuam pœnam : atque ideo hæc prima tua in Cruce vox, ubi magis dolores inter omnia, et ubi magis a Patre optares succurri, monstrabat. Ah, dulcissime Jesu, quam magna inæstimabilisque est multitudo dulcedinis tuæ, quam ineffabilis magnitudo misericordiæ tuæ erga diligentes te, quandoquidem adeo benignum, adeo pium adeoque misericordem exhibes te persequentibus te! Nam pro tanta eorum iniquitate, licet uno ictu oculi omnes aut a terra vivos absorberi, aut igne cœlesti concremari potuisses jubere, nulla tamen indignatione, sed vehementi compassio nesuper eos permotus, ut damnatio, quam pro injuria tibi illata sempiterna meruerant, illis remitteretur, dulcissimum salvificumque verbum pro eis orans, dixisti : *Pater, ignosce illis, etc.*

Pro mansuetudine charitateque erga inimicos, precatio.

SUAVISSIME Jesu, da mihi veram cordis mansuetudinem, ut omnibus me offendentibus, aut quocumque modo molestis, ex toto corde omnem injuriam dimittam. Dulcis Jesu, fac ut omnibus qui me offendunt, compatiendo et pro illis orando libenter ignoscam; beneficiis quoque et obsequiis singularibus placare eos studeam et reconciliare, et tanquam singulares amicos perfectius diligere. Amen.

THEORIA QUARTA.

Erat autem et superscriptio scripta super eum : Jesus Nazarenus, Rex Judæorum. Lucæ XXIII, 38.

4. Scripsit. AMABILISSIME Jesu, super benedictum caput tuum Cruci præterea impositus a Pilato est titulus, causam tuæ Passionis habens scriptam, videlicet : *Jesus Nazarenus, Rex Judæorum.* Verumtamen Judæi invidia moti, tibi, ut Rex dicereris Judæorum, non favebant, et quod suus rex crucifixus esset, ignominiam sibi formidabant : quamobrem Pilato, ut titulus mutaretur, supplicabant, licet frustra, prævalente justitia tua simul ac veritate. Interea tamen contristabat Cor tuum malevolentia populi hujus, qui negabant quod gentilis confitebatur, et tituli veritatem corrumpere insidiose nitebantur, quo magis te diffamarent, ne quasi rex, sed regni impudens credereris invasor, atque propterea, id est, propter temeritatem punitus.

Pro spirituali protectione adversus cuncta pericula, precatio.

DULCISSIME Jesu, sub hoc titulo, sub hoc vexillo fac merear semper inter tuos electos milites recenseri. Nihil habet nobile vita mea, sed sordent omnia mea in conspectu tuo. Porro tua misericordia mihi non sordet : hanc concupisco, hac me recenseri scribique cupio inter electos. Sub hoc titulo, dulcis Jesu, protege me ab omnibus insidiis diaboli; sub hoc titulo protege me a vitiis et concupiscentiis malis; sub hoc titulo protege et libera me ab omni malo. Da, pie Jesu, ut fidelis fidelissimusque tibi serviam usque in finem, te solum et gloriam tuam quærens. Amen.

Digitized by Google

THEORIA QUINTA.

Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus. Joannis XII, 31.

5. In altum. O MEDIATOR Dei et hominum, clementissime Jesu, exsurgant, quæso, omnes creaturæ, potissime autem cor meum vagum, impurum et ingratum, in gratiarum actionem pro omnibus laboribus, doloribus, vulneribus et opprobriis, quæ propter me passus es, cum tandem tortores tui crudelissimi strepitu magno validisque clamoribus te in Cruce levaverunt in altum, et in foramen petræ Crucem nimis impetuose cadere permiserunt, adeo ut cunctis membris et visceribus in te trementibus, dolorum vulnerumque totius corporis acerbitas renovaretur. Crucifixerunt autem simul duos latrones, in quorum medio te velut insigniorem ac malitiæ caput posuerunt. Heu, Agne innocentissime, quantum constristant Cor tuum piissimum ac verecundum, tot infamiæ tamque multiplices injuriæ in te meditatæ! Quid enim non meditatur invidia ? Et quid invidissimi homines, gens tua tibi non construxerunt, quo nomen tuum præclarum et odoriferum exstinguerent ? Verum quo magis id nisi sunt, eo te nobis amabiliorem clariorem-que fecerunt. Nam traditione discipuli tui ad infamiam tuam usi sunt ; populorum armorumque strepitu quasi latronem te comprehenderunt ; in suo judicio ut blasphemum ac reum mortis damnaverunt, vinctum, id est, ad mortem condemnatum obtulerunt judici ; ad hæc quasi evidentissimum nequam te per civitatem ducunt reducuntque ; propter festum denique privilegio utentes, latronem insignem sibi donari petunt, quem tibi præferunt quasi justiorem, te vero cum latronibus aliis ad Calvariam eduxerunt damnatum ; tibi quoque soli lignum tuæ Crucis, quasi præ aliis nequiori, imposuerunt, atque nunc tandem in medio latronum, quasi eorumdem caput et principem crucifixum statuunt, pro modico æstimantes, quod intolerabiles pœnas et cruciatus inferebant, nisi et famam boni nominis tollerent tibi innocenti.

Pro patientia in adversis, precatio.

AH, Jesu bone, da mihi veram perfectamque patientiam, ut correptiones, objurgationes, confusiones, contemptum et convitia æquanimiter et sine turbatione cordis perferam, et nemini malum pro malo reddam, sed odientes et calumniantes me diligam, atque sincerissimæ charitatis affectum beneficiaque illis impendam. Misericordissime Jesu, fac me ab omnibus quæ mundi sunt, exul, et in Cruce tua tecum a terra sublevari, ut omnibus vitiis et concupiscentiis crucifixus ac mortuus, mundoque altior factus, in tuis semper vulneribus merear conversari. Amen.

THEORIA SEXTA.

Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum ? Et dicet : His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. Zachariæ XIII, 6.

DULCISSIME Jesu, quanta est erga nos pietatis tuæ dignatio, quam inæstimabilis magnitudo charitatis, qua Crucem non solum ultro, verum etiam desideranter propter nos ascendisti. O quanta obedientia, qua non solum Patri verum etiam hostibus et tortoribus quibusque vilissimis obedisti ! Quanta patientia, qua tam immensos tolerasti pœnarum cruciatus! Ecce Cruci affixus es, ecce tribus clavis retentus, ecce tribus horis in Cruce pateris : magis tamen te nostri amor in Cruce retinet quam clavi. Quis enim teneret te, nisi ultro velles ? Factus es omnium membrorum impotens, quia id voluisti. Movere te non poteras angustatus, nisi capite solo, et hoc paululum : erat enim id quoque spinarum aculeis obsitum. Nihil igitur

6. In tribus.

Digitized by Google

liberum præter aridam linguam habebas ad orandum, et erudiendum usque ad mortem. Heu, Jesu bone, Jesu miserator et misericors, dum sic universa corporis moles in tribus penderet clavis, sui pondere benedicta membra tua supra omnem modum et æstimationem, et potissime manus et, pedes sunt afflicta, contrita et dissecata. Vulnera etiam ampliantur, rumpuntur nervi, compages solvuntur, atque inæstimabilis pressura fit pectori atque cunctis interioribus membris. Totum namque pondus duo superiores clavi sustentabant, et vulneratum dorsum duro hærebat asperoque ligno Crucis. Heu, bone Jesu, cur adeo ferreum ac lapideum cor habeo ego, quod compassione et dolore non scinditur? Cur præ dolore non tabescit anima mea? Quomodo unquam extra te lætus esse potero? quandoquidem omnium pœnarum harum causa est pessima vita mea. Ego te vendidi, ego conspui, ego alapas dedi, ego flagellavi, ego illusi, ego crucifixi, ego te necavi.

Pro fidei, spei charitatisque augmento, precatio.

Heu, Jesu misericordissime, parce mihi, et sit mihi Passio tua in medicinam et remedium, non in damnationem peccatorum meorum. Da mihi jugem, veram intensissimamque contritionem pro peccatis meis, perfectamque totius vitæ meæ emendationem, et totius vitæ tuæ imitationem. Dulcis Jesu, per omnia vulnera, per dolores, per contemptum tui, et per omnes guttas sanguinis tui obsecro te, et si dicere licet, supplex adjuro te, per omnes misericordias tuas et per temetipsum, infunde mihi fidem, spem et charitatem perfectissimam et intensissimam, quibus veluti tribus clavis confixus a te recedere nequeam, sed inavertibiliter tibi perpetuoque inhæream, meipsum autem totum in laudem et gloriam, juxta sanctissimum beneplacitum tuum tradam et consumam. Dulcis Jesu, singulariter etiam te rogo pro stabilitate, simplicitate ac puritate cordis; id autem tunc potissime, quando sacrificium aut obsequium tuæ laudis tibi offerre habeo. Amen.

THEORIA SEPTIMA.

Christus dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Apocalypsis I, 5.

Benignissime Domine Jesu Christe, adoro, laudo benedicoque te et gratias tibi ago pro copiosa effusione sanguinis tui pretiosi, qua et Crucem et terram rigasti abundanter. Siquidem te cum Cruce exaltato, et in terram Cruce impetuose situata, vulnera manuum, pedumque tuorum, quæ prius ex crassitudine clavorum obstructa fuerant, mole corporis tui ad inferiora urgente, laxantur: unde veluti ex paradiso quatuor flumina, hoc est quatuor rivi sanguinis de quatuor præcipuis vulneribus corporis tui emanabant, quæ universam terram rigarent omniumque peccata abluerent. Nihilominus tamen et reliqua vulnera, quia per extensionem corporis fuerunt dilatata ac renovata, patientia, ruptis venis roseum sanguinem emittebant. 7. Effluxit.

Pro contritione et amore Dei, precatio.

Nunc igitur, ineffabilis dulcedo, Jesu Christe, memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti, illius scilicet jucundissimæ promissionis tuæ, qua dixisti: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Amabilissime Jesu, si cœlum et terra transibunt, verba autem tua non transibunt; firmentur igitur ac compleantur verba tua in me miserrimo peccatore, quandoquidem cupio esse servus tuus. Ecce in conspectu tuo, dulcissime et omnipotens, sto, Deus, pauperculus et vilis peccator; ecce coram te cinis, pulvis et nihil; attamen creatura tua et plasma tuum, sanguineque tuo plus aliis redemptum. Tanto enim pro me quam pro

Digitized by Google

justo quovis passus es, quanto ego cæteris pauperior miseratione tua plus egeo, et quo ego redemptione tua magis indigeo, utpote præ multis aliis magis facinorosus. Respice igitur me oculis misericordiæ tuæ, dulcis Domine Deus meus, et fac ut juges lacrymæ mihi etiam, si possibile est, sanguineæ effluant præ magnitudine et multitudine contritionis atque amoris, quod videlicet adeo enormiter te piissimum Patrem offendi, adeo fidelissimum te amatorem ac benefactorem contempsi, atque pro infinitis tuis beneficiis nihil nisi ingratitudinem, malitiam et infidelitatem rependi. Ecce nunc exaltatus es : trahe me post te, trahe me per te ad te, quia sic promisisti ; quo delectatione omni terrena spreta, cunctis curiosis abjectis, otiosis omnibus profligatis, mortificatis denique vitiis et concupiscentiis universis, atque gratiam tuam tuique amoris infusionem eisdem deletis, curram amodo ad omne et juxta omne beneplacitum perfectissimum divini Cordis tui, in odore et fervore purissimæ charitatis. Amen.

THEORIA OCTAVA.

Crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus mittentes sortem. Marci XV, 24.

8. Vestes

Piissime et clementissime Jesu, quis digne exprimet charitatem tuam erga nos, qui extremum genus paupertatis elegisti propter nos? Siquidem, omnibus spoliatus, omnibus nudatus, pependisti in Cruce, nihil de hoc mundo retinens, nihil possidens, qui tamen servis tuis abundanter omnia tu provides ; imo qui et nos peccatores ingratos atque quotidie rebelles, scelestos et inobedientes, atque adeo volatilia cœli et bestias agri pascis et vestis. Itaque omnibus perinde ac amantissimus et fidelissimus Pater, tua largissima bonitate providens, ipse nunc pendes nudus in Cruce, utpote qui extremam penuriam in vita ac morte elegisti, adeo ut in hoc ultimo durissimoque ægritudinis, hoc est, acerbissimæ Passionis ac mortis tuæ lecto, nihil adeo fore posset cuivis infirmo necessarium, quod tibi non deesset, nihil tam molestum quod tibi ad pœnam non adesset. Nam omnibus licet esses nudatus, non caruit tamen ipsa etiam paupertas tua illusione et contemptu. Siquidem vilissimi impiissimique tortores, vestimenta tua in prædam rapiunt, inter se ea dividunt, super tunica quoque inconsutili, ne divideretur, sortem mittunt. Non autem ob hoc solum id faciebant, quod adeo essent indigi, inopes atque viles, sed ironice, per Judæorum instructionem id faciebant, tibi illudere volentes, et quasi jactantes nobilem se prædam obtinuisse, vestes puta tuas regias, unde omnes fieri divites possint, has dividi oportere : atque idcirco inter se dividunt, facto hoc ipso, tuam paupertatem tibi exprobrantes. Heu, mihi Domine, hoc improperium paupertatis libenter tu pertulisti, compatiens interim afflictæ Matri vehementi dolore, cujus sciebas Cor virgineum pro tui amore consternari, videntis vestimentum, quod tibi devota paraverat, in prædam ac sortem tolli, tibi quoque in ignominiam exprobrari.

Pro naturæ spiritusque nuditate, precatio.

Fac, o suavissime Jesu, me nihil de hoc mundo concupiscere, ea quæ ad nudam simplicemque corporis pertinent necessitatem, secundum discretionem tuam ad usum solum accipere, quo nulli creaturæ per affectum inhæream ; sed quæ amanda sunt juxta voluntatem tuam in te solo diligam, te vero in omnibus et super omnia, ex toto corde, ferventissima, purissima intensissimaque charitate, perpetuo ac inseparabiliter possideam. Dulcis Jesu, nunquam scindam, nunquam dividam fratrum concordiam ac unitatem : sed omnia reparare, resarcire scissa, dissidentia quoque reparare studeam ad pacem, ad unitatem et ad charitatis perfectissimam integritatem. Amen.

Digitized by Google

THEORIA NONA.

Prætereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua. Marci XV, 29.

9. Blasphemia. Piissime Jesu, Deus meus, misericordia mea; certe misericordia tua plena est omnis terra. At, quam dolendum est, te qui miseris omnium, cum propter me in miseria esses maxima, non habuisse qui misereretur tui : adstitisse vero omni ex parte, qui persequerentur te subsannationibus, exprobrationibus blasphemiisque : et hoc ideo, quoniam aliud in te jam ultra non poterant. Sed quis, Domine mi, tibi æqualia passus est? Quis damnatis ad mortem illusit unquam? Quando enim ad mortem sunt damnati pro suis peccatis homines, compatiuntur eis reliqui omnes. Tibi vero, quod omnibus fit, non contingebat : nihil enim compassionis, nihil commiserationis ab inimicis tuis, vel in extremo supplicio tibi exhibitum est, sed ore te polluto ac sermonibus impiis, quamdiu vivebas, persecuti sunt : quandoquidem aliter quo te contristarent, non habuerunt; expleverant enim omnem sui furoris rabiem in te, et quidquid potuerunt, tibi in opprobrium fecerunt et tormentum. Aliis damnatis ad minus benigna fit allocutio, et sufficit læsis omnibus, quod morte se redimunt : tu vero neminem læsisti, Jesu innocentissime, sed pro iis, qui potentiam et majestatem tuam læserunt, pateris damnationem mortis. Et ibi inter amarissimos cruciatus, cum diræ mortis accederent angustiæ, non solum non pepercerunt, nec compassionem impenderunt tibi inimici, verum prætereuntes Crucem Judæi et milites, agitabant etiam in te capita sua, blasphemantes. Ad hæc alterutrum colloquuntur illudentes, sanitatum tibi beneficia exprobrabant, dicendo : *Vah, qui destruis templum Dei, etc. Si Rex Israel est, descendat nunc de Cruce. Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Confidit in Deo, liberet eum nunc, si vult, etc.* Tu vero, Agne mitissime, hæc audiens, ut agnus innocens non aperuisti os tuum.

Adversus omnem amaritudinem animi, precatio.

Pro hac igitur, tamque inæstimabili patientia Cordis tui, gratias ago tibi, adoroque te, et benedico tibi. Hujusmodi enim verba licet Cor tuum dissecando penetrarent, tamen non respondisti exprobrantibus tibi verbum, sed eorum potius compatiens cæcitati, pro illis orabas. Dulcis Jesu, fac ut nulla blasphemia, nulla amaritudo nullave impatientia cor meum tangat, sed tuam, quæ plusquam paterna est, dilectionem semper attendam, tuam providentiam semper in memoria teneam, tibi me committam ac relinquam, de manuque tua omnia recipiens semper gratias tibi agam. Amen.

THEORIA DECIMA.

Unus autem de iis qui pendebant latronibus, blasphemavit eum, dicens : Si tu es Christus, salvum fac temetipsum et nos. Respondens alter, increpabat illum, dicens : Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es? Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus. Hic vero nil mali gessit. Et dicebat ad Jesum : Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Jesus : Amen dico tibi : Hodie mecum eris in paradiso. Lucæ XXIII, 39-43.

10. Latro. Ah, mitissime, gratiosissime ac dulcissime Jesu, fons totius misericordiæ, recordare illius immensæ pietatis superabundantissimæque misericordiæ, quam latroni a dextris pendenti, te tam veraciter quam pie excusanti, pœnitenti et misericordiam tuam ultima voce sua abs te postulanti, non minus dulciter atque prompte exhibuisti, eidem supra id quod petierat, promittens; hoc est : non solum illius pollicitus es te habiturum memoriam, verum

Digitized by Google

etiam peccatis dimissis : *Hodie,* inquis, *eris mecum in paradiso.* Dulcissime Jesu, quam dulciter omnes pœnitentes hoc verbo refecisti, quam potenter nos miseros ad spem erexisti. Audimus enim, quam misericors es, Domine, in omnes qui invocant te, quamque dulcis et pius iis, qui in te sperant. Verum non fuit tamen hoc verbum sine tristitia Cordis tuí, utpote qui memor eras ingratitudinis multorum, quibus curationum multa beneficia conferas, quorum nemo ex ingenti multitudine, quæ ad diem festum, aut ad tuæ Passionis crudele spectaculum convenerat, inventus est, qui præter hunc latronem te palam confiteretur. Nemo comparuit, qui vicem aliquo modo reddere cupiens, aut te excusaret, aut pro te loqueretur verbum. Hunc solum lucratus es, adhuc sanguine tuo calente, latronem ; et amisisti discipulum, imo discipulos omnes : quippe qui simul omnes in fide scandalum passi, dubitabant. Sola Mater tua in fide constans stabilisque perseverat.

Pro digna pœnitentia pro peccatis, precatio.

Eia, misericordissime Jesu, tantam misericordiæ tuæ exuberantiam adoro, laudo, benedico, et pro ea gratias tibi ago, obsecrans te per eamdem misericordiam tuam, ut tantam benedictionem tuæ dulcedinis mihi infundas, tanta me gratiæ tuæ plenitudine repleas, eamdemque mihi, qui erga meipsum sum et deprædator et latro, serves, quo in hac vita pœnitentiam lacrymis et contritione tam continuam tamque peccatis meis dignam et tibi acceptam offeram; quo præterea tam ardenter, tam perfecte, tam sincere casteque te diligam, tam pure vivam, in omnibus quoque tibi placeam, ut post egressum animæ a corpore, immediate æternam beatitudinem tecum, dulcissime Deus, ex infinita clementia tua percipiam. O utinam, piissime Jesu, dignus merear abs te audire in fine vitæ meæ : *Hodie mecum eris in cælo.* Amen.

THEORIA UNDECIMA.

Non est species ei neque decor : et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem. Et quasi absconditus vultus ejus et despectus ; unde nec reputavimus eum. Isaiæ LIII, 2, 3.

O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor similis sicut dolor meus. Threnorum I, 12.

A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas, sed vulnus et livor et plaga tumens. Isaiæ I, 6.

Eia, dulcissime atque mansuetissime Jesu, ubi nunc in me sunt lacrymæ compassionis, aut quomodo cor meum sic induratum est, ut tibi non condoleat ? Heu, quomodo sic emortuum est, ut tantam Passionis tuæ magnitudinem non attendat, tantam charitatis tuæ flammam non sentiat ? cum videam te virum dolorum et scientem infirmitatem, nullam pœnam, nullum opprobrium, propter miserrimam animam meam salvandam voluisse recusare, cum aspiciam in te gravissimos dolores, innumeras plagas, livorem cruentaque vulnera pro me sceleratissimo a te desideranter suscepta, atque occasionibus adeo multis accedentibus exaggerata ; siquidem *a planta pedis usque ad verticem* capitis *non est in te sanitas,* locus nullus in te liber est a pœnis, sed quidquid in corpore tuo est, aut est plaga tumens, aut vulnus fluens, aut roseus calidusque sanguis per corpus discurrens. Pateris enim in omnibus singulisque membris singulos dolores, singulatim sentiens, pateris intus in Corde et anima, pateris in florida corporis tui ætate, pateris coram innumera populi multitudine, pateris ab electa gente, pateris in paschali tempore, pateris ubi nemo tibi compatitur, pateris denique

II. Undique.

Digitized by Google

innocenter pro peccatis alienis : idque ex pura et sola charitate. Undique igitur Passionis tuæ dolor dolorisque vis tibi exaggeratur, et seipsa continuo fit major. Aggravat eam nobilissima tenerrimaque complexio tua, aggravat personæ dignitas : quippe qui ex regio, sacerdotali, patriarchalique stemmate secundum carnem descendens, Virginis pudicissimæ integerrimæque es Filius, Verbum Dei, Patris Filius, Deus de Deo, Angelorum Rex, Sanctorum gloria, Creator cœli, Conditor universi ; et tamen cum tantus sis, vilissima et indignissima quæque sustines ab hominibus vilissimis et pro sceleratissimis peccatoribus ; ab amicis derelictus, latronibus sociatus, in despectissimo loco et ignominioso supplicio. Hæc omnia, Christe Jesu, maxime autem omnium, nostra ingratitudo, nostra rebellio, unde fit ut tam dira Passio tua nobis non prosit, cruciatum pœnamque Cordi et corpori tuo augebant.

Pro charitate ardenti, precatio.

Verum, quid ego miser ad hæc facio? Heu, quare dolore, tristitia et luctu non tabesco? Heu, cur præ amore et compassione non deficio? Heu, moriente pro me charitate, cur non morior? Ah, dulcissime Jesu, accendat, repleat, inebriet, absorbeatque me ignita et melliflua vis amoris tui, quæ faciat me omnium terrenorum oblivisci, omnibus vitiis et concupiscentiis emori, ut sicut flamma ardens totus in amore tui candeam, et ex omnibus medullis cordis et corporis mei, in gloriam et beneplacitum tuum totum me tibi tradam. Fac, piissime Jesu, ut undique tui amore vulnerer, undique ad te pellar, totusque charitate flagrem. Amen.

THEORIA DUODECIMA.

Stabat juxta Crucem Jesu Mater ejus. Joannis XIX, 25.

12. Condoluit.

Piissime Jesu, quis exprimet satis mœrorem Cordis tui angustiamque, quam pro piissima Matre tua habebas adstante, quam dilectissimam habuisti, ita eidem compassus es amplius, dum eam sub Cruce cerneres pro te dolentem et gementem. Cordis enim ejus dolorem inæstimabilem tu solus æstimabas, quia tu solus in Cor ejus videbas. Unde quamvis dolor proprius te cruciaret nimium, nihilo secius tamen Matris anxietati condolebas, quam sic desolatam relinquere, aut ab illa dulcissima separari erat dolorosissimum : quippe quæ te nunquam deseruit, cujusque tibi neque solatium defuit unquam neque obsequium. Siquidem ipsa te lactavit infantem, nutrivit adolescentem, prædicantem comitata est, et nunc Cruci adstans, gemebunda aspicit patientem. Ipsa tua denique contemplatur vulnera, audit opprobria, auscultat ad tua verba. Hujus itaque Matris dolor ex castissima anima et materno Corde prodiens, hujus gestus lugebundi et lacrymæ, tuum tibi, dulcissime Jesu, martyrium duplicarunt ; verba ejus plangentisque suspiria, et virginei pectoris gemitus Cor quoque tuum dissecabant. Quomodo enim, o piissime Jesu, huic Matri sic te amanti compassionem non exhiberes? Aut Cor tuum quomodo dolore non scinderetur, quando cæteris non solum amicis te plangentibus, verum etiam inimicis, atque adeo ipsis te persequentibus, tantum condoluisti, ut ex nimio charitatis affectu in Cruce pro illis fleres? idque præcipue pro iis quibus tantam Passionem sua culpa sciebas non profuturam. Voluisti tamen Cruci tuæ Matrem assistere non in solatium, sed tibi et illi in majus tormentum. Neque enim sufficiebat tibi Passio externe inflicta, nisi et intus fores afflictus. Atque ideo quo copiosior esset nostra redemptio, Matris adesse volebas præsentiam, unde tibi dolorem augeres internum.

O Virgo benedicta, et inter omnes mulieres tam sublimis quam singularis, dignissima Dei Genitrix Virgo Maria, exsurgant, quæso, omnes vires cordis et corporis mei in reverentiam, in laudem, in amorem

Digitized by Google

et gratiarum actionem erga te, pro dolorosa statione juxta Crucem benedicti Filii tui Jesu, proque illa maxima fidelitate singularique tolerantia, quam Filio morituro, tu, Mater piissima, Virgo tenerrima, in extrema necessitate monstrasti. Siquidem viris apostolicis fugientibus, et in fide nutantibus, tu sola unica et præelectissima Virgo solidam fidem, spem et charitatem inconcusse inexstinguibiliterque conservasti. Itaque stabas juxta Crucem patientis Filii mœstissima Mater. Heu, Virgo sancta, Domina mundi, Angelorum Regina, quid tibi et Cruci? Quæ societas patibulo cum templo Spiritus Sancti? Quæ communicatio Dei sacrario cum despectionis loco? Quid tibi, o benedicta, in mentem venit, ut stares in loco supplicii malefactorum, quæ virginitatis es speculum, totiusque sanctitatis luminare exemplum? Eheu dulcissima, nequaquam otiosum, nequaquam est absque causa, quod Virgo nobilissima, quod pietatis Thesauraria in loco commoraris tam indigno, tamque verecundiæ tuæ virgineæ insueto. Habes igitur præsentem aliquem magnum, quem individuo sequeris amore : et hic Deus tuus est, omnium Creator, Pater amantissimus, sponsus dulcissimus, Filius unigenitus, omniumque misericordissimus Salvator. In hoc vita tua est omnis, in hoc spes tua tota. Hic nimirum Jesus, qui est suavissimus, in Cruce miserabiliter pro nobis est perditissimis peccatoribus extensus; hunc cernis, hunc inspicis, hujus mortem præstolaris, hunc neque relinquere, neque ab eodem potes recedere, quia in ipso tu et tua sunt omnia. Sed mirum, o tenerrima Virgo, quomodo ex præcedentibus vigiliis, tristitiis Filiique passionibus, quas aut cernis oculis, aut in spiritu vidisti, aut certe aliorum infallibili didicisti relatione, et nunc ex præsentibus quæ cernis, afflicta et quasi exanimis stare potes. Mirum, o nobilissima, quomodo in tanta cordis anxietate, in tanto dolorum torrente, non mortua jacuisti, nisi ex sola id fuisset Filii miraculosa dispensatione, ut tot doloribus morte amarioribus morereris vivens, dum vivendo pœnas omni morte sustinebas in anima crudeliores.

Quis enim cogitare sufficeret aut æstimare compassionis pœnas, quas Filio tuo innocenter patienti exhibuisti? Nam cum Filium paulo ante audieras damnatum, sociata humili feminarum caterva, ad locum Calvariæ properasti, et inter furentes populorum acies gemebunda transiens, dum Filio tuo quantocius crucifigendo satageres propinquare, dum adhuc in carne viventem affectares cernere et antequam moreretur, ab eodem piæ allocutionis verbum suscipere, nec posses, itineris utebaris compendio, ubi in faciem eis occurrens, vidisti vultum ejus amabilem sputis, sanguine et livore repletum : vidisti sub onere Crucis curvum, ipsum anhelantem et deficientem; vidisti ad injurias pessimas et blasphemias humiliter tacentem; vidisti, nec loqui potuisti præ dolore Cordis. Deinde ah, benedicta inter mulieres, quam ingenti cruciabaris mœrore, dum Filio eodem nudato atque super Crucem posito, audires crucifigentium clamores et strepitus. Heu, malleorum validorumque ictuum pulsus, clavorum tinnitus in Filii crucifixiones nonne Cor tuum maternum dissecuerunt? Dominus enim noster Jesus Christus Filius tuus, quæcumque sustinuit in carne, eadem te vulnerabant in mente. Heu, quam tristes, quam lugubres voces et gemitus a te, cæterisque paucis amicis audiebantur, quando extenditur, foditur, clavis figitur totoque corpore dissipatur tuus Unigenitus! Postremo, quantum triste hoc spectaculum Cor tuum virgineum dissecuit, dum in Cruce exaltatus, nudus inter latrones ponitur, speciem habens leprosi; dum abjicitur, diffamatur, deridendus blasphemandusque omnibus offertur? Videbas in Cruce suspensum, videbas toto corpore vulneratum et cruentatum, ab omnibus derelictum contemptumque, quem sciebas ex te Virgine Deum natum, inter hominesque innocentissime conversatum.

Digitized by Google

Pro felici morte ad beatam Virginem Mariam, precatio.

Benedicta igitur et piissima inter mulieres, per virginei Cordis tui mœrore pariter ac dolore vulnerati compassionem, rogo te, o unica spes et refugium miserorum, da, ut fideliter nunc tibi et Filio tuo ego assistam sub Cruce condolens, et pro posse meo eumdem imitari, eidemque conformari contendam. Tu igitur, piissima Mater, assiste mihi quoque in omni tentatione et adversitate ; præcipue tamen in hora mortis meæ, ab omni peccato, ab omni periculo, ab omni malo, pientissima Mater libera et defende me. Ah, pone super me hos oculos misericordiæ, quibus benedictum fructum ventris tui adeo tristis vidisti patientem, et præserva me a laqueo inimici et a consensu cujuscumque peccati. Nusquam cor meum introeat, nunquam in conscientia mea coram oculis Dei appareat, quod illi displiceat. Dulcis Maria, nihil in hora mortis hostis in me inveniat, quod accuset. Quod ut impetrare abs te valeam, fac etiam, o misericordissima Dei Mater, ut clavi Passionis Filii tui cor meum perfodiant, et salutaribus vulneribus contritionis, compassionis et amoris me crucient, ut ex vehementi peccatorum displicentia ac contritione, lacrymis totus effluam, et præ tui amoris castissima vehementia, a meipso deficiam. Ah utinam, o pulcherrima dulcedo, o utinam suavissima pulchritudo, Mater piissima, tanta fidelitate, charitate et compassione tibi sub Cruce assistam, ut in illorum digneris me numero computare, quos arctissimo dilectionis vinculo Cordi tuo misericordissimo tenes impignoratos ! Dulcis Maria, fac tibi nunc devotus semperque assistam, ut tu in necessitatis mortisque articulo, cum dulci virginum comitiva mihi assistas, tua et Filii merita pro me ponas, nec me deseras, donec animam meam plene Filio tuo reconciliatam, pleneque in ipsius sanguine purgatam egredientem, absque ullo impedimento in gaudia Filii tui introducas. Amen.

THEORIA TERTIA DECIMA.

Cum vidisset Jesus Matrem et discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suæ : Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo : Ecce Mater tua. Joannis XIX, 26, 27.

Dulcissime Jesu, quas gratias tibi agam pro dilectione filiali, pro veneratione ac pia sollicitudine erga fidelissimam Matrem tuam, cunctis angustiis ac doloribus plenam : cujus in tantis pœnarum cruciatibus, quasi tui oblitus, curam gessisti ? Providebas enim, ut egressurus de hoc mundo, alium pro te illi relinqueres filium, et fidelem substitueres ministrum. Siquidem Cruci affixus, et jam in ultimo pene spiritu constitutus, cum nullius membrorum tuorum liberum haberes usum, nisi oculorum et linguæ, utrumque in Matris obsequium convertisti. Respexisti enim illam et allocutus es ; nam ipsi præmortui et pallentes oculi tui a dilecta se Matre non poterant continere. Siquidem quos supervenientis mortis impetus claudere impellereque conabatur ad defectum, ad Matris aspectum vis amoris rursus aperiebat. Itaque hoc aspectu ac ultimæ visionis radio, in Cor Matris ad tuæ Passionis memoriam profundissime imprimendum infixo, ipsam alloqueris, venerabilissimum eidem discipulum tuum pro te in filium, atque e diverso discipulo eamdem in matrem commendans, Virginem virgini filiali ac materna dilectione indissolubilisque virginitatis vinculo sociasti, dicens : *Mulier, ecce filius tuus. Et ad discipulum : Ecce mater tua.* Heu, Mater Dei patientissima, heu, amore ferventissima, heu, dignissima mulierum, nunc tibi Simeonis gladius occurrit, olim promissus : quem inter mulieres olim benedicta, nunc vero matribus cunctis plus desolata, hodie toties experta est, præsertim nunc, dum Filius tuus unicus in Cruce

13. Mulier.

Luc. II, 35.

Digitized by Google

pendens, quasi propriorum immemor esset dolorum, compassione vehementiori tibi fidelissimæ, tristissimæ dilectissimæque Matri suæ condolens, filiali te allocutione perinde ac valedicturus, alteri resignat, atque juniori commendat. Heu, quis sufficit virginei pectoris tui dolores angustiasque pensare, dum quasi repudiata desolataque Mater, commutatione lamentabili, pro Unigenito adoptivum, pro Magistro discipulum, pro Domino servum, pro Rege militem, pro Omnipotente recipis deficientem? Sancte Joannes (cum tui reverentia loquar) scis tu ipse, quam sit dissimile recipere filium Zebedæi pro Filio Dei? Heu, Maria tristissima, qualis hæc commutatio, quis hic sermo? Nempe pertransiens cor, et pertingens ad divisionem animæ et spiritus. Heu, bona Domina, Dei Genitrix, nutrix et filia, quomodo simul amittis una die nutrix alumnum, mater filium, ancilla dominum, unoque momento simul patre privaris et filio?

Ad beatam Virginem Mariam resignatio et precatio.

Nunc igitur, o clementissima Virgo Maria, o piissima Mater, desolatorum omnium consolatio, Regina misericordiæ, post Christum spes animæ meæ, ad te, dulcissima, confugio, ad benedictissima virginalia pedum tuorum vestigia me totum, corpus videlicet et animam, velle et posse, omnes necessitates, et eventus meos tibi resigno, tibi offero ac commendo, et mihi ipsi omnibus modis renuntians, totum me dono maternæ curæ atque custodiæ tuæ, eligens te, o benignissima, hodie perpetuoque in matrem ac dominam. Itaque per benedicta viscera misericordiæ tuæ, per pietatem et clementiam virginei Cordis tui, sub quo novem mensibus requievit Filius tuus: obsecro te, noli me abjicere a misericordia tua, noli me spernere, o castissima humillimaque Virgo, propter innumera turpissima peccata mea; sed propter eum, qui pro me nudus expansisque manibus ante oculos tuos pendet in Cruce dilaceratus, vulneribus atque doloribus plenus, suscipe me in filium, non ponderans meam vilitatem, nec flagitiorum meorum turpitudinem, sed virginei pectoris tui clementissimam indeficientemque misericordiam. O tutissimum peccatorum refugium! O mulier virtutis et clementiæ! O puteus inexhaustæ pietatis, suscipe me tu cum sancto Joanne custode in filium, dirige et guberna me, protege, custodi et libera me ab omni peccato, ab omni malo, et ab omni quod Filio tuo displicet. Fac me de numero filiorum tuorum, qui singulari privilegio Cordi tuo profundius inscripti sunt, et qui magis sunt tibi devoti. Dulcissima Virgo, imprime tui amorem castissimum ferventissimumque cordi meo, et impetra mihi, ut vitæ tuæ virtutes, quibus placuisti Deo, ita imiter: puta castitatem, humilitatem, mititatem, charitatem et misericordiam aliasque omnes, ut Filio tuo tibique semper totus perfectissimeque placeam. Impetra, dulcissima, mihi felicem mortem, quo a peccatis in Passione et morte Filii tui purgatus totusque reconciliatus, illico post mortem vitam, ex singulari misericordia Dei Filii tui, recipiam æternam. Amen.

THEORIA QUARTA DECIMA.

Ad horam Nonam.

A sexta hora tenebræ factæ sunt super universam terram, usque ad horam nonam. Matthæi XXVII, 45.

O amator ferventissime salutis nostræ, in tua Passione cum homines tacerent, nec confiterentur te, quippe qui velut peripsema, scoria et maledictum factus eras pro nobis, sol Creatorem te suum contestans, et ceu indignatus propter ea quæ a tuis tibi inferebantur, obscuratus est, et modo naturæ insueto tenebras induxit super universam terram. Tibi namque quasi compatiens, ne Conditoris sui videret injurias, nec mundo famularetur, 14. Tenebrasque.

Digitized by Google

qui suo paraverat Creatori mortis pœnas, lumen suum abstraxit.

Pro mystica illuminatione, precatio.

HEU, insensibilibus elementis quomodo factus sum ego insensibilior ? Heu, bone Jesu, illumina tu, quæso, tenebras meas, ut semper te tuamque præsentiam videam et sentiam. Ah, dulcissime Jesu, cor meum tuis vulneribus saucia, mentemque meam tuo sanguine inebria, ut quocumque me vertam, semper te videam crucifixum, et quidquid aspexero, tuo mihi sanguine appareat rubricatum : ut sic totus in te intendens, nihil præter te valeam meditari, nihil queam nisi tua dulcissima vulnera intueri. Hæc sit mihi consolatio, tecum, mi Domine, vulnerari, despici ac pati ; hæc intima sit mihi afflictio, sine te aliquid meditari, aut extra te consolari. Non quiescat cor meum, bone Jesu, donec inveniat te centrum suum : ibi cubet, ibi requiescat, ibi terminet appetitum suum. Amen.

THEORIA QUINTA DECIMA.

Circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Matthæi XXVII, 46.

15. Relictus.

O FORTITUDO fortissima, omniumque electorum virtus virtuosissima, Christe Jesu, doloribus tuis undique tibi increbrescentibus et prioribus remanentibus, dum novi semper accedunt, Passio tua continue se ipsa fit major. Siquidem membris tuis omnibus patientibus, omnibusque Cruci immobiliter affixis, non fuit ut alterum alteri posset membro succurrere. Quantus igitur cruciatus erat manuum, pedum, nervorum, compagum medullarumque et hic continuus, nunquam interpolatus, nec ad oculi momentum intercisus, aut quiete aliqua relevatus ; quandoquidem totius moles corporis tui in tribus clavis irremediabiliter pendebat. Unde si voluisses pedum fixuræ succurrere, aut dare remedium, necesse erat manus atrociori cruciatu prægravari, vulneraque manuum secari amplius ; si vero manuum dolori parumper parcere voluisses, totum corporis pondus clavo pedum oportebat inniti, acerbissimaque pœna sustentari. Quare sine consolatione auxiliove ullo, omnium Creator et Consolator pro hominibus omnibus in singulis membris immaniter torquebaris : extensæ venæ, lacerata membra, fracti nervi visceraque torta, spinis obsitum caput, indesinentem tibi laborem et nunquam requiem dabant. Nam et de universo mundo, cujus Creator et Dominus es, per omne tempus crucipendentiæ tuæ ne tantillum quidem loci habuisti, quo caput tuum sacratissimum Angelisque reverendum inclinares. Non erat, inquam, piissime Jesu, tibi vel modica saltem requies, nec capiti tuo locus, quo illud reclinares : et hoc propter spineam coronam, qua indesinenter vulnerabatur. Erat autem inclinatum super pectus, propria etiam mole miserabiliter pendulum : unde collum quoque tuum decentissimum ac nitidum, fatigatione longa incurvatum, immodice cruciabatur. Hoc modo singula quævis membra in corpore tuo torquebantur.

In tanta autem pœna nemo erat qui consolaretur aut adjuvaret : in hac enim hora maximæ necessitatis, fuisti ab omnibus amicis tuis derelictus. Considerabas ad dextram et sinistram, sed non erat qui te cognosceret, non erat qui auxilium præberet aut remedium, non erat qui consolaretur. Non erat, bone Jesu, qui compatiens in te respiceret, præter Matrem piissimam paucosque electos amicos, qui tamen nequaquam adstabant ad solatium, sed ad gravius tormentum. Accessit præterea doloribus prædictis ad gravius tormentum (unde inæstimabiliter laborabas) quod Pater quoque tuus cœlestis ita te dereliquit, ut nullam infirmæ carni præstaret consolationem, quo levius has pœnas ferres, propterea quod eras non solum homo, sed etiam Deus. Nam impositis tibi omnium nostrum delictis, permisit te Pater infir-

Digitized by Google

mitates sentire carnis, atque inferioribus animæ viribus internam solitæ dulcedinis consolationem subtraxit, cœlestis quoque in te roris profluvium, quantum ad hoc, desiccavit. Quapropter alto singultu, profundo gemitu anxioque luctu, in lamentabilem hanc vocem prorupisti : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ?* Heu, dulcissime Jesu, Patris Unigenite, in quo sibi Deus Pater complacuisse testatus est, quomodo te nunc paterna ipsius dilectio in tam amara necessitate et in extremo articulo dereliquit ? Heu,dulcis Jesu, quantum cruciabaris dum hanc emitteres vocem? Verumtamen tua voluntas ad hæc omnia et majora, si opus fuisset, sustinenda, mansit semper parata Patris voluntati.

Matth. III, 17.

Heu, Maria tristissima Mater, quam gravis hæc tibi fuit afflictio Cordis dum Filium tuum, quem cunctis pœnis videbas repletum, proprio vero omniumque hominum auxilio destitutum, audiebas lugubri voce clamantem, sese a Patre quoque derelictum. Verumtamen, o piissima,cunctis illum derelinquentibus, tu, pia Mater, sola fidelis, et ex ejus nullum infirmitate scandalum patiens, constans illi adstitisti. Et satis hoc congrue : quippe ad quam solam etiam ipse, dimissis aliis quibuslibet creaturis, olim venire dignatus est : dum veluti unicornis indomitus , sanctorum Patrum longis desideriis atque suspiriis diu pulsus ac fatigatus, contuita tandem virginea pulchritudine et humilitate tua, quasi seipsum diutius continere non valeret, virgineo tuo gremio, is qui in se incomprehensibilis est, captus est. Itaque pro tanta ejus dignatione, quoniam ex omnibus te elegit, reddis ei tu nunc utcumque vicem : ut quemadmodum se tibi dederat relinquens omnia, ita ab omnibus jam derelicto eidem societatem flebilem exhibes ac miserandam, in corde et spiritu eadem, quæ in corpore ipse perfert, sustinens. Ad hæc tamen nihilominus gravi mœrore sauciabatur piissimum Cor tuum, quod tantis doloribus circumdatum, in tot pœnis derelictum Filium nequaquam consolari, nihilque auxilii remediive eidem potuisti præstare. Heu, quid in Corde tunc tuo sentiebas, quando rauca ipsum voce ob pœnarum immensitatem sic lugubriter exclamantem audiebas ? Heu, quam supplicibus precibus, quam cordialibus votis, ipsius sacrificium omneque genus humanum Deo Patri ad hunc clamorem commendabas.

Pro sui abnegatione, resignatione ac in Deum confidentia, precatio.

Dulcissime Jesu, sic tu clamans, sic patiens a nemine recipis consolationem. Obsecro te igitur per eamdem desolationem tuam, fac ut in omni tempore desolationis, tristitiæ et derelictionis, ad te solum recurram, te quæram tanquam fidelissimum Patrem, te invocem, in te confidam, tibi me credam, in te solo sperem, de me penitus diffidam, auxilium et beneplacitum tuum constanter exspectem , atque in omni pressura et desolatione, plenissima abnegatione meiipsius, me tibi offeram. Dulcissime Jesu, fac ut plena confidentia me ex toto tibi relinquam, plena resignatione perfectaque abnegatione cujuscumque proprietatis,tuum beneplacitum solum desiderem. Ecce me jacto in te; tu, quæso, suscipias et non derelinquas me. Amen.

THEORIA SEXTA DECIMA.

Sciens Jesus quia jam omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Vas autem positum erat aceto plenum. Illi ergo spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes , obtulerunt ori ejus. Joannis XIX, 28, 29.

Domine mi dulcissime, quamvis amor eximius salutis nostræ in Corde tuo divino in immensum flagraret, atque te maxime nostræ faceret redemptionis sitibundum, nihilominus tamen ex nimia siccitate et arefactione corporis, quandoquidem mul- 16 Et sitiens.

Digitized by Google

tipliciter sanguinem effudisti, atque humore quovis exhaustus es, corporali siti vehementissime torquebaris, adeo ut propter vehementem sitis cruciatum : *Sitio,* exclamares. Quomodo enim sitis illa non fuisset maxime afflictiva, cum inter tot variasque pœnas præcedentes de nulla illarum conqueri auditus es, nisi de hac sola : cujus tanquam immanioris supplicii tolerantiam nobis significasti, clamans : *Sitio.* Verum heu, tristissime Jesu, quis est nunc qui sitim tuam consoletur ? Consideras ad dexteram et sinistram, sed non est qui cognoscat te. Non est qui velit aut qui possit refrigerare linguam tuam arentem præ siti, faucibusque hærentem. Nam et Mater tua licet summopere cuperet, et præsens hanc vocem tuam audiret, non potuit tamen in extrema necessitate laboranti succurrere, ut vel tantillum aquæ frigidæ tibi porrigeret. Unde ob hoc vehementiori dolore torquebatur : recordata nimirum quam dulciter olim virgineo te lacte potaverit. Heu, piissime Jesu, omnium mœrentium consolator, in quantam paupertatem, in quantam desolationem tuus teipsum amor dejecit ! Heu, in quantam afflictionem desiderium te humanæ salutis impulit, ut in tam magna necessitate tibi, cujus sunt omnia, quod omnibus superest abundanter, puta calix aquæ frigidæ, deesset ! Heu, Jesu mitissime ; heu, Jesu amantissime, in quantam paupertatem ultro, in quantam penuriam te omnium rerum propter me dedisti !

Adversus omnem privatum mundanumque amorem, precatio.

Oro igitur te supplex, Domine Deus meus, ut omnem amorem privatum et mundi in me radicitus occidas, quo tui honorem, tuum solum beneplacitum in omnibus et super omnia, me neglecto atque contempto, sitiam, quæram, intendam, promoveam atque perficiam vigilantissime atque ferventissime. Amen.

THEORIA SEPTIMA DECIMA.

Et milites accedentes et spongiam plenam aceto circumponentes, obtulerunt ori Jesu. Joannis XIX, 29.

Amantissime Jesu, cum tam vehementi siti æstuares, nec tamen esset qui tibi sitim illam aquæ poculo refrigeraret, inimici tui, ut in omnibus solebant, majorem inde tibi et injuriam et contumeliam struunt. Siquidem non compassionis sed afflictionis et derisionis gratia, acetum et fel sitienti propinarunt. Hujus potionis licet amaritudinem non ignorares, voluisti tamen gustare, sed bibere noluisti, quo gustum tuum nobilissimum amaricando affligeres, et nihilominus sitis importunitatem tolerares; potuisset enim hæc potio, quamvis amara, si fuisset sumpta, siti mederi. Sed gustare tantum voluisti, ut haberes quod gustum torqueret, abesset autem quod sitim repelleret. Nihil enim Passionis subterfugisti : imo non sufficiebat tuæ charitati, quidquid rabies Judæorum externa inferret, nisi etiam pœnis atrocioribus intus temetipsum torqueres. Omnibus idcirco pœnis ibas obvius, et nihil quod te gravaret declinabas. Heu, Jesu bone, hæccine est illa cœna novissima et regia, quæ tibi Angelorum Regi paratur ? Hæccine est refectio, quæ post ingentes labores, post immensos agones nimium fatigato impenditur ? Heu, piissima Mater, nonne Cor tuum virgineum tremuit, quando tam amarum vidisti Filio tuo siti arescenti poculum propinari ? Heu, quomodo tunc versa est in luctum cithara tua, olim tam gaudiosa ? Olim lætabundo Corde in arridentis tibi parvuli vultum nimis delectabilem oculos virgineos retorquebas ; nunc quocumque hos vertis, triste tibi occurrit spectaculum : si enim sursum oculos levas, vides materni Cordis spectaculum triste ac vulnerativum: si in terram deflectis, vides crudeles Filii tui persecutores, terram quoque sanguine Filii tui roseo cernis cruore perfusam. Olim, dulcissima Virgo, voces audiebas lætantium et

17. Gustat.

Digitized by Google

glorificantium pro iis quæ gloriose fiebant ab eo, et hac melodia suavi aures castissimas, virgineam quoque devotionem tuam pascebas : nunc aliud non audis nisi frementium tortorum atque blasphemantium voces, Scribarum et Pharisæorum derisiones, amicorum paucorum gemitus et ejulatus, quæ virgineam animam tuam ut gladius penetrabant. Super omnia autem angustabat animam tuam, quod Filio tantis in doloribus ac necessitatibus constituto nullum potuisti præbere subsidium. Siquidem cernens corpus ejus nobilissimum dilaceratum ac vulneribus plenum, non poteras illud aut linire oleo aut ligare panniculo. Videbas carnem ejus sanguine rubricatam, sed non poteras illam extergere linteo ; videbas sanguinem in terram defluere, nec poteras colligere ; cernebas lacrymantes oculos et non valebas abstergere ; audiebas derelictum, sed consolari nequibas ; audiebas iniquorum blasphemias, sed non valebas excusare ; vidisti ejus caput pendulum, nec poteras sustentare ; videbas sitientem, nec poteras potare ; vidisti tandem expirantem, nec potuisti commori ; postremo mortuum vidisti, nec osculis amplexibusve potuisti attingere.

Ad divam Virginem Mariam pro auxilio in extremis vitæ, precatio.

O Mater dulcissima et singulare peccatorum refugium, o mœstorum unicum solatium, Domina suavissima, potentissima et misericordissima, fac merear in extremis vitæ meæ tua gaudere melliflua præsentia ; fac me gustare tunc experirique miserationum tuarum ubera ; fac efficaciter me sentire magnitudinem, virtutem atque potentiam misericordiæ tuæ, quæ contra omnem tentationem me confortet, ab omnibus inimicis meis me liberet, ab omnibus peccatis apud Filium me excuset, et animam meam egredientem propter Passionem Unigeniti tui et tua merita, statim ad gaudia perducat æterna. Amen.

THEORIA OCTAVA DECIMA.

Cum accepisset acetum Jesus, dixit : Consummatum est. Joannis XIX, 30.

18. Complet.

Misericordissime Jesu, postquam singula membra tua doloribus repleta, sensus quoque tui amaritudinibus et molestiis nimiis fuerant affecti, ministri denique crudelitatis omnem furoris sui vim in te effuderant, dixisti : *Consummatum est ;* ostendens te omnes Scripturarum voces, omnia Prophetarum testimonia Patrisque tui voluntatem perfecisse, et opus nostræ Redemptionis consummasse, pro quo a Patre in mundum missus veneras, ex Maria Virgine natus Deus et homo, et hic tanquam in exilio constitutus, fame, siti, frigore, æstu, itineribus, fatigationibus, contumeliis, verberibus, passionibus ac tormentis triginta tribus annis laboraveras, novissimeque in Cruce suspensus usque ad mortem perveneras. Hæc omnia simul Patri hoc unico verbo obtulisti, dicens : *Consummatum est,* quasi diceres : Consummavi omnia, nihil eorum quæ injunxisti, o Pater, non perfeci. Hoc unum reliquum est, ut ad te veniam, hoc est, ut ex hoc mundo moriendo emigrem.

Pro mystica consummatione, precatio.

Pro hac consummatione, piissime Deus, te adoro, benedico, laudo, et infinities, si possibile foret, licet id nihil tamen adhuc esset, gratias ago majestati tuæ, quæ non dedignata est se humiliare ad tam vilia, sibique indigna sustinenda : hocque non ex sua indigentia, sed pro nostra miseria, perseverans in Patris obedientia usque ad mortem crucis. O suavissime Jesu, fac me carnis delicias non solum non amare, sed et cum detestatione horrere, tuoque exemplo ac tui amore, quæ carni sunt duriora semper appetere, quantumque discretio admittit, eligere. Dulcis Jesu, da mihi in servitio tuo nunquam tepescere, nunquam deficere, sed spiritu mentis ac fervore de-

Digitized by Google

votionis in dies et crescere et renovari. Sanctissime Domine, Deus meus, da mihi in omnibus castissimam, rectam, simplicem deiformemque intentionem habere, qua gloriam tuam et beneplacitum tuum ubique semper et in omnibus pure intendam, affectem, quæram et impleam. Dulcis Jesu, tu solus esto mihi omnium cogitationum, affectionum operationumque mearum scopus, tu omnium studiorum totiusque vitæ meæ principium, intentio, medium, finis et consummatio. Heu, amabilissime Jesu, utinam eveniat mihi aliquando, ut tu solus mihi sis omnia in omnibus, et extra te nil diligam, præter te nil cogitem, sine te nihil agam, imo in te solo vivam et subsistam. Amen.

THEORIA NONA DECIMA.

Jesus autem iterum clamans voce magna, ait : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, inclinato capite, tradidit spiritum et exspiravit. Lucæ XXIII, 46.

19. Moritur. Heu, amantissime Jesu, generis humani Redemptor, dulcedo justorum, pœnitentium salus, electorum omnium vita et amor; quibus lacrymis est cogitanda illa hora, qua, consummatis omnibus quæ de te scripta, per te implenda erant, et nil restabat aliud nisi flebilis amaraque illa agonia, qua tua vita cum morte habebat pugnare, quam nisi moriendo haud poteras superare ! Ad hanc igitur horam te festinante, omnes vires corporis, quas ante in tot doloribus mirum est non fuisse exstinctas, cœperunt magis deficere. Siquidem dum pallescunt obrigescuntque membra, totum corpus tuum alioqui juvenile et floridum, in stipite vero nunc Crucis velut hominis leprosi pendens, inter nimios cruciatus marcescebat, et ad ima declinando se vergebat. Inter quæ tu, o Samson fortissime, o fons vitæ, qui omnia verbo creasti, qui omnia vivificas, omnia sustentas, omnia gubernas, cœpisti ad mortem agonizare. Heu, Jesu bone, quis conflictus, quæ pugna, quæ angustia, quæ pressura denique tuo erat Cordi, dum mors cum vita luctaretur ? Heu, quot quantisve tunsionibus, quam intensis cruciatibus, quam crebris impulsibus, quibus torminibus Cor illud tuum nobilissimum, divinitatis tuæ gazophylacium, a dira morte invadebatur, concutiebatur, donec tempus illud ab æterno dispositum adveniret, quo ultro et non coactus spiritum emitteres ? Tunc enim rumpente se sacratissimo Corde tuo, valido simul te Patri clamore commendans : *Pater,* ais, *in manus tuas commendo spiritum meum.* Quo dicto, versus Matrem tristissimam, quasi ultimum vale daturus, caput inclinando, emittis spiritum. Heu, quæ ista est separatio ? Heu, quam triste divortium nobilissimæ animæ tuæ, bone Jesu, a benedicto corpore tuo ! Heu, quanta pœna, quanta acerbitas mortis hujus, dum Creator vitæ occideris, vita moreris, Filiusque Dei immensus, immortalis et Patri coæternus, pro omnium salute volens necaris ! Deducant oculi mei lacrymas per diem et noctem, et non taceant : quandoquidem causa tantarum passionum ego fui ; ego mortis hujus occasionem dedi. Et qui crimina, quæ solvere debui, non potui, innocentissimus Jesus de benignitate misericordiæ suæ, quamvis nihil debuit, pro me moriens solvit.

Pro vitiorum naturæque morte felici, precatio.

Pro hac amarissima morte tua, adoro, laudo et benedico te, misericordissime Deus, gratiasque tibi ago, obsecrans te per eamdem mortem et per ruptionem Cordis tui, ut des mihi mortem felicem et beatam ; nempe : ut cum anima mea egressa fuerit de corpore meo, confestim, dimissis omnibus peccatis et debitis, ad gaudia misericorditer recipiatur sempiterna. Scio, mi Domine, hoc magnum esse, et tanto peccatori a te petere præsumptuosum : est tamen benignitati tuæ æque

Digitized by Google

facillimum, a multis sive a paucis emundare peccatis, quippe cum nostri non sit meriti, sed infinitæ misericordiæ tuæ, vel qualemcumque beatitudinis tecum habere portionem. Verum, piissime Deus, quo hujus gratiæ capacem tu ipse me facias ac dignum, da mihi nunc vere atque perfecte mihi ipsi et mundo mori, unde extra te omnia mihi vilescant, præter te nihil me afficiat, omnia propter te contemnam, et pro te contemptus esse gaudeam. Fac, pie Jesu, castissimo ferventissimoque tui amore me semper vulnerari, semperque amore tui manere languidum. Amara mihi sint omnia extra te, et chara in te mihi tua sint omnia. Verum, Domine mi Deus meus, plus esto tu mihi charus quam omnia : imo tu solus mihi vere sis omnia in omnibus. Amen.

THEORIA VIGESIMA.

Centurio autem, et qui cum eo erant, custodientes Jesum, visis his quæ fiebant, et quia sic clamans exspirasset, timuerunt valde, dicentes : Vere hic homo Filius Dei et justus erat. Matthæi XXVII, 54.

20. Gemuerunt. Eia, benignissime Jesu, mortis destructor et vitæ reparator potentissime, ecce ante oculos tuos nunc simul omnes dolores omnemque pœnam, quam usque ad extrema vitæ tuæ pertulisti, offero tibi : præcipue autem tristissimam, anxietate plenissimam dolorosissimamque separationem nobilissimæ animæ tuæ a benedicto corpore tuo. Offero etiam tibi omnem Passionis tuæ benedictæque mortis fructum ; gaudium quoque illud, quo exultavit anima tua, videns se universas pœnas acerbissimamque mortem superasse, atque Patris voluntatem, opus scilicet redemptionis nostræ, quod charitate cogente susceperas, gloriose consummasse cum infinito fructu et liberatione animarum innumerabilium. Mox namque ut spiritum tradideras, pretiosi sanguinis tui effusi virtus operabatur : pœnitentia namque ducti Judæorum multi, qui contra te, ut crucifigereris, clamaverant, nunc pectora tundunt sua, dicentes : *Vere hic Filius Dei erat.* Oratio namque tua, quam ante pro eis ad Patrem supplicando fuderas, non potuit vacua aut inexaudita redire. Atque ideo, qui te viventem a Pharisæis seducti contempserant, mortuum confitentes prædicabant.

Pro divinæ voluntatis perfectione, precatio.

Dulcis Jesu, da mihi cum continuo dolore cordis, cum sancto odio et displicentia, cum vera contritione, cum profundissima quoque humilitate, plangere malitiam, cæcitatem, vilitatem, ingratitudinem et nihileitatem meam. Da, piissime Jesu, ut cito adveniat regnum tuum, regnum justitiæ quo tibi subjecta sint omnia, quo tu animam meam regas plenoque jure possideas, ut in me, per me, et de me, sanctissima tua voluntas supremumque beneplacitum semper fiat, ne gemere posthac opus habeam, sed in te gaudere. Amen.

THEORIA VIGESIMA PRIMA.

Terra mota est, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt. Matthæi XXVII, 51, 52.

21. Terra tremit. Piissime Jesu, quas lacrymas fundam, aut quos rugitus cordis dabo pro lamentabili innocentique morte tua, cujus ego præcipue reus sum : quandoquidem insensibilia etiam elementa mortem tuam lugent, sese conturbantia, quo innocentiæ tuæ divinitatique potentissimæ testimonium ferant ? In illis namque impletur, quod ore tuo benedicto dixeras Judæis, quando pueri eorum tibi hosanna in excelsis cantabant, invidentibus, atque puerorum laudes increpantibus : *Si*, ais, *hi tacuerint, lapides clamabunt.* Et hoc ita factum est, pie Jesu, Judæis namque te negantibus et occidentibus, discipulis tuis fugientibus,

Matth. XXI, 9.

Digitized by Google

amicis a tui confessione silentibus, lapides clamaverunt, et te confessi sunt. Siquidem petræ scissæ sunt, tremuerunt fundamenta terræ, monumenta aperiuntur; denique mira alia acciderunt, quasi universæ creaturæ ex compassione suo cum Creatore cuperent finiri, ad vindicandam sceleratissimam impietatem te persequentium, et lapideam duritiam tibi non compatientium.

Itaque creaturis insensibilibus compatientibus, quid tu, Dei Mater et Virgo dignissima, sine Filio Mater desolata et vidua agebas? Puto nemo præter te credere aut cognoscere posset, quanto mœrore anima tua castissima quantoque dolore tunc esset perfusa, postquam adeo pœnose Filium tuum unigenitum deficere, in mortem languescere, pallescere, lacrymari, præ dolore anxietateque videras et mori. Heu, quam supplicibus votis corde clamans, te desolatam illi commendabas! Heu, quam amaros flebilium vocum dabas in Corde tuo lamentatus! Nam ab extra pudicissimam servasti morum honestatem, unde animæ tuæ dolor fiebat seipso major, propterea quod aliarum more feminarum non sinebaris clamare ac ejulare, morum id gravitate et honestate prohibente. Denique quis explicaret quomodo maternum Cor tuum palpitaverit, quasi minitans se crepandum præ tristitia et dolore : quandoquidem cum Filio simul mori adeo vehementer æstuabas, sine quo nequibas vivere? Unde præ nimia angustiarum multitudine veluti exanimis deficere, et inter sustentantium manus videbaris ad terram pene cadere.

Heu, sancti Joannis discipuli præ cæteris amplius dilecti, sed et ferventissimæ amatricis fidelissimæque discipulæ Mariæ Magdalenæ, cæterorumque adstantium amicorum ac flentium corda quantus dolor concutiebat? Repleti enim amaritudine et doloribus inebriati flebant pro amissione charissimi Magistri sui, quem nec poterant tenere viventem, nec morienti commori. Idcirco solam te, piissimam ejus Matrem, aspiciunt, de tua præsentia, si qua superfuerit, consolationem exspectantes.

Pro lacrymis compassionis et emollitione cordis, precatio.

Heu, dulcissime Jesu, quando non homines tantum rationales, sed et elementa insensibilia te plangunt, tibi quoque compatiuntur, ubi sunt lacrymæ meæ? ubi contritio mihi et afflictio spiritus? ubi gemitus et dolor? Heu ariditatem mentis meæ! Heu oculorum meorum siccitatem! Num lapide durior, terra frigidior, aut mortuis manebo insensibilior, ut majestatem tuam non tremam, justitiam non timeam, non reverear bonitatem? Pie Jesu, si te plangere non possum pro me morientem, plangam saltem meipsum non plangentem, plangam ingratitudinem meam, ariditatem meam, insensibilitatem meam, mortem meam. Heu, bone Jesu, quomodo cor meum sic obduruit? quomodo peccati frigore adeo congelatum est? quomodo impietate saxeum factum est? Utinam in me quod olim per Prophetam promisisti, impleatur : nempe, ut tollas cor lapideum a me, et des mihi cor carneum, quod sciat compungi, quod valeat compati, quod a tanta charitatis flamma possit calefieri. Dulcis Jesu, plangam miseriam meam, plangam infelicitatem alienam, fleam denique memorans et admirans charitatem tuam erga nos immensam. Piissime Jesu, percute durissimam petram cordis mei, et lacrymarum aquas educ largissimas, ut plangam meipsum die ac nocte. Amen. *Ezech.* XI, 19.

THEORIA VIGESIMA SECUNDA.

Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Joannis XIX, 34.

Suavissime Jesu, an parum tibi visum est, tot beneficia, tot insignia charitatis te nobis triginta tribus annis et usque ad mortem contulisse, pro salute nostra, hoc 22. Milesque.

Digitized by Google

est tam vilium et ingratorum, laborasse ; et quod maximum est, nobilissimam animam tuam pro nobis adhuc inimicis in mortem tradidisse ? An hæc, inquam, dilectioni tuæ stupendæ erga nos, potius quam cogitandæ, non sufficiebant, nisi etiam post mortem, contumeliam irrogari maximam tibi velles, a quodam superbo tunc milite et sæviente, qui lanceam lateri tuo tam profunde infixit, ut de corde quoque tuo vulnerato mirabiliter emanaret sanguis et aqua ? Dulcissime Jesu, Deus pacis et dilectionis, et quare Cor tuum superbenedictum tam horrenda voluisti perfossione patefieri, nisi ad ostendendam nobis infinitam tuæ dilectionis magnitudinem, quantum scilicet nos dilexisses et diligeres ; dum reliquis membris omnibus propter nos dilaceratis, ac Deo Patri oblatis, charitatem quoque ipsam manifestius nobis monstrare velles, Cor tuum hujus charitatis secretarium ac gazophylacium misericordiæ nobis reserando, ut beneficia nobis exhibita et charitas tua erga nos effusa passionesque toleratæ unde pròdissent, quasi visibiliter agnosceremus ? Quippe qui nihil tibi reservans, in nostrum usum ac pretium omnia expendisses, atque idcirco omni sanguine tuo effuso, omnique humore pro nobis exhausto, quia modicum adhuc in Corde supererat, et illud pro nobis fundere vel post mortem decrevisti. Voluisti præterea nobis Cor tuum aperiri, quo videremus, ingrederemurque fontem illum tuum, charitate et beneficiorum plenitudine scaturientem, puta Cor tuum amantissimum, suavissimum, misericordissimum ac fidelissimum.

Pro cordis mundatione et simplificatione, precatio.

Pro hac igitur vulneratione, ac pro sanguinis et aquæ emanatione adoro, laudo et benedico te, gratiasque tibi ago, quod omnibus ad te confugere cupientibus, miserationis et charitatis ostium aperuisti, ubi pœnitentibus pateret remedium, tentatis refugium, infirmis præsidium, tristibus auxilium, justis refrigerium, omnibusque ad te aspirantibus jucundissimum salutiferumque foret habitaculum. Ah, dulcissime Jesu, aperi mihi ostium Cordis tui, portam misericordiæ, januam vitæ, fontem gratiæ, et trahe cor meum intra te per pretiosissimum vulnus lateris, ad amantissimi Cordis tui arcanum, in gazophylacium tuæ divinitatis. Recipe me in secretum thalamum Cordis tui, quod mihi militis est lancea reseratum. Sed heu, Jesu bone, ne irascaris super præsumptuosa petitione hac mea, quam indignus peto, utpote ingratissimus immundissimusque peccator. Aufer igitur cor meum pessimum, semper rebelle et acediosum, et da mihi Cor tuum, aut da mihi cor aliud secundum Cor tuum : nempe cor amantissimum, fidelissimum, purissimum, misericordissimum atque obedientissimum, quod in sanguine tuo mundes, simplifices, accendas tui amore et inebries, absorbeas et perpetuo unum tecum ipso efficias. Dulcis Jesu, in hoc Cor tuum repono omnes curas ac sollicitudines, tam meas quam amicorum, et eorum pro quibus orare teneor, aut qui pro se orari petunt, aut sese commendaverunt. Omnium itaque petitiones in Cor tuum offero ; tu scis quid unicuique est salutiferum, da illis sicut vis et nosti. Amen.

THEORIA VIGESIMA TERTIA.

Ad secundas Vesperas.

Post hæc autem cum jam sero factum esset, quia Parasceve erat, quod est ante sabbatum, ecce venit Joseph, homo dives, nobilis decurio, vir bonus et justus, qui et ipse discipulus erat Jesu, qui non consenserat consilio et actibus eorum, exspectans regnum Dei; audacter accessit ad Pilatum, et petiit ut tolleret corpus Jesu. Matthæi XXVII, 57. Marci XV, 43. Lucæ XXIII, 50. Joannis XIX, 38.

Digitized by Google

23. Resolvunt.

Amantissime Jesu, da mihi ut supplicíter adorem, devote benedicam, digne laudem te, humiliterque tibi agam gratias pro largissima effusione sanguinis tui, pro omni humorum exhaustione, pro omnium virium tuarum consumptione, et pro longa crucipendentia tua, qua in Cruce permansisti, donec viri misericordiarum, Joseph et Nicodemus, quos ad hoc præparasti, de Cruce te solverunt, et Matri tuæ in sinum ipsius reddiderunt. Interim enim, o benedictissima Dei Mater, post Filii tui mortem, populi multitudine et militibus recedentibus, mœstissima tu Mater cum paucis amicis, præsertim mulieribus, remanseras sub Cruce, crebra trahens suspiria, quod mortuum Filium neque attingere, neque de Cruce valebas deponere. Deerant instrumenta, defuit facultas, et quem viventem tenere non poteras, nec mortuum de Cruce recipiebas. Nihil igitur aliud valebas, quam pudicissimis oculis in dilectum fixis, ipsum sic miserabiliter pendentem contemplari, pensareque immensam ejus erga nos charitatem, quam tu sola præ omnibus poteras æstimare. Dabas igitur multiplices ardentissimi amoris gemitus in cœlum, congratulans nihilominus prædilecto Filio tuo, quod morte jam feliciter superata et hæreditate sua victoriosissime redempta, opus suum nobiliter consummasset. Interea igitur tibi et Magdalenæ reliquisque devotis liberum desideratumque erat Crucem Jesu amplecti, eamdemque Filii tui sanguine rubricatam osculari. Verum, ut ad te, benignissime Jesu, redeam, tibi gratias ago, qui tristitiæ Matris et reliquorum amicorum compatiens, pioque illorum amori ac sollicitudini erga te providens, beatos illos viros, Joseph et Nicodemum tui jam sanguinis virtute operante confortatos, ad deponendum et sepeliendum corpus tuum misisti.

Pro constantia in adversis et pietate erga proximos, precatio.

Amantissime igitur Jesu, da mihi fortitudinem, constantiam et perseverantiam, ut quæcumque adversa forti animo et alacri suscipiam, patienter et constanter feram, nec nisi a te aut a tuorum manibus de quavis cruce deponi aut resolvi, hoc est, consolari liberarive cupiam. Dulcis Jesu, da mihi misericordiam pietatisque officia ad omnes homines ex abundantia charitatis exercere, omnibus compati, omnium onera portare, nec improborum importunitate laborumve molestia aut deficere aut fatigari, sed per charitatem omnia vincere. Amen.

THEORIA VIGESIMA QUARTA.

Acceperunt corpus Jesu Joseph et Nicodemus, et ligaverunt illud linteis, et involverunt sindone cum aromatibus, sicut Judæis mos est sepelire. Joannis XIX, 40.

Heu, dulcissime Domine Deus meus, quam humiliter permisisti corpus tuum tractari, et velut alterius cujuspiam hominis solvi de Cruce, et reponi super sindone munda juxta aut in sinu Matris tuæ ad hoc expansa. Quapropter, o Mater omnium nostra, Genitrix Dei super omnes benedicta, admoneo te flebilis illius depositionis de Cruce, desideratissimæque susceptionis dilectissimi Filii tui, utpote nobilissimi thesauri, quem de Cruce solutum, manibus in altum protensis, affectuose suscepisti. Heu, tristissima Mater, quantæ angustiæ mox ad luctuosum illum intuitum in Corde tuo renovabantur! Quanta lacrymarum inundatio, de pudicissimis oculis tuis erumpens, sanctissimum defuncti corpus rigabat! Heu, quam calidæ guttæ, genis tuis inhærentes, super ipsum continue stillabant! Heu, quam profundos trahebas gemitus, quam maternos erga ipsum suspirabas affectus, quando jam concessum est tibi omnes plagas, singula vulnera, omnium compagum dissolutionem, nervorum rupturas, livorem atque tumorem in omnibus membris lustrare, quæ ante non perfecte, sed a longe tantum aspexeras! Ex quibus omnibus sedula meditatione potuisti expendere, quanta fuis-

24. Sindone.

Digitized by Google

sent quæ passus fuerat Filius tuus. Aspiciebas defuncti corpus, sed tibi non loquebatur nec respondebat : et inde magis tristabaris, quod illud, quod quondam sine dolore Virgo perpetua genueras, speciosum præ filiis hominum, tu speciosa præ filiabus hominum, nunc lividum, vulneratum, deforme et oculis corporis despicabile mortuumque cernebas. O quam materno affectu, pallida frigidaque membra, brachia scilicet rigida. componendo super sinum tuum colligebas ! O quam sedula pietate ipsius plagas ac vulnera tergere curabas ! O quanto amore decentissimis brachiis tuis ipsum amplexabaris, tanquam myrrhæ fasciculum pectori tuo virgineo adstringens ! O quot pallidis genis dulcia imprimebas oscula. Et quomodo potest indignissimus peccator, licet optans tuus esse servulus, omnia compassionis dilectionisque tuæ insignia explicare, aut pro iis digne te laudare ? quandoquidem quidquid de te, o ineffabilis Dei Mater, dicitur aut cogitatur, insufficiens est, inane est et nihil. Verumtamen benedictum sit maternum pectus tuum, doloris et amoris tanti plenum, reclinatorium aureum, præ cunctis thronis eburneis deauratisque sedibus electum, et ad hanc horam servatum, ut vitæ Auctorem portet vita defunctum. Amen.

Pro munditia mentis et corporis ad divam Virginem Mariam, precatio.

Dulcissima Virgo Maria, impetra mihi a Filio tuo castitatem mentis et corporis, ut neque in cogitatione, neque in locutione, neque in affectione mea coram oculis Dei inveniatur in me immundum aliquid aut impurum : sed carnalia desideria omnia, imaginationesque ac formas impudicas cum execratione detester atque proscindam, nihilque nisi Deum et quæ ad Deum promovent in cor meum intrare sinam, sindonemque mundissimam Filio tuo, cor meum, semper exhibeam.

THEORIA VIGESIMA QUINTA.

In die illa erit planctus magnus in Jerusalem, et plangent se super eum omnes tribus terræ. Zachariæ XII, 11. Apocalypsis I, 7.

Dulcis Jesu, quam luctuosum fuit videre te in gremio jacere Matris mortuum, ab eadem et cæteris amicis plangi, redire Apostolos qui fugerant, et plorare tam suam infidelitatem quam tuam mortem. Omnes enim plangebant et suam desolationem et innocentem dilectissimi Magistri sui mortem. Quomodo enim Magdalena amantissima tua discipula non plangeret amatorem suum dulcissimum, extra quem nil aliud diligebat, præter quem nihil sciebat, sine quo vivere mors illi erat ? Itaque illa cæterisque adeo flentibus super Magistro suo, quomodo tu non fleres, o Mater piissima, super tuo Unigenito ? Poteras tunc dicere inter lacrymas de Filio tuo, quod pater tuus David olim de suo Absalone locutus est : Jesu fili mi, fili mi Jesu. Quis mihi det ut ego moriar pro te, Jesu fili mi, fili mi Jesu ? Inconsolabiliter enim dolebas, et incomparabiliter plus diligebas mundi Salvatorem, quam ille, licet filium suum, criminosum tamen peccatorem. Heu, Virgo pudicissima, duritiam cordis mei ! Omnes plangunt Filii tui innocentem mortem, solus ego qui summopere deberem, utpote qui universi hujus planctus occasionem dederim, non plango. Quis enim alius abs te abstulit, o mitissima, pignus tuum ? Quis interfecit alius Filium tuum, quam ego ? Cui vis indignari, aut cui vis mansuetissima irasci ? Nonne mihi ? Ego sum qui universum hoc malum feci ; ego calamitatem hanc, fateor, super te induxi, o misericordissima ! Peccata mea interfecerunt Filium tuum, imo et charitas ipsius immensa, qua me reliquosque peccatores adeo dilexit, ut neque tibi parceret, neque sibi, deduxerunt eum in mortem.

25. Planctus.

II. *Reg.* XVIII, 33.

Digitized by Google

Pro devotione et obsequio pio erga beatam Mariam, precatio.

Fac igitur nunc, sincerissima Dei Mater, de me tale judicium, quod justissimum rectumque mihi videtur, ut pro Filio tuo propter peccata mea occiso, me recipias, me vinctum teneas, tuique amore castissimo incurabiliter vulneres captivum. Recipe, quæso, o piissima, pro Filio proprio mortuo, me adoptivum. Quomodo enim alias satisfacere tibi possum? Verum causaberis dissimilitudinem, fateor, tantam, ut major esse nequeat : attamen tu, benignissima clementissimaque, precibus tuis impetra, et fac me tibi fidelissimum, ferventissimum, devotissimum, perseverantissimum, ejusmodique per gratiam et per vitæ imitationem, cujusmodi est quem amisisti, qualemque te decet habere filium. Exhibe servulo, o piissima Mater, quod exhiberes Unigenito. Tu enim dulcissima, maternali cura Filium (licet non egeret, volebat tamen) custodiebas et pascebas; ecce Filio orbata, nunc illum custodi, illum fove, qui tua cura indiget maxime; illum pia diligas, virtuteque tibi amabilem facias, qui tuum et tui amorem maxime desiderat. Indignissimus sum vel amare te vel abs te amari; verumtamen tu non indigna, sed dignissima es diligi. Decet præterea te diligere, quod facis, quærentes te. Plangam ego igitur dolorem tuum, plangam quoque meipsum; tu vero exerce, quæso te, in me misericordem crudelitatem, sanctissimum odium vindictamque gratissimam, qua pro tuo Filio propter me occiso, in me quoque occidas quidquid carnale, quidquid est mundanum et alienum a Deo. Interfice in me omnes concupiscentias, passiones, desideria mala, omnem denique proprietatem sensus, consilii et voluntatis; aufer omnes a me cogitationes inutiles, et curas infructuosas, ut totus mortuus et mihi et mundo, purgato affectu illuminatoque intellectu, Deo serviam, Deo inavertibiliterque inhæream. Decet enim, piissima, si tuus esse debeo filius adoptivus, quod præ omnibus et super omnia supplex per misericordiæ tuæ viscera obsecro, ut nihil discrepem in moribus et vita a vero Filio tuo : imo per charitatem et meiipsius abnegationem sic Deo unitus, dissentire nequeam a beneplacito veri et benedicti Filii tui, cum quo tibi una est voluntas, unum votum unumque gaudium. Amen.

Ad Completorium secundum.

THEORIA VIGESIMA SEXTA.

Erat autem in loco, ubi crucifixus est Jesus, hortus, et in horto monumentum novum ipsius Joseph, quod erat excisum de petra, in quo nondum quisquam positus fuerat. Ibi ergo propter Parasceven Judæorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum. Et advolvit Joseph saxum magnum ad ostium monumenti et abiit. Matthæi XXVII, 60. Marci XV, 46. Joannis XIX, 41, 42.

Domine mi, Jesu Christe, adoro, laudo et benedico te, gratiasque tibi ago pro lamentabili illa sed devota processione Matris et amicorum, proque honore et pio obsequio corpori tuo sepeliendo exhibito, pro dignatione item tua, qua corpus tuum tractari, aromatibus condiri, sindone involvi, ad tumulum portari et sepeliri, ad modum alterius funeris non dedignatus es : ubi Mater quoque tua piissima mœrens et flens sequebatur funus illud eximium, imputribile, balsamo nimirum divinitatis perunctum. Multa præterea Angelorum millia ad Domini sui accurrunt exequias, Deumque tam pro humanæ redemptionis consummatione, quam pro sui restauratione exercitus collaudant. Et tu, Domina mea sanctissima, martyr præ omnibus dignissima, recordare nunc quomodo secuta sis Filium ad sepulchrum portatum; recordare tandem tristissimi illius divortii, quo Unigenitus tuus abs te amoroso amplexu æstuantissimæque charita- 26. In tumulum.

Digitized by Google

tis osculo quasi pro ultima valedictione signatus, ab oculis tuis columbinis est abstractus, et sepulturæ mortis, qui est vitæ Dominus, commendatus.

Pro compassione ac charitate, precatio.

PER amorem itaque Filii tui, per omnia ejus vulnera et sanguinis effusionem obsecro te, Dei Mater, ut tuis meritis precibusque id mihi obtinentibus, animam meam incendas vulneresque amore et compassione dilecti Filii tui, quomodo anima tua tunc fuit in ejusdem Passione vulnerata; ut nihil mihi libeat, nihil delectet quam meditari Passionem, vulnera et dolores Domini mei Jesu Christi, continueque super eisdem ex animo lacrymari, ejus charitate igniri, in ejus vulneribus sepeliri et absorberi, atque ejus Cordi inseparabiliter uniri. Amen.

THEORIA VIGESIMA SEPTIMA.

Subsecutæ sunt autem et mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, videntes monumentum et revertentes paraverunt aromata. Lucæ XXIII, 55, 56.

27. Redeunt. DULCISSIME Jesu, sepultus es ab amicis, et tandem a Matre omnibusque hominibus propter noctem instantem relictus, Angelis haud dubium remanentibus, et nobiles tibi exequias celebrantibus. O sepulchrum gloriosum, quod dignum fuit abscondere et servare Domini mei corpus sacratissimum! O utinam cor meum tibi eligas, pie Jesu, in sepulchrum, in quod non semel, sed in dies te recondas, atque in æternum inde non recedas! Sed et tu, o reverenda Dei sanctissimaque Mater, instante jam nocte, quid faciebas? Remorari extra civitatem virginali verecundiæ tuæ non congruebat, a sepulchro recedere dolorosissimum tibi erat, tamen a dilecto tunc separari necesse erat. Recordare igitur tu, et da mihi id quoque cum lacrymis semper recolere, quanta virgineam animam tuam pressura tunc invaserit, quando pretiosissimum unicumque cogebaris thesaurum tuum relinquere. Heu, quoties osculabaris recessura Filii sepulchrum, quoties valedicendo benedicebas Filium! Quot denique interea lacrymæ defluebant, quot gemitus tunc et suspiria sibi succedebant! Itaque vulnerato Corde tandem recedens adorataque Cruce, et crebro ad sepulchrum, ubi charissimum reliqueras depositum, retrospiciens, ipsumque iterum ac iterum benedicens, redis ad civitatem. In hoc regressu, o piissima Dei Mater, dolor Cordis tui toties renovabatur, quot vestigia Filii tui, ad Calvariam paulo ante exeuntis, relicta et adhuc cruentata, quotque passionum ejus loca ac monumenta transiens videbas, donec lacrymis et gemitibus exhausta, venis ad domum Joannis, Virgo paupercula, sub alieno (quoniam proprium non habuisti) tecto mansura: quam Joannes, cui commendata eras, desiderabundus, tanquam matrem filius, te suscepit, imo te quam matrem naturalem plus dilexit. Consolabatur autem mœrorem tuum spes firma indubitataque fides Resurrectionis Filii tui ad vitam, quam æstuantissimis desideriis exspectans, in rememoratione Passionis et in exspectatione ejusdem resurrecturi, sabbatum transigebas.

Pro venia peccatorum stabilitateque cordis, precatio.

DULCISSIMA Domina mea et Mater piissima, impetra mihi veniam emendationemque omnium peccatorum meorum, et præsertim quæ in persolutione divini officii commisi. Heu, dulcis Mater, impetra mihi stabilitatem cordis, ut meis omnibus cogitationibus in Cor Jesu Christi Filii tui sepultis, devote attenteque solvam orationes debitas, cum alacritate et fervore spiritus. Compesce et tu, o piissime Jesu, per amorem et venerationem Matris tuæ obsecro te, evagationes cordis mei atque distractiones, et ubi per cogitationem abs

Digitized by Google

te digressus fuero, illico ad te redeam. Da igitur mihi, piissime Deus, veram sanctamque simplicitatem cordis, qua tibi serviam, te colam, tibi inhæream ac placeam totus et perfectissime. Amen.

THEORIA VIGESIMA OCTAVA.

Descendit cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni. Sapientiæ X. 13.

Descendit itaque Jeremias in lacum. Jeremiæ XXXVIII, 6.

Qui descendit, ipse est qui et ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia. Descendit autem primum in inferiores partes terræ. Ephesiorum IV, 9.

28. Ad limbum. Eia, benignissime Jesu, quæ nobis exultatio merito nunc deberet oriri, non ob hoc solum quod tua sumus morte redempti, verumetiam, quod antiqui Patres et justi omnes, qui in limbo suspirabant, credebant exspectabantque te venturum, per te sunt visitati et consolati. Siquidem mox ut anima tua nobilissima, divinitati unita, est egressa tuo de corpore, ad inferna descendit, Patres et amicos omnes salutavit. Eia, benignissime Jesu, quam desiderabilis fuit adventus tuus occurrentibus et clamantibus cunctis : Advenisti, desiderabilis, quem exspectabamus in tenebris, etc ! Quantum etiam tu Sanctos tuos amasti, qui ad eos veniens, mox omnes de tua præsentia fecisti beatos.

Pro fidelibus defunctis, precatio.

Pro hac charitate tua, Jesu bone, pro hoc beneficio tuo adoro te, laudo et benedico, gratiasque tibi ago, orans et obsecrans per omnia per quæ possum te orare, ut nunc defunctis omnibus etiam compatiens miserearis, qui in limbo, hoc est, qui in purgatorio sunt. Præsta, o dulcissime Jesu, præsta, obsecro, illis, ut sanguis tuus calidus in purgatorium stillans refrigerium omnibus, plenam vero requiem nunc multis tribuat animabus. Tuæ sunt, dulcis Jesu, facturæ, nec habent in quem respiciant ad quemve confugiant, præter te, Domine : esto tu eis turris fortitudinis, esto illis pater, esto miserator et redemptor. Da gloriam nomini tuo, et libera eas, ut omnes te ament benedicantque in æternum.

THEORIA VIGESIMA NONA.

Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Isaiæ IX, 2.

29. Gaudia. O quantum gaudium, dulcis Jesu, tunc in limbo fuit, dum captivitas in libertatem, dum limbus in paradisum, dum in tripudium luctus, dum denique miseria in beatitudinem convertitur ! Vere lux orta est eis, qui captivi sederant in tenebris et umbra mortis ; nova lux eis oriri visa est, gaudium, lætitia, tripudium et exultatio. Amantissime Jesu, per hoc gaudium te obsecro, quo super filios tuos et probatissimos amicos gavisus es, et ipsi e regione inebriati tuæ præsentiæ dulcedine, absorptique felicitate æternæ fruitionis in te gaudebant, recordare captivorum tuorum nunc quoque in purgatorio. Tui sunt filii, quos tua, o Pater clementiarum, justitia castigat ; refice eos, misericordissime Jesu, tuis miserationibus : quoniam tu solus pauperum es adjutor, tu solus laborem et dolorem eorum consideras, tu solus dives es in miserationibus, tu solus clemens et præstabilis super malitia. Da itaque, quæso, omnibus fidelibus defunctis requiem et gaudia sempiterna : maxime autem pro iis te rogo, pro quibus rogare debeo aut teneor, et pro quibus tu quoque vis rogari ; nihilominus tamen pro omnibus rogo clementiam tuam : fac, piissime Jesu, eis misericordiam. Ego libenter me offero et trado in omne beneplacitum tuum, atque pro subsidio pauperum animarum me tibi impendo, saltem auxilium gratiæ tuæ et charitas perpetua erga te non me derelinquat ; scis enim quia omnino nihil sum et nihil possum absque te.

Digitized by Google

THEORIA TRIGESIMA.

Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Zachariæ IX, 11.

30. Secum. GRATIAS tibi ago, clementissime Jesu, pro fidelitate et benignitate tua, qui omnes Patres, amicos tuos, limbum destruens, eduxisti. Ex purgatorio præterea, aut valde multos aut omnes, quos ibi invenisti, liberasti et in paradisum collocasti. Decebat enim ad introitum Regis regum captivos, qui ad æternæ mortis non essent damnati supplicium, universos fieri liberos. Et quid misericordiarum tunc tuis non impenderes amicis, quando teipsum totum animabus redimendis etiam inimicis impendisti?

Pro in purgatorio detentis, precatio.

SIC etiam, dulcissime Jesu, rogo te, nunc facias; idem es, nihilo minor in clementia, in misericordia et charitate modo, quam tunc. Propter dulcedinem igitur Cordis tui, quæso, miserere animabus in purgatorio detentis; admoneo te, misericordissime Jesu, universorum beneficiorum tuorum, cunctarum gratiarum misericordiarumque omnium, quæ nobis fecisti; admoneo te passionum, plagarum, vulnerum et dolorum, quæ sustinuisti; admoneo te omnium guttarum sanguinis, quas pro hominibus fudisti; admoneo te tandem amarissimæ mortis, quam pro nobis tolerasti; et per eadem omnia ac singula obsecro te: effunde in purgatorium animabus defunctis, eamdem omnium laborum et Passionis tuæ virtutem, efficaciam, fructum et gratiam, ut aut singulæ releventur animæ aliquo modo a pœnis, aut omnino liberentur. Dulcis Jesu, memor esto quod filii tui sunt, amici tui sunt, per te redempti sunt, electi tui sunt. Sufficiat justitiæ tuæ, quod ibi per tempus graviter sunt punitæ; reliqua peccata dimittat misericordia tua propter teipsum, Domine. Da etiam mihi, pie Jesu, si ita ad gloriam tuam fuerit, ut de morte temporali confestim ad vitam recipiar ego æternam; si autem aliter mecum disposuisti, æterne Deus, aut si aliud magis ad gloriam tuam fuerit, ego me tibi resigno et commendo in manus misericordiarum tuarum; juxta beneplacitum tuum fac mecum sicut vis, amantissime, fidelissime et misericordissime Domine Jesu Christe. Amen.

THEORIA TRIGESIMA PRIMA.

Una autem sabbatorum valde diluculo, venerunt mulieres ad monumentum. Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo, et accedens revolvit lapidem ab ostio monumenti, et sedebat super eum. Matthæi XXVIII, 1, 2.

Christus resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium. I. Corinthiorum XV, 20.

31. Surrexit. GLORIOSISSIME Domine, Jesu Christe, gaude, et omnium creaturarum universitas tecum nunc gaudeat: quia tu omnium Creator, Redemptor ac Salvator, victor mortis, inferni destructor, diabolum superasti atque ligasti; et a morte gloriosus, fulgidus impassibilisque ac redivivus, nec iterum moriturus, resurrexisti, clauso prodiens sepulchro. Domine mi, Jesu Christe, post tantas ærumnas, labores, afflictiones et miserias, post tantas derisiones, persecutiones, passiones et mortem, quæ omnia solum propter nos sustinuisti, quid possum aliud dicere, quam: Gaudeamus omnes in Domino, quia Dux et Legifer noster, Redemptor et Salvator noster vivit, semper in secula victurus! Transierunt tristia cuncta, tristitia ipsa versa est in gaudium.

Pro morte vitiorum vitæque novitate, precatio.

MI Domine, pro resurrectionis tuæ gloria te adoro, te laudo, te benedico et tibi

Digitized by Google

gratias ago, oroque clementissimam misericordiam tuam, da mihi omnia nunc temporalia despicere, nulla mundi adversa formidare, amare cœlestia, et ad gloriam resurrectionis ferventissime aspirare. Da mihi resurgere a vitiis et in puritate cordis ac plenitudine charitatis inavertibiliter tibi inhærere. Amen.

THEORIA TRIGESIMA SECUNDA.

Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est. Canticorum V, 6.

32. Matri. AMABILISSIME Jesu, pro fidelitate, pro reverentia, pro dilectione denique erga sanctissimam Matrem tuam te adoro, laudo, benedico et gratias tibi ago. Siquidem resurgens a morte, mox eidem apparuisti, eam visitans et consolans. Recte, Domine mi : ea namque, quæ plus omnibus mortem et Passionem tuam doluerat, quæ fidelissima tibi sub Cruce adstiterat, quæ denique sola exspectabat Resurrectionem tuam constans in fide, congruebat ante omnes consolari. Eia igitur nunc lætare, Regina cœli, lætare, quia quem meruisti sine viro concipere, sine dolore parere, cui in Passione adstans non potuisti succurrere, resurrexit, sicut dixit ; alleluia ! Eia, quanto gaudio nunc repletur subito Cor tuum, dum Filium tuum, quem de Cruce susceperas pallidum, vulneratum, deformem ac mortuum, vides resurrexisse gloriosum, fulgidum, potentissimum, speciosissimum et immortalem ! Ecce quod credidisti, jam invenisti, quod exspectasti, jam tenes. Gratulor tuæ maternæ pietati, gratulor lætitiæ et devotioni tuæ, o benedicta inter omnes mulieres, quod mœror omnis te reliquit. O quæ sancta colloquia, quæ verba cum Filio, quos mores, quos gestus, quos denique affectus erga Filium tuum exhibuisti, ubi plena erant omnia suavitate, honestate, gaudio, familiaritate et exultatione spiritus.

Ad beatam Virginem Mariam pro refugio in adversis et in morte, precatio.

ROGO te, piissima Virgo Maria, ut in omni tentatione, in omni pressura, Filii tui gratia confortari merear. Consolatione, scio, quacumque sum indignus : sed hoc tantum rogo, ut gratia Filii tui semper custodiat animam meam, præsentia ejus me protegat et servet, ne unquam peccato consentiam, ne tentationi ulli succumbam, sed insidias omnes fraudesque inimici, illecebras et concupiscentias carnis, prorsusque omnem vanitatem mundi, et ad extremum omnia simul tentamenta hujus vitæ potenter vincam ; ut mundo et quæ extra Deum sunt omnibus mortuus, in spirituali vita novitateque spiritus resurgam. O Mater Dei dulcissima, iterum hujus gaudii te admoneo, quando Filium ex morte redivivum suscepisti et gloriosum, et rogo te, facias exitum animæ meæ in morte gaudiosum, jucundum atque beatum. Amen.

THEORIA TRIGESIMA TERTIA.

Christus præbuit seipsum vivum post Passionem suam, per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei. Actorum I, 3.

33. Apparet. JESU bone, æquissime remunerator, qui secundum multitudinem dolorum consolationibus lætificas te diligentium animas ; quam benignum, quam misericordemque te exhibuisti, quantam spem et fiduciam in te nobis promisisti ; qui resurgens, post beatissimam Matrem tuam, pœnitenti peccatrici Mariæ Magdalenæ primus apparuisti, qui femineum devotioremque sexum honorasti, utpote qui tecum in Passione et sub Cruce manserat ; qui denique ad Petrum, propterea quod te negaverat, magis tristem singulare nuntium de tua Resurrectione misisti. Omnia juste, bene et laudabiliter facis, qui æterna es Sapientia Patris, pie Jesu. Quomodo enim tribus his

Digitized by Google

Mariis, et ex tribus uni Mariæ Magdalenæ præ aliis duabus primo non appareres, tuam Resurrectionem manifestaturus, quæ præ cæteris devotiores valde mane venerant ad monumentum, corpus tuum uncturæ aromatibus? Inter quas tamen ferventior erat devotissima Magdalena, fidelissima amatrix tua, cui non sufficiebat quod Parasceves die sero viri misericordiarum corpus tuum perunxerant, nisi et ipsa pretiosiora, quæ comparare potuit, aromata in te effunderet, suoque amori et cordi fidelissimo satisfaceret. Nec satis ei erat cum cæteris mulieribus venisse ad monumentum, hocque vacuum reperisse, et Angelos, qui tuam Resurrectionem prædicarent, vidisse; sed stabat aliis abeuntibus, et circumibat sepulchrum, ibat et redibat, introibat, ac denuo locum sepulchri inspiciebat, quærens quem diligebat anima ejus. Quomodo igitur, inquam, non ostenderes te tam ardenter quærenti, tam diligenter investiganti, tam suaviter amanti, et cum reliquis, quæ simul venerant, non abeunti? Stabat perseverans, circumibat quærens, quærebat plorans, quia non inveniebat te cor suum et amorem suum; solum enim te cogitabat, quem seipsa plus amabat; solum te quærebat, et ubi quæreret, fidelissima discipula deinceps nesciebat. Huic cum te manifestares, ipsa amore ebria te amplecti voluit: sed tu frontem ejus glorificata manu tua tangens a proposito eam continuisti, dicens: *Noli me tangere,* id est, noli me amplexari. Testatur hoc in hunc diem locus iste frontis ejus, quem gloriosa manus tua tetigit, qui propterea carnem solus, quasi tactu manus tuæ benedictæ et glorificatæ consecratam, imputribilem servat, reliqua carne in favillam resoluta.

Pro illuminatione divinæ gratiæ, precatio.

Pro hac igitur apparitione et pro omnibus aliis inde sequentibus, quibus et postea, foribus etiam clausis, Apostolis apparuisti, adoro, laudo, benedico et gratias ago tibi, obsecrans per immensam pietatem tuam, ut lux gratiæ tuæ semper luceat in corde meo, quo tuam præsentiam semper omnique momento et loco reverenter colam, devotissime sentiam, et ut in hora mortis omnique tempore meritis piissimæ Matris tuæ, beatissimæ quoque Magdalenæ hujus, ac sanctissimæ virginis Barbaræ, quas in patronos invoco, ab omni peccato, te donante, securus, mundus et in charitate tua inveniar perfectus. Amen.

THEORIA TRIGESIMA QUARTA.

Convescens præcepit eis Jesus, ab Jerosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris, etc. Actorum I, 4.

Suavissime Jesu, quantum nostræ infirmitati atque ad credendum tarditati subvenis, quantum condescendis, quantum succurris? qui discipulis apparens, tristes consolaris, rudes instruis, incredulos arguis, multisque argumentis veritatem ostendis Resurrectionis tuæ, quo intelligentes credamus fideliter, te idem quod in Cruce pependerat corpus, eamdemque carnem, licet glorificatam, resumpsisse. Propterea enim aperis illis sensum, ut Scripturas intelligant; propterea cum illis manducas; propterea palpabilem te ostendis; propterea denique cicatrices et vulnera manuum, pedum ac lateris producis, tangi quoque et probari te jubes. 34. Vescens.

Pro fidei, spei charitatisque illuminatione, precatio.

Dulcis Jesu, pro hac pietate tua, qua cum Apostolis vesci et colloqui voluisti, ut nobis remedia infirmis ad credendum provideres, permittens dilectos propterea Apostolos tuos dubitare, ne dubitaretur a nobis; et nostram ignorantiam infirmitatemque in illorum tarditate instruens; adoro, laudo, benedico te et gratias ago tibi, orans te humiliter, suppliciter atque

Digitized by Google

instanter, ut des mihi rectam, jugem perfectissimamque fidem, spem et charitatem, quibus tibi semper perpetuoque inhæream, nec ulla tentatione a te avelli queam. Amen.

THEORIA TRIGESIMA QUINTA.

Videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri adstiterunt juxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt : Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet. Actorum I, 9-11.

Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in cœlum. Lucæ XXIV, 51,

35. It in altum.

Gloriosissime Rex regum, dulcis Christe Jesu, confortatis per te discipulis tuis per quadraginta dies, quibus apparuisti eis, docens eos de regno Dei, tandem convocatos omnes ad montem Oliveti, coram Matre tua dulcissima, eosdem elevatis manibus benedixisti, et propria virtute elevatus, comitante innumerabili sanctorum Patrum exercitu, quem e limbo eduxeras, occurrentibusque universis Angelorum agminibus, cum jubilo et laudibus, in hymnis et canticis ascendisti in cœlum. Ah, dulcis Jesu, quantus ibi fuit jubilus Angelorum et Sanctorum tibi congratulantium simulque ascendentium; quantum gaudium beatissimæ Matris tuæ, discipulorumque præsentium in cœlum respicientium, atque admiratione simul ac desiderio te sequentium ! Quanto honore et gloria susceptus a Patre, coronatus atque in ejus dextera collocatus es ! Data enim tibi in cœlo et in terra est omnis potestas, datum est tibi et regnum et imperium.

Pro anxia unione animæ cum Deo, precatio.

Quia igitur, bone Jesu, data est tibi omnis potestas, utere, quæso, potestate hac in me rebelli et misero peccatore : omnes sensus meos, omnes affectus, omnes vires et potentias animæ meæ, cor meum atque meipsum totum trahe post te. Dulcis Jesu, rapias, absorbeas, consumas omnia in te, et tibi unias, ut conversatio mea, cogitatio et affectio non sint amplius in hoc mundo, sed in te solo. O utinam in altum, hoc est, in te et ad te solum suspiret cor meum ! Amabilissime Jesu, da mihi toto corde meo, pleno desiderio, sitienti anima ad te solum indesinenter aspirare, et in te dulcissimo, amabilissimo suavissimoque bono respirare, et totum spiritum meum, et omnia interiora mea ad te, qui es vera beatitudo, jugiter anhelare. Scribe etiam interim, o misericordissime Domine, omnia vulnera tua in corde meo pretiosissimo sanguine tuo, nulla unquam oblivione delenda ; ut in eis legam dolorem tuum pariter et amorem, quo et vulnerum tuorum memoria jugiter in secreto cordis mei permaneat, mundumque et omnia transitoria oblivisci me faciat, quatenus dolor Passionis tuæ in me quotidie renovetur, et ardor dilectionis tuæ in dies in me augeatur. Da, piissime Jesu, ut omnis mihi creatura vilescat, et tu solus in corde meo semper magis ac magis dulcescas. Amen.

THEORIA TRIGESIMA SEXTA.

Cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco : et factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum. Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et cœperunt loqui variis linguis. Actorum I, 1-4.

36. Mittens.

Christe Jesu, quam abundans et dives es in miserationibus tuis, quam largus in donis, quam fidelis in promissis ! Nam sicut promisisti, quinquagesimo die discipulis Spiritum Sanctum, sub specie ignis misisti, qui omnem formidinem eis auferr-

Digitized by Google

ret, qui ignorantes instrueret, qui charitate igniret, qui denique omnium gentium loqui linguis eos faceret. O quale donum receperunt ! quandoquidem tu legem tuam scripsisti in cordibus eorum, ut mortaliter nunquam postea possent peccare, sed viverent in terris viri angelici atque cœlestes, potentes in signis, prodigiis et sermone, omnia scientes : quippe quibus omnium notitiam Spiritus ille Sanctus infudit.

Pro infusione et illuminatione Spiritus Sancti, precatio.

Benignissime Jesu, quanta est gratia et charitas tua ad nos homines, propter quos cum esses Deus, factus es etiam homo. Jam vero quid dicam, cum homines propemodum etiam deos facias? Purifica igitur, quæso, benignissime Deus, cor meum ab omni peccato et ab omni vitio ; imple animam meam gratia Spiritus Sancti, quæ nunquam me deserat, nunquam a me recedat. Ah, misericordissime Jesu, da mihi septem dona Spiritus Sancti, quibus immolatus, totum tibi me tradam, totum in cultum, honorem et beneplacitum tuum me expendam! Amen.

THEORIA TRIGESIMA SEPTIMA.

Qui receperunt sermonem Apostolorum baptizati sunt. Actorum II, 41.

37. Convertere. Amantissime Jesu Christe, quam admiranda est dignatio misericordiæ ; quam stupenda operatio potentiæ tuæ, qui simplices, illitteratos, pauperes mundoque despectos in universum misisti orbem, ut Evangelium tuum prædicarent ; per eosdemque reges, principes, doctos et indoctos, imo totum mundum convertisti. Nonne miraculo est majus, homines juxta seculi æstimationem viles et indoctos, posse tam sublimibus quam infimis, nec doctis minus quam ineruditis persuadere, ut relicta perfidia et spurcitiis carnis, in quibus ante omni tempore vixerant, in Deum crucifixum crederent, in ejus verba jurarent, ejus mandata susciperent adeoque diligerent, ut neque vita, neque mors, neque blanda, neque tristia ab ejus charitate ipsos possent separare ? Profecto miraculo esset majus , omnem sapientiam mundi omnemque prudentiam carnis sic propter te stultam fieri, et omnem intellectum humanum redigi posse in captivitatem tuam, nisi tu esses qui faceres ; qui non persuasibilibus sapientiæ mundanæ verbis, non vi aut armis, non per potentes aut sapientes mundi, sed per humiles piscatores et artifices, signa et virtutes operans, mundi sapientiam cepisti, hanc tibi subjugasti, et in fidem tuique constantem amorem traxisti.

Pro peccatorum conversione, precatio.

Ah, Domine mi, miserere etiam jam nobis omnibus delinquentibus et in peccato sepultis ! Eripe et libera nos a potestate satanæ, cui sponte nos subdidimus ; illustra tenebras nostras præsentia visitationis tuæ ; converte nos, Deus salutaris noster, ad te, ut sequamur te quocumque ieris; rumpe vincula captivitatis nostræ, et muta corda nostra, ut quæ vasa fuerunt iniquitatis, fiant phialæ adoptionis et gratiæ tuæ ! Dulcis Jesu, singulariter oro te pro his peccatoribus, qui captivi tenentur ad inimici tui voluntatem, qui se peccatores agnoscunt et dolent, et tamen irretiti evadere nequeunt : quia seipsos vincere aut vim sibiipsis inferre non possunt. Da, pie Jesu, his virtutem, et auge eis gratiam tuam, ut superatis omnibus quæ retrahebant, ad te misericordissimum libere currant, misericordiamque tuam, et suorum veniam peccatorum a te recipiant. Amen.

THEORIA TRIGESIMA OCTAVA.

Sancti lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt. Hebræorum XI, 37.

Digitized by Google

38. Martyr. Ah, bone Jesu, quas gratias referamus tibi nescio : exsuperant enim beneficia tua cogitationem nostram. Tu namque sub initio adhuc nascentis fidei, tam numerosum tibi populum elegisti, qui contradicentes persequentesque reges et principes non timerent, parati, quod facto ostenderunt, etiam si centum haberent vitas, illas omnes pro tui amore in mortem tradere, quo tibi tuæque eruditioni ac Legi evangelicæ testimonium ferrent. Nulla mundi promissa, nullæ blanditiæ, nullæ minæ, nullæ denique pœnæ eos inducere potuerunt, ut vel te negarent, vel non confiterentur. Pueri, puellæ, feminæ, ætas et sexus infirmior, incredibiles pœnas et mortem sustinuerunt, idque optatius, quam separari a charitate Dei, quæ est in te, Christe Jesu. Multi pœnarum cruciatus, te id faciente, dulcis Jesu, epulas æstimabant; ardentes alii flammas pro nihilo ducebant foris, quia intus tui amoris igne ardebant. Fiebat per universum orbem martyrum tuorum persecutio, et quanto plus fidem tuique cultum tyranni exstinguere moliebantur, tanto magis eadem augebant inviti. Adeo copiosa et potentia fuerunt opera tua, Domine, in mirabilibus et signis super omnes, ut seipsos etiam christiani proderent et ad martyrium sese offerrent. Oh, tantus iste fervor charitatis, tanta fidelium constantia, quantum animam piissimæ Matris tuæ consolata sunt, gaudentis de tui honore et animarum salute !

Pro fidei constantia et fortitudine animi, precatio.

Obsecro te nunc, dulcissime Jesu Christe, da mihi amoris tui insuperabilem constantiam, patientiam invincibilem charitatemque cum fide et spe perfectissimam ac indeficientem, ut difficillima quæque propter te diligam ferre, atque mortem adeo ipsam atque martyrium millies eligam, quam te vel in modico offendere consentiam. Amen.

THEORIA TRIGESIMA NONA.

Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Matthæi XIX, 12.

Dulcis Jesu, unguentum effusum nomen tuum, ideo enim animæ dilexerunt te; currunt post te animæ adolescentulæ in odore unguentorum tuorum ; fit illis tædio hæc vita, et quidquid miratur mundus, ipsi contemnunt. Divitias, parentes, conjuges, proles, honores omnemque seculi gloriam, ad extremum regnum mundi universum, eousque ornatum, communiter relinquunt in utroque hominum sexu, tam pueri quam senes. Macerant se jejuniis et afflictionibus, in orationibus et vigiliis, in solitudinibus, in paupertate ac castitate tibi servientes. Tibi namque sese conformare per bonæ meliorisque vitæ studium satagunt, ut placeant. Hic, dulcis Jesu, prædicationis evangelicæ ac fidei est fructus. Oh, quot virginum cœtus, quot monasteriorum ac eremorum solitudines, quot denique abstracte vivendi genera, o dulcis Virgo Maria, tua virginitas et Filii tui amor in Ecclesia peperit! Offeruntur nunc regi virgines post te : quia tuam adeo placere Deo didicerunt virginitatem, ut nisi de Virgine Deus idem fieri homo nollet. 39. Virgoque.

Pro castitate mentis et corporis, precatio.

Impetra igitur nobis, o dulcissima, castitatem perfectam mentis et corporis, cordis stabilitatem, puritatem, simplicitatem et ab omnibus phantasmatibus nuditatem. Impetra nobis sanctam compunctionem castissimumque Dei timorem pariter et amorem. Amen.

THEORIA QUADRAGESIMA.

Erant unanimiter perseverantes in oratione cum mulieribus et Maria Matre Jesu. Actorum I, 14.

Sapientissime benignissimeque Jesu, quam clementer nobiscum egisti, quod 40. Superstes.

Digitized by Google

Ecclesiæ tuæ providens, Matrem tuam post te adhuc aliquot annis superstitem nobis reliquisti : utpote Evangelistarum doctricem, Apostolorum magistram, constantiam Martyrum, exemplar Virginum, amàntium te Matrem, innocentiæ et humilitatis speculum, omniumque consolationem credentium. Sanctissima o Dei Mater, quam ardentibus votis cupiebas esse cum Filio ! sed necessaria nimis eras nascentis exordio Ecclesiæ, propagandæ fidei scribendisque Evangeliis. Interim itaque post Filii Ascensionem loca Filii ubi passus, ubi mortuus ubique sepultus fuerat, visitabas, et devotionis tuæ fervorem, semper tamen ardentem, renovabas.

Convertendi omnia in Dei laudem precatio.

Fac, o misericordissima Mater (nam precibus id tuis maternis facile mihi impetrare potes), ut reliquum vitæ meæ totum in Dei laudem et honorem, in ejus ac tuo servitio juxta beneplacitum vestrum expendam et consumam. Amen.

THEORIA QUADRAGESIMA PRIMA.

Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ. Psalmorum CXXXI, 8.

41. Migravitque. O Virgo in æternum benedicta, o Virgo singularis, post multa suspiria, post multiplices ad Deum gemitus, post iteratas ad Filium preces, quandoquidem tædebat te hujus vitæ, et desiderabas esse apud illum, videlicet quem amabas, quem toto corde diligebas, advenit tandem Angelus nuntians tibi dormitionem instantem, finem exilii, hujus miseriæ terminum et ad cœlestia migrationem. O pientissima Virgo, quam gratum desideratumque hoc tibi fuit nuntium ! Mox igitur ad tuam petitionem ex diversis mundi regionibus adductis Apostolis, in omnium lacrymantium præsentia, sine dolore (quippe quæ jam pridem mortis dolores sub Cruce gustaveras) et veluti placido somno amoris obdormiens, e mundo demigrasti. Dulcissima Mater et Domina mundi, quæ Angelorum tunc jubilantium voces audiebantur ! quam jucundæ omnium Sanctorum cœlestium exequiæ tunc occurrentium agebantur ! Quis cogitare etiam posset Filii honorationem tibi exhibitam, quam lætus et festivus occurrerit, quomodo amplexatus te fuerit, quomodo animam tuam in cœlum deduxerit, quomodo Patri glorians te exhibuerit, quomodo denique coronaverit, sedemque tibi a dextris suis posuerit in cœlis ?

Pro morte felici, precatio.

Pro hac pietate et pro omnibus bonis, beneficiis, gratiis ac donis, quæ Matri tuæ contulisti, et in æternum confers, piissime Jesu, adoro, laudo benedicoque te et gratias ago tibi ; per eamdem Matrem tuam obsecrans te, fac finem meum et mortem mihi felicem, qua ab hoc seculo ad te, nullo distentus aut remorandus medio demigrem, qua in pace tua, in te, Christe Jesu, Salvatore et Redemptore meo, obdormiam et requiescam. Non sinas, misericordissime Jesu, in errorem, desperationem, aut malum aliud quodcumque me venire : sed fac ut, superatis omnibus inimicis deletisque peccatis singulis, secure ad te feliciterque et confestim merear pervenire. Amen

THEORIA QUADRAGESIMA SECUNDA.

Hæc est dies illa præclara, in qua usque ad throni celsitudinem intemerata Mater et Virgo Maria processit, atque in regni solio sublimata, post Christum gloriosa resedit supra omnes choros Angelorum. Ecclesia.

Universus Israel deducebant arcam fœderis Domini cum jubilo. II. Regum VI, 15.

42. Assumpta. Domina mea misericordissima, cœli Regina, sancta Maria, post venerabilem decentissimamque corporis tui sepulturam, volens dilectus tuus Filius te, quæ omni es

Digitized by Google

digna honore, plus honorare, atque quæ incomparabilis es cæteris, gloria etiam singulari te illustrare ; lapsis aliquot diebus rediit, corpusque tuum imputribile animæ conjungens, etiam illud glorificans, ad cœlestia duxit, teque duplici stola gloriæ coronavit.

Pro vitæ felici directione, ad beatam Virginem Mariam precatio.

Pro hac gloria et honore, benignissime Jesu, aliisque omnibus, quæ in Matrem piissimus Filius exhibuisti, adoro, laudo, benedico te et gratias ago tibi. Obsecro autem te, o benedicta Dei Mater, per ineffabile interminabileque gaudium, quod habes assumpta in cœlis, ut facias mecum misericordiam, et omnem vitam meam regas et ordines ad gloriam Filii tui. Nihil posthac aliud intendam aut quæram, nisi beneplacitum ejus et honorem ; ejus benignitati confidam, ejus providentiæ et fidelitati me committam ac credam, atque totum cogitatum omnemque curam et sollicitudinem meam in illum, et post hunc in te, piissima Mater, projiciam. Noli me derelinquere, o piissima, in omni tempore necessitatis, quia nihil ego sum, et nihil est omnino virtus mea. Amen.

THEORIA QUADRAGESIMA TERTIA.

Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. Proverbiorum XXXI, 29.

43. Supremaque. Gaude, o sanctissima Virgo Maria, quia tu super cœlos cœlorum, tu super omnes choros Angelorum es exaltata, in potioribus bonis cum Filio tuo coronata. Et hoc dignissime tibi competit, quippe quæ hic infra homines cunctos, licet fores dignissima, teipsam humiliasti, ideo juxta verbum benedicti Filii tui, exaltata nunc es super omnes.

Pro humilitate suique cognitione, precatio.

Ah, Domina mea sanctissima, impetra mihi profundissimam perfectissimamque humilitatem, ut cognoscens meam iniquitatem, vilitatem et miseriam, et e diverso tuam supremam dignitatem, meipsum ex animo detester, odio sancto odiam, contemnam, atque ab omnibus sperni, vilis haberi, derideri ac conculcari diligam. Amen.

THEORIA QUADRAGESIMA QUARTA.

Positus est thronus matri regis, quæ sedet ad dexteram ejus. III. Regum II, 19.

Gaude, o benedicta inter mulieres, jam enim Trinitati es proxima in cœlis, quæ olim ab omnibus, quæ mundi sunt, vixisti aliena et pura in terris. Quantum in hoc congratulari tibi debent servuli tui, scientes Dominam suam adeo potentem, adeo in cœlis gloriosam, ut sessione sit proxima Trinitati : hoc est, ut post Deum postque Filii tui humanitatem, honoratior sis omnibus, gloriosior cunctis, dignior universis. 44. Proxima.

Pro vitæ Christi et Matris conformitate, precatio.

Domina et Mater mea dulcissima, impetra mihi a dilecto Filio tuo in hac vita, ut proximus fiam ejus vitæ pariter ac tuæ ; ut imiter vestigia Christi Filii tui, placeam eidem in his quibus tu placuisti ; discam esse humilis et mitis corde, discam inimicos diligere, benefacere iis qui oderunt me, orare pro persequentibus et calumniantibus me ; discam esse misericors et perfectus ; discam patiens esse, castus et pauper spiritu ; discam in omnibus ejus operari, sequi, acceptare et laudare beneplacitum : discam illi plena fide me ex toto credere, resignare et relinquere, atque de manu ejus cum gratiarum actione, quæcumque et tristia et læta suscipere. Amen.

THEORIA QUADRAGESIMA QUINTA.

Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, etc.? Canticorum VI, 9.

Digitized by Google

45. Fulget. GAUDE, stella maris, lampas cœli, lux singularis, lucidissima pulcherrimaque, Domina et mater mea, Virgo Maria. Tu etenim sicut sol mundum illuminat et lætificat, ita post Filium tuum purissima, candidissima, pulcherrima et gloriosissima fulges in cœlesti curia. Splendor tuus omnibus amabilis, omnibusque est desiderabilis; pulchritudo gloriæ tuæ omnes cœligenas lætificat, et in admirationem ac amorem tui trahit.

Pro illuminatione mentis, precatio.

DULCIS Maria, impetra mihi lumen æternæ sapientiæ, ut sciam et velim quidquid tibi et Filio acceptum est omni tempore. Dirige vias meas omnes in beneplacito Filii tui, ut splendore gratiæ divinæ adjutus non peccem in conspectu tuo, Mater suavissima et omni gratia plena.

THEORIA QUADRAGESIMA SEXTA.

Si dimidiam partem regni mei petieris, dabitur tibi. Esther V, 6.

46. Imperat. GAUDE, cœlorum Imperatrix potentissima, quia omnes tibi serviunt cœlestes creaturæ; tibi obediunt Angeli, te tremunt et fugiunt spiritus maligni, omnis tibi potestas, omnis virtus in cœlo et in terra post Filium tuum subjecta est: quia sic placuit Deo, cujus tu in terris solius honorem pure quæsisti, honorare te.

Pro devotione et fidelitate erga Dei Matrem, precatio.

FAC, o misericordissima Virgo, ut castissima veneratione tibi placeam, ferventissima humilitate tibi obediam imperanti, devotissimis obsequiis tibi serviam, ferventissimo amore te diligam, ut non tantum inter servulos tuos, verum etiam inter filios tuos fidelissimos adoptivos abs te haberi merear. Amen.

THEORIA QUADRAGESIMA SEPTIMA.

Petitionem unam parvulam ego deprecor a te, ne confundas faciem meam. III. Regum II, 20.

47. Exorat. CONSOLATRIX afflictorum dulcissima, adjutrix miserorum, reorum advocata, desolatorumque spes unica, gaude, quia promisit tibi Filius tuus, omnibus te diligentibus omnibusque tibi servientibus, in hac et futura vita mercedem se daturum copiosam. Tu enim veluti esca in hamo nobilissima pro capiendis peccatoribus et ad Deum trahendis posita, maximeque huic officio idonea, utpote tota dulcis et suavis, nemini horribilis, omnibus blanda: ad quam peccatores pœnitentes primo confugiunt, per quam conversi ad Deum ducuntur et reconciliantur, ne pereant.

Pro veneratione filiali erga Matrem Christi, precatio.

ITAQUE Domina et Mater mea dulcissima, si gratiam suam impartiri dignatur Filius tuus iis, qui tibi serviunt, dignare me ut serviam tibi, et inter dilectos ac singulariter tuos me annumera. Ecce, o suavissima, tua pietate fretus, usurpare mihi volo, quod unus sim de tui cultoribus; non quia sum, sed quia esse et opto et desidero, cui quidquid volueris a Filio tuo facillime poteris impetrare. Nihil opto ego aliud præter hoc unum, quod maxime rogo mihi dari a Deo, videlicet teipsam, ut tu tota perpetuoque sis mea, et ego perpetuo totus sim tuus, piissima Mater et Virgo Maria. Hoc, quæso, a Domino mihi exora, hoc ut accipere merear, impetra. Amen.

THEORIA QUADRAGESIMA OCTAVA.

Pete, mater mea, neque enim fas est, ut aliquid tibi negem. III. Regum II, 20.

48. Concors. GAUDE, o pulcherrima Virgo, hortus deliciarum, atque cœlestis amœnitas paradisi.

Digitized by Google

Adeo namque Trinitas beata tibi consentit, ut una ejusdem tecum, quandoquidem et tua cum illa eadem est voluntas : nihil rogare potes, quod non annuat illa tibi clementer.

Pro sui perfecta abnegatione et mortificatione, precatio.

Dulcissima Mater, impetra mihi perfectissime abnegationem meiipsius, omniumque desideriorum propriorum mortificationem, ut aliud non velim, nec velle possim, nisi beneplacitum Domini Dei mei Jesu Christi Filii tui. Huic concors semper sit voluntas mea omnisque affectio mea. Amen.

THEORIA QUADRAGESIMA NONA.

Gaudium vestrum nemo tollet a vobis, Joannis XVI, 22.

49. Crescunt. Gaude, abyssus gaudiorum, felicissima Dei Mater Virgo Maria; secura enim es, quod gaudia tua nunquam deficient, nunquam minuentur, sed augentur quotidie et crescunt. Quamvis enim plenam perfectamque in corpore et anima felicitatem receperis adeoque consummatam, ut illi addi nil possit ; accedentia tamen tibi quotidie gaudia accrescunt ex multorum salute, qui tuo sunt exemplo compuncti, qui ad meliora per te conversi, et qui tua sunt adhuc prece salvandi : inde gaudium tibi, honor et laus quotidie augetur.

Pro devotione in Dei Matrisque ejus laudibus, precatio.

Domina mea et sanctissima Mater, fac me in tuo et Filii servitio, in officio divino, in vestrisque laudibus nunquam deficere, nunquam tepescere, sed ferventissima devotione et strenuissima alacritate semper crescere ad meliora. Amen.

THEORIA QUINQUAGESIMA.

Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregabit oves ab hœdis : et statuet oves quidem a dextris, hœdos autem a sinistris. Matthæi, XXV, 31.

Videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, etc. Matthæi, XXVI, 64.

Domine Jesu Christe, qui in mundi fine es venturus, et omnes juxta opera sua judicaturus, et daturus iis, qui ad dexteram constitui meruerint, vitam æternam, iis vero, qui a sinistris sunt, supplicium æternum. Heu, judex æquissime, Domine mi Jesu Christe, quantus tunc erit damnatorum luctus, quanta calamitas, quanta infelicitas et desperatio eorum, qui a facie tua projecti et maledicti, æternum cadent in incendium, sine spe ulla liberationis, absque consolatione et absque ulla intermissione, pro brevissimis momentaneisque delectationibus, quas tuo hic amori prætulerunt, arsuri ! At contra, quantum erit, o misericordissime Deus, tunc gaudium his, qui a te benedicti invitantur, intrabuntque tecum ad percipiendum æternæ felicitatis regnum, ubi absque timore, absque luctu, absque defectu et absque fastidio, plena et immarcescibili felicitate tecum sine fine gaudebunt ! O igitur Deus æterne, qui tuis electis tam ingentia bona invisibilia præparasti, quique eos, quos tibi elegisti, ad eadem bona nunc vocas, et eos quos vocas justificas ; justificas autem eos tam potenter, quam misericorditer salvas, ut nihil sit in quo glorietur homo, præterquam in bonitate et misericordia tua : quantæ sunt divitiæ bonitatis tuæ, quantus abyssus miserationum tuarum ! Domine Deus meus, quam magna multitudo dulcedinis tuæ, quam incomprehensibile est gaudium beatitudinis tuæ, quod præparasti diligentibus te ! Nempe tantum, ut par aut simile nec viderit oculus, nec auris audierit, nec cor hominis quoque senserit, quæ daturus es iis quos fecisti, ut tibi placerent. Ipsi tecum sedebunt in

50. Venietque.

Digitized by Google

mensa tua, edentes et bibentes; ipsi, inquam, tecum sedebunt in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta, ubi præparasti illis in monte sancto tuo cœnam magnam : convivium scilicet illud pinguium, convivium vindemiæ, convivium pinguium medullatorum, convivium vindemiæ defæcatæ : ubi et inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Gaudebunt itaque in bonis Domini sui, et gaudium eorum nemo tollet ab eis. Ad hæc autem gaudia tu, Pater clementissime sempiterneque Deus, nos creasti, et per Unigenitum tuum vocasti; hæc gaudia tua nobis, o Agne mansuetissime Jesu Fili Dei vivi, sanguine tuo roseo comparasti; in hæc quoque gaudia tu, Spiritus Paraclete Deus, tua nos gratia et inspiratione sancta introduces. Pro quo, o Trinitas sancta, unus Deus, te supplex adoro, laudo, benedico et tibi gratias ago: obsecrans te per immensam misericordiæ tuæ multitudinem, da mihi fidem, spem, ardentissimam, perfectissimam perpetuamque charitatem, quibus me totum in beneplacitum tuum, in tuique amorem ac honorem tibi tradam, resignem ac relinquam, cum plena perpetuaque meiipsius abnegatione, cum profundissima humilitate, atque cum perfectissima divinæ bonitatis tuæ confidentia. Factura tua, Domine Deus meus, ego sum, et quidquid habeo et quidquid sum, præter peccata mea, a te est et tuum est.

Pro præparatione ad extremum judicium, precatio.

Miserere igitur mei, sempiterne, omnipotens et misericordissime Deus, et salva me. Scio quis venturus sis ad judicium; scio quam miser, quam indignus quoque et quam reus sim ego et facinorosus, quamque imparatus et immundus ut judicer; quamobrem misericordiam tuam solam imploro ac invoco. Vide tamen, Domine mi, cujus miserearis, dum mei misereris miserrimi miserabilissimique qui in universo mundo est, peccatoris. Et ubi tuarum miserationum abyssus profundior investigari, ubi copiosior probari, ubi declarari limpidior, aut ubi gloriosior potest monstrari omnibusque manifesta fieri, quam in me? Si tamen tanti tu misertus fueris peccatoris, mihique peperceris; si enim tu me salvaveris, erit profecto gloria nomini tuo; tantoque major, quanto ego peccatis fœdior, quanto vilior atque ad quodvis bonum infirmior sum. Miserere igitur mei, Deus meus, et salva me; qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas, Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Digitized by Google

VERSUS TRIGINTA

QUORUM QUIVIS QUINQUE ARTICULOS VITÆ JESU CHRISTI SIGNIFICAT,
MEDITATIONIBUS TOTIDEM TRACTANDOS
QUIBUS COLLATIS OMNIBUS, CENTUM QUINQUAGINTA INVENIES ARTICULOS

CUNCTA creat, vindex, statuit, signata, Prophetis.
Concipitur, sine væ, completur, nata, venusta.
In templum, dulcis, fulgens, vovet, nova sponsa.
Orat, ave, turbatur, concipit, hunc pia gestat.
Ad montana, pavet, peregrina, parit, latriam dat.
Lactat, condoluit, congaudent, integra, scindunt.
Tres veniunt, sistunt, fugiunt, exul, pia nutrit.
Hinc redit, ad festum, quærunt, parensque, latebat.
Jordanis, tentat, vocat hos, incommoda, fessus.
Mira facit, docuit, pius est, injuria, palmis.
Venditur, abscedit, cœnat, lavat, instituens dat.
Prædicat, exivit, tristatur, et orat, ad illos.
Angelus, et sudat, redit obvius, oscula, sanat.
Captum, fune ligant, fugiunt, Annas, alapam fert.
Ter negat, ad Caipham, testes, blasphemia, damnant.
Cæsus, conspuitur, velant, fert multa, Pilato.
Accusant, regi, spernunt, redit, alter ab illo.
Nudatum, stringunt, cædunt, spinisque, cachinnant.
Exhibitus, damnatur, amictus, sub Cruce, flebant.
Associant, Simon, vinum, nudant, renovantur.
Extensus, crucifigitur, orat, scripsit, in altum.
In tribus, effluxit, vestes, blasphemia, latro.
Undique, condoluit, mulier, tenebrasque, relictus.
Est sitiens, gustat, complet, moritur, gemuerunt.
Terra tremit, milesque, resolvunt, sindone, planctus.
In tumulum, redeunt, ad limbum, gaudia, secum.
Surrexit, Matri, apparet, vescens, it in altum.
Mittens, convertunt, martyr, virgoque, superstes.
Migravitque, assumpta, supremaque, proxima, fulget.
Imperat, exorat, concors, crescunt, venietque.

Digitized by Google

EPITOME EXERCITIORUM

CENTUM VIDELICET ET QUINQUAGINTA

ARTICULORUM VITÆ CHRISTI EJUSQUE MATRIS

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO

TRIGINTA prædictos versus qui legis, lector humanissime, non eos sic putes esse construendos, ut verbis cunctis tibi loquantur aliquid, aut ut sensum orationis ex seipsis tibi afferant : sed propterea tantum scias compositos, ut articulos, in quos vita Christi per nos distincta est Passioque ejusdem meditanda, recto ordine significent. In iis enim versibus singula pene verba, aut duo aliquando, ex vita et Passione Christi articulum significant unum meditandum ; verbi gratia : primus versus incipiens : *Cuncta creat,* primum tibi articulum significat. His namque verbis auditis, mox intelligenda est tui mundique universi creatio, pro qua certe congruit ut Deo gratias agas, eumdem adores, et hanc ipsam charitatem illius, eidem pro tuis proque universi mundi peccatis, hoc est, vivorum ac mortuorum, offeras. Non tamen pro sola hac creatione putes gratias agendas Deo, Deumque laudandum ac adorandum, sed pro tribus simul omnibus iis beneficiis, quæ conjuncta eidem articulo, ut facile infra est videre, cohærent. Habent enim singuli articuli tria beneficia Christi recolenda, pro quibus idem adorandus laudandusque est. Exempli causa : in primo versu, quando dicis cogitasve hæc verba : *Cuncta creat,* hæc tria recolenda sunt ; puta : quia te creavit, quia te peccantem tolerans non damnavit, sed convertit, et quia aliis præterea beneficiis multis te donans quasi creavit. Hæc itaque tria in primo articulo tibi sunt recolenda. Deinde in secundo articulo similiter tria alia, ut, cum dicis cogitasve : *Vindex,* intelligas primo censuram, qua Angelorum damnavit superbiam ; deinde, qua protoplastorum castigavit inobedientiam ; tertio misericordiam ejus, qua usus est ad homines, quos non ut prævaricantes Angelos damnavit penitus, sed mitius castigavit, salvandos. Hoc modo omnes articuli sunt intelligendi, ut in sequenti exercitio palam elucebit : ubi articulis singulis tria semper meditanda sunt adscripta, pro quibus gratias agas Deo.

Porro si devotionem tuam uberius pascere exercereque volueris, potes in quovis articulo post prædicta, hoc est, post adorationem, gratiarum actionem et oblationem, aut etiam sine illis, petere virtutem, donumve aliquod salutiferum, per modum aspirationis, quod aut Christus in hoc arti-

Digitized by Google

culo monstraverit docueritve, aut quod ad articuli materiam congruum fuerit, aut quod in corde meditantis tunc enascatur, quodve ex articulo illo occasione sumpta, semetipsum ingerat petendum. Idcirco articulis singulis conjunxi quoque aspirationes singulas; quæ, tametsi non forent adjunctæ, ex meditationibus superioribus nihilominus, quæ eodem ordine præcesserunt, facile desumerent. Observare autem debes, lector, quomodo unum alterumve descripserim nunc articulum tractandum, ita esse meditandos tractandosque reliquos omnes. Promitto autem unicuique in misericordia et largitate divinæ bonitatis, si cœperit fideliter constanterque se in hoc exercere opere, sentiet assequeturque alia quæ gustui erunt spiritus, quam hæc scripta,multo suaviora. Quæ enim hic scribo, iis scribo qui adhuc incipiunt, qui nec dum meliora invenerunt, et qui modum ordinemque nondum habent meditandi, atque ad Deum se introvertendi, quo discant meditanda atque petenda. Nulli tamen, quæso, videatur exercitium hoc longum, nec occupationes aliæ eidem præferantur quasi magis necessariæ: quia mora multo breviori spiritus intelligenda penetrat, multoque plura in se capit affectus meditando, quam lectione orationeve interim possit vocali. Potissime autem propterea de prolixitate nihil est causandum, quandoquidem haud necessarium est quotidie omnes, sed aliquot saltem devote ac diligenter ruminasse articulos. Satius namque est multoque Deo acceptius, paucos articulos, eosque devote ac diligenter meditari, quam multos indiligenter absolvere. Quapropter ubi hodie cessatum fuerit meditando vel orando, ibi cras est incipiendum continuandumque, donec exercitium denuo a capite incipiendum finiatur.

Postremo, ne quis meditandi hoc genus, exercitiumque orandi quodcumque aliud, quod mente ac spiritu versatur, putet esse infructuosum, aut operam huic studio locatam existimet esse amissionem temporis: sciat nihil esse utilius, nihilque interim posse fieri melius hoc studio meditandi, quo mentem suam conatur Deo conjungere unireque, tametsi id non semper aut raro assequatur; quandoquidem bonæ voluntatis studium conatusque meditari ac Deo conjungi volentis, illi imputatur a Deo, acceptaturque ab eodem perinde ac si permulta esset homo liquefactione cordis, aut compunctione consolationeve interna perunctus; imo sæpe multo est acceptius Deo utiliusque spiritui, licet non suavius, Deo velle aut conari humiliter conjungi, quam actu conjungi, si tamen ex impatientia ac laborandi tædio non cessetur a bono cœpto. Possunt præterea ad singulos articulos *Ave Maria* legi vocaliter, ita ut reliqua mentaliter tractentur omnia.

Nihil tacemus eorum quæ suggerit spiritus; eligat unusquisque vel unum vel plura vel omnia, quomodocumque suam viderit promoveri devotionem. Quibusdam enim visum est æquum et sanctum, post tres, quibusdam post

Digitized by Google

quinque articulos, gratias Deo agere, ipsum adorare, et eidem Passionem et charitatem illius offerre ; aliis videtur necessarium post singulos articulos id fieri ; deinde qui angelicas Salutationes adjiciunt, eas singulas singulis articulis uniformiter adjungunt ; nonnullis, utpote devotioribus, visum est in quinto semper ad minus loco utendum esse *Ave Maria aureo*, quod, ut sequitur, legi potest in hunc modum : *Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum. Ah, sancta Maria, utinam Dei gratia et tua semper sit mecum, et cor meum semper vobiscum ! Benedicta tu in mulieribus. O piissima Mater Dei, fac me totum secundum beneplacitum Filii tui, ut et ego totus tuus sim, et tu tota mea ! Et benedictus fructus ventris tui Jesus Christus, Deus meus, propter me incarnatus, crucifixus et mortuus, sanctarum virginum omniumque se amantium sponsus. Amen.* Quare autem angelicæ Salutationi hæc verba inserta sint, operæ pretium erit lectori hujus rationem reddere. Initio post *Dominus tecum* sequuntur duo verba, *Ah, sancta Maria.* Hæc duo verba ut insererentur, doctam legi a beatissima Dei Matre virginem sanctam, ut reor, Mechtildem, pro renovatione intentionis atque fervoris, quibus tamen, ne absque aspiratione transeant, addidi : *Utinam Dei et tua gratia semper sit mecum, et cor meum semper vobiscum,* ostendere lectori simul cupiens, quam necessaria, quamque sit maxime optanda nobis Dei gratia, quæ tamen semper nobis præsto est et a Deo nobis offertur, si modo nos Deo adessemus ; hoc est, si cor nostrum foret cum Deo, a mundo scilicet et ab affectione rerum temporalium abstractum et exoccupatum. Optatur igitur nobis Dei gratia, optatur quoque ut corda nostra sint semper cum Deo, illum amando, illum suspirando, illum quærendo, illum solum intendendo, illi inhærendo, auscultando, et in illo quiescendo. Post *Benedicta tu in mulieribus*, sequitur quod causam hujus excellentissimæ benedictionis narrat : scilicet, *o piissima Mater Dei.* Esse enim Matrem Dei, proxima est dignitas post esse Deum ; merito igitur benedicta dicitur in mulieribus, verum ut sciatur, Maria, licet dignissima atque maxime benedicta sit inter omnes, nihilo tamen propter hanc dignitatem est elatior aut durior, ideo *piissima* dicitur. Et ne frustra fiat aspiratio, adjicitur : *Fac me totum secundum beneplacitum Filii tui.* Siquidem hoc modo esse, est perfectissimum esse, ac propterea cum primis optandum. Inde sequitur. *Ut et ego totus tuus sim,* hoc est, nihil inveniatur in me quo displiceam tibi, aut quare abs te non sim amandus. *Et tu tota mea,* hoc est, post Christum Jesum Filium tuum, amor meus ad te totus sit conversus, ut tu mihi sola post Deum maximeque placeas. In fine post *Jesus Christus,* quo reverentia huic nomini in corde hominis affectusque exsurgat major, additur *Deus meus.* Ideo autem, *meus,* quamvis sit tantus, quia me creavit, me redemit, me pascit, meis peccatis parcit, omniaque mihi bona præbet ; utpote *propter me incarnatus, crucifixus et mortuus,* quæ tria charitatis ejus nostræ-

Angelica Salutatio aurea quæ.

Digitized by Google

que redemptionis certissima sunt indicia. Potest autem addi devotionis causa quandoque, *sanctarum virginum omniumque se amantium sponsus*, primum quidem, ut occasio præbeatur sanctarum virginum cum laudibus memoriam celebrandi; deinde etiam singulariter Deum amantium, cujusmodi sancta fuit Maria Magdalena et sancta Gertrudis et reliquæ similes. Hujus Gertrudis tam vitam quam revelationes omnes quinque insinuationum divinæ pietatis libris nuper evulgavimus. Datur autem in his verbis tibi, o lector, occasio gemendi super te atque plangendi, si non sis virgo, nec Deum amaveris ferventer. Itaque hoc *Ave Maria aureum*, potes quinto loco dicere, hoc est, post quintum semper articulum, licet possis et sæpius. Sunt nihilominus alia quoque devotionem excitantia, quæ tacere nolui; unusquisque sumat quod sibi conveniat, veluti sunt, ad singula *Ave Maria* dicere post *Jesus Christus*: *Deus meus propter me incarnatus, crucifixus et mortuus;* si orator item sanus robustusque est, ad nomen *Mariæ,* quoties illud nominaverit, toties caput devote inclinare: ad *Jesus* autem *Christus*, *Deus meus pro me incarnatus, crucifixus et mortuus*, etiam procidere in genua humumque osculari; aut potius ad terram flexis genibus ad osculum asseris (ne humi procidens quis nimium se gravet) te Deo humiliare, quod apud monachos est veniam sumere, sive adorationem intendere. Qui denique meditando Christo gratias agentes, pro Passione ac ejus charitate eumdem adorant, facere hæc possunt cum simili, ut dixi, venia. Sunt postremo alia multa, quæ vel a Sanctis didicimus observata, aut quæ inspirata quotidie ad devotionem excitandam conducunt; hæc possumus imitari, hac tamen lege discretionis, ne quid nimis: hoc est, ne laboris nimium imponatur corpori, unde paulatim adeo illud deficiat, ut spiritus quoque succumbens, cogatur propterea etiam illa, ad quæ ex debito obligatur, nedum (ut vocant) devotionalia, intermittere. Quod, proh dolor, præcipue contingere solet iis, qui quæcumque legunt alios fecisse, non pensatis nec emensis viribus suis, mox volunt ipsi eadem imitari. Qui dum simul multa imponunt onera naturæ infirmæ atque insuetæ, eamdem opprimunt obruuntque, ac tandem deficiunt. Quæ tamen onera si dividerentur, puta ut primo aliquanto tempore unum onus aut gravamen corporis portandum assumeretur, huicque, donec natura assueta fieret adeo ut absque labore jam illud ferret, aliud non apponeretur; deinde assueta jam natura, ac onere nihilominus priore manente, aliud assumeretur, quo etiam natura doceretur assuefieri; donec tertio quid augeretur hoc modo, puta, non simul multa, sed paulatim et post intervalla hebdomadarum ac mensium, plura semper addendo, ferre possemus, quæ simul assumpta premunt ac opprimunt. Cavendum etiam a vehementi imaginatione et phantasia forti inter meditandum, quæ destruunt caput: sed conandum, ut non per imagines, sed per affectus versetur meditatio, ut quasi cor solum desideriis exerceatur,

Ut cum discretione cuncta sunt agenda.

Meditandum ut sit sine imaginibus.

Digitized by Google

caput vero teneatur extra laborem tanquam feriatum. Accipiatur hujus similitudo : si patrem haberem, quem in vita mea nunquam vidissem, longe a me habitantem, qui sæpenumero me faceret salutari, qui mihi scriberet, consolaretur, dona continuo mitteret, beneficiaque mihi paterni amoris indesinenter exhiberet ; nonne quoties illius essem memor, quoties ejus dona inspicerem, quoties amorem et ejus beneficia recolerem, dulcis, fervidus, filialis amorosusque in corde meo quidam oriretur erga illum affectus, variaque surgerent desideria, quibus illi optarem honorem, bonum, salutem ; gratularer sanitatem, item optarem cum eo esse, ejusque felicitatis consors et particeps esse. Hæc omnia cogitans, affectum magis exercerem quam imaginationem : quia fieri posset, ut hæc omnia absque imaginatione cogitem, puta : ut nihil imaginer, cujus coloris sit pater meus, cujus staturæ, quibus vestibus utatur, an stet sedeatve, aut quomodo loquatur, et ubi habitet : sed diligo eum ut patrem meum, ut benefactorem, ut amatorem clementissimum fidelissimumque. Simili modo de Deo cogitandum est : cogitandus est optimus, misericordissimus, benignissimus, fidelissimus, charitate plenissimus, liberalissimus, amabilissimus et suavissimus : et nihil de eo imaginetur, ubi aut quomodo sit, sed nec phantasmata admittantur de corpore, de figura, de colore et hujusmodi. Porro de Christi humanitate, tametsi suavior sit ad compassionemque magis excitet ea meditatio quæ fit per imaginationes, puta : quam misere Christus tractatus sit, quam verecunde steterit, quam mansuete responderit, quam crudeliter denique illius hostes eidem facies truculentas, minaces vultus, truces oculos superbaque verba objecerint : quam dolenter quoque, licet ultro, hæc idem passus sit, imaginando pœnarum modum et circumstantias, mores item tam inferentium pœnas, quam gestus, verba ac pœnas Christi patientis : tamen hæc caput debilitant ; ideo cavendæ sunt quantum possibile est, infirmis capitibus hujusmodi imaginationes, præsertim hæ quæ non ultro occurrunt, aut quas studiose atque vigorose quæri, excogitari retinerive oportet. Incipe igitur tu, et paucis primo pertractandis articulis insiste : nec initio mox omnia quæcumque accendere ad devotionem possunt uberiorem, admittas, sed paulatim te assuefacias. Cæterum in prioribus satis doctus assuetusque, sine gravamine ad aliud pariter assumendum accede. Observa etiam, ut interpolationes ac variationes exercitiorum spiritualium, ne deficias, admittas, exercitiorum enim variatio multum juvat ; verbi gratia : breviter lege, et ante fastidium legere desinas : ab hoc quoque exercitio, alacer et nondum gravatus, vade ad meditationes, seu ad orationes mentales ; hinc ad vocalia debita solvenda te avoces, intermiscendo etiam corporalia exercitia. Et hoc modo te viribus validum servare potes : qui si nimis diu uni institeris exercitio, et usque ad

Exercitia spiritualia ut variandа.

Digitized by Google

fatigationem in eo manseris, tota die inutilis eris, et tædebit ad illud ipsum te redire.

Observa, lector, diligenter hic articulum vitæ Christi, quomodo præmonui, primum. Ex illo enim, quomodo in sequentibus cunctis aliis te habeas, intelliges. Primus namque hic, quomodo reliqui omnes, tria complectitur, ut ita loquar, puncta meditanda, quæ meditantem atque ad Deum se elevare cupientem, non aliter atque pennæ volare cupientem, juvant ac promovent. His adjiciuntur in singulis item articulis petitiones vel aspirationes ad Deum congruæ ; hæc in singulis, ut dixi, contingit reperiri articulis. Cæterum quæ inter puncta tria, quæ prædixi, et aspirationes petitionesve mediant, in eo sunt genere, ut eadem, quotiescumque meditans voluerit, aut frequentari aut possint etiam omitti, aut certe juxta arbitrium et devotionem meditantis mutari. Operæ pretium igitur erit illa ad minus semel, hoc est, in primo articulo, recenseri pro legentium institutione, ut discant in sequentibus, quid eligere quidve intermittere unicuique expediat seu libeat juxta suæ devotionis, juxtaque temporis aut occupationum, quibus detinetur, mensuram ; quæ certe singulis haudquaquam paria sunt.

Digitized by Google

EPITOME EXERCITIORUM

CENTUM VIDELICET ET QUINQUAGINTA ARTICULORUM

VITÆ CHRISTI EJUSQUE MATRIS

VERSIBUS TRIGINTA COMPREHENSUM, QUOD IN SE SUMMATIM COMPLECTITUR PRÆCEDENTIUM THEORIARUM SENSUM.

AVE, Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui, Jesus Christus, propter me incarnatus, crucifixus et mortuus. (*absque* Amen).

1. Cuncta creat.
Qui me et omnia creavit,
Peccantem me diu toleravit,
Beneficiis multis donavit.

Eia, benignissime Jesu, tibi sit laus, honor et gratiarum actio ab omni creatura, miserere nostri. *Aut melius ita :*

Eia, benignissime Jesu, pro hac charitate cunctisque beneficiis tuis *(intellige ea, quæ tibi aut propter te patiendo aut operando fecit)* adoro, laudo, benedico te, et gratias ago tibi, offeroque tibi eadem omnia pro peccatis meis et pro peccatis totius mundi, et in unione eorumdem, me quoque offero tibi in laudem, gloriam et beneplacitum tuum. Dulcis Jesu, utinam tibi Creatori meo fideliter serviam, pro peccatis meis contritione perfectissima continue doleam, et te super omnia ardentissimo amore semper diligam ! Amen.

Ave, Maria, etc. *ut supra ; sicque semper dicatur.*

2. Vindex.
Qui damnavit Angelorum superbiam,
Castigavit Adæ inobedientiam,
Non penitus abjecit nos, propter suam misericordiam.

Eia, benignissime Jesu, *ut supra. Aut aliter, ut etiam supra in primo habetur articulo ; videlicet:* Eia, benignissime Jesu, pro hac charitate cunctisque beneficiis tuis adoro, laudo, benedico, etc. Atque utinam mihi infundas mei contemptum, ut plenissima abnegatione meiipsius, tuum sequar et faciam in omnibus beneplacitum. Dulcis Jesu, utinam, etc. *ut supra.*

3. Statuit.
Qui te ab æterno Matrem elegit,
Pro nobis incarnari voluit,
Mundum redimere statuit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Utinam des mihi dignissimam Matrem tuam sic venerari et imitari, ut tua gratia et ejus merear intercessione salvari.

4. Signata.
Qui te signis præmonstravit,
Figuris declaravit,
Oraculis mundo prophetavit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam ab omni peccato et vitio liberum me facias, et arrham beatitudinis teipsum mihi infundas.

5. Prophetis.
Qui parentibus te nascituram nuntiavit,
Sanctitatem tuam illis prædicavit,
Parentes steriles fecundavit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam mundo moriens, extra te cuncta fastidiam, in te vero solo vivam et gaudeam.

6. Concipitur.
Qui conceptionem tuam glorificavit,
Ab originali peccato præservavit,
In utero te sanctificavit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam tui amore me totum succendas, et cuncta vitia cum ipso fomite in me exuras.

Digitized by Google

7. Sine væ.

Qui Angelos tibi ministros delegavit,
Rationis usum prærogavit,
Ab omni vitio immaculatam servavit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam ad veram puritatem cordis me perducas, et omnia desideria mea tu solus possideas.

8. Completur.

Qui omni te gratia ornavit,
Omni scientia te illustravit,
Omni sanctitatis plenitudine decoravit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam perpetuo separes a me, in quocumque tibi displiceo, et dones mihi, in quocumque placere debeo.

9. Nata.

Qui tua Nativitate parentibus abstulit opprobrium,
Angelis fecit gaudium,
Mundo salutis exordium.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam per illam ego miser tuam gratiam obtineam, inseparabiliterque tibi inhæream.

10. Venusta.

Qui te pulchritudine ineffabili venustavit,
Puritate angelica exornavit,
Regio stemmate nobilitavit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam in omnibus creaturis tuis tu mihi solus occurras, in amorem tui me rapias, et totum liquefacias.

11. In templum.

Cui in templum te obtulisti,
Ejus cultui te devovisti,
Eumdem charitate ardentissima dilexisti.

Eia, benignissime Jesu, etc. Utinam voluntati tuæ semper obediam, et tibi nunquam displiceam.

12. Dulcis.

Qui omnibus te fecit amabilem,
Dulcem, mitem et affabilem,
Exemplarem et imitabilem.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam des mihi, ut hominibus placere non appetam, sed vera et perfecta charitate omnes diligam.

13. Fulgens.

Qui te decoravit morum honestate,
Implevit omnium virtutum perfectione,
Refecit cœlestium suavitate.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam semper mihiipsi displiceam, ut perfectionem omnium virtutum, tua gratia donante, obtineam.

14. Vovet.

Cui tu virginitatem vovisti,
Mundo exemplum præbuisti,
Monasticen instituisti.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam dones mihi munditiam cordis et perfectam castitatem mentis et corporis.

15. Nova sponsa.

Qui tibi deponsavit virginem,
Utriusque servavit integritatem,
Te fecit inconcupiscibilem.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam digneris animam meam, ab omni labe et vitio emundare, et castissimo tibi amore conglutinare.

16. Orat.

Quem pro mundo indesinenter orasti,
Ejus adventum ardenter optasti,
Mundi reconciliationem impetrasti.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam tribuas mihi semper ad omnes homines sinceram habere compassionem, et ad te puram et ferventem orationem.

17. AVe.

Qui per Angelum te salutavit,
Gratia plenam te commendavit,
In Matrem suam te postulavit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam cor meum proprium tibi facias, ut semper illud inhabites atque possideas.

18. Turbatur.

Ad cujus nuntium turbabaris verecunda,
Ex humilitate fiebas trepida,
Pro virginitate eras sollicita.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam perfectissimam humilitatem mihi tribuas, et hanc in cor meum indelebiliter imprimas.

19. Concipit.

Cujus voluntati humiliter consensisti,
In ancillam te obtulisti,
In utero Deum concepisti.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam in cor meum te recipiam, utinam sic teneam, ut nunquam amittere valeam.

20. Hunc pia gestat.

Quem gestans non gravabaris,
Cœlesti suavitate fruebaris,
Quasi divina efficiebaris.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam acedia semper mihi desit in tuo ser-

Digitized by Google

vitio, alacritas vero adsit semper et devotio. Utinam tædeat me omnis gaudii quod est sine te, et delectet me omnis labor qui est pro te.

21. Ad montana.

Quem Joannes novit in utero,
Elisabeth prophetat cum gaudio,
Tu servis humili obsequio.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam te Creatorem meum et Deum meum cognoscam; utinam te solum quæram, et in te solo gaudeam.

22. Pavet.

Qui Joseph per Angelum confortavit,
Te gravidam excusavit,
Mysterium ei revelavit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam des mihi perfectam cordis sinceritatem, ut nullam unquam pravam admittam suspicionem.

23. Peregrina.

Quo imprægnata, Cæsaris edicto paruisti,
In Bethleem peregrina advenisti,
Hospitium quærens non invenisti.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam sicut hospes et advena sim super terram, ut nihil de hoc mundo diligam, sed semper suspirem ad patriam. Dulcissime Jesu, utinam tu sis portio mea et hæreditas mea in terra viventium.

24. Parit.

Quem sine dolore genuisti,
Ut sine viro concepisti,
In partu inviolata permansisti.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam tu unicum cordis mei sis gaudium unicumque desiderium, te solum concupiscam, te solum cogitem, te solum suspirem, te semper inveniam, semper te teneam.

25. Latraim dat.

Quem Natum reverenter adorans suscepisti,
Osculis adstrinxisti,
In gremio suaviter fovisti.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam te Deum meum cognoscam, te adorem, te magnificem, te incessanter laudem et benedicam.

26. Lactat.

Quem lacte virgineo pavisti,
Pannis involvisti,
In præsepe posuisti.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam æquanimiter proximorum supportem infirmitates et molestiam, consoler eos, serviam et benefaciam.

27. Condoluit.

Cujus vagitum intellexisti,
Passionem providisti,
Ærumnis condoluisti.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam pro tui amore cuncta adversa desideranter excipiam, patienter atque hilariter omnia sustineam.

28. Congaudent.

Quem Angeli laudaverunt,
Pastores invenerunt,
Miracula prædicaverunt.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam nihil me afficiat, nihil me delectet nisi tu; utinam te solum quæram et inveniam, te solum sciam, o vita mea, exultatio mea et refectio mea.

29. Integra.

Cujus Mater et Genitrix es vera,
Virgo manens perpetua,
Sponsum amans mente castissima.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam me dones et confirmes castitate purissima, fide, spe et charitate perfectissima.

30. Scinduntur.

Qui humiliter te subdidit legi,
Ut peccator voluit circumcidi,
Sanguine proprio pro nobis tingi.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam me tui sanguinis mundet effusio, ut mundus et liber fiam ab omni peccato.

31. Tres veniunt.

Quem tres Magi quæsierunt,
Adorantes munera obtulerunt,
Per Angelum docti insidias evaserunt.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam mihi veram humilitatem infundas, ut horream laudari et honorari, ut non erubescam sed gaudeam nesciri et vilis reputari.

32. Sistunt.

Quem in templum obtulisti,
Ut servum redemisti,
Purificationem purissima suscepisti.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam me facias omnem elationem execrari, omnem singularitatem et præsumptionem fugere et detestari.

Digitized by Google

33. Fugiunt.
Cui persecutionem imminere didicisti,
Anxia Mater cum Joseph fugisti,
Infantem in Ægyptum detulisti.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam inter omnes eventus in te semper respiciam, de manu tua cuncta lætanter suscipiam, in omni tribulatione gaudeam et gratias agam.

34. Exul.
Cum quo exilium pertulisti,
Inopiam magnam sustinuisti,
Ignota et humilis latuisti.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam sanctum odium mihi infundas, quo meipsum odiam et contemnam, semper quoque contemni ac pati gaudeam.

35. Pia nutrit.
Quem labore manuum nutriebas,
Cujus aspectu teipsam reficiebas,
Cujus colloquio divino proficiebas.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam te esuriam et sitiam, utinam a te pascar et dirigar.

36. Hinc redit.
Quem ex Ægypto reduxisti,
Archelaum timuisti,
In Nazareth Galilæam divertisti.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam omnem timorem et curam in te projiciam, utinam perfecte resignatus in te confidam.

37. Ad festum.
Qui templum et festa visitavit,
In templo docens interrogavit,
Exemplum fervoris monstravit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam infundas mihi veram et perfectissimam devotionem, ut cultu tuo non possim satiari, nec obedientia fatigari.

38. Quærunt.
Quem tristissima Mater amisisti,
Cum Joseph triduo quæsisti,
In templo gaudens invenisti.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam te sic mihi dones, ut amittere non valeam, sed potius omni momento magis te inveniam.

39. Parensque.
Qui tecum Nazareth rediit,
Legi divinæ paruit,
Parentibus subditus fuit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam des mihi gratiam perfectæ abnegationis, ut meipsum relinquam, et omnibus pro tui amore me subjiciam.

40. Latebat.
Qui triginta annis occultabatur.
Fabri filius putabatur,
Dei Filius tecum morabatur.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam radicitus evellas a me omnem arrogantiam atque ostentationem, omnem superbiam et ambitionem; ut sim vilis in oculis meis, ut amem contemni et vilis reputari.

41. Jordanis.
Quem Joannes baptizavit,
Spiritus Sanctus indicavit.
Pater in voce commonstravit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam tua singulari gratia digneris me totum in hac vita tuis meritis purgare, ut moriens sicut noviter baptizatus, merear illico regnum tuum intrare. O dulcissime Jesu, hæc est singularis gratia: quia tamen potens et bonus es, exaudi me.

42. Tentat.
Qui in deserto jejunavit,
Orando pro nobis vigilavit,
Tentantem diabolum superavit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam des mihi carnem meam discrete secundum tuum beneplacitum castigare, et omnes tentationes tua virtute superare.

43. Vocat hos.
Qui vocavit discipulos,
Elegit duodecim Apostolos,
Collegit dispersos Dei filios.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam trahas me post te, ut merear te imitari, et nunquam a te valeam separari.

44. Incommoda.
Qui multa tulit incommoda,
Imbres, æstum et frigora,
Famem, sitim, opprobria.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam omnia adversa libenter sustineam, et nunquam meipsum sed te ubique quæram, tuum honorem sitiam et promoveam.

45. Fessus.
Qui regiones peragravit,
Ambulando se fatigavit,
Nostram salutem curavit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam tui amor faciat me semper in tuo

Digitized by Google

servitio currere, et præ dulcedine tui adversa sentiendo non sentire.

46. Mira facit.
Qui signis multis claruit,
Languores omnes depulit,
Invocantes quosque exaudivit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam sanes animam meam a variis languoribus, a vitiis et passionibus.

47. Docuit.
Qui pœnitentiam prædicavit,
Ad regnum cœlorum invitavit,
Vitiis obstinatos objurgavit.

Eia, benignissime Jesu, etc. O utinam des mihi ferventissimum et discretum zelum animarum, ut omnium salutem ardenter sitiam, et nullis propterea laboribus parcam.

48. Plus est.
Qui omnes attrahere voluit,
Peccatores benigne recepit,
Reos misericorditer absolvit.

Eia, benignissime Jesu, etc. O utinam des mihi veram perpetuamque mansuetudinem et pietatem, veram mititatem et benignitatem, misericordiam et compassionem.

49. Injuria.
Qui injurias multas sustinuit,
Blasphemias opprobriaque pertulit,
Dolos et calumnias audivit.

Eia, benignissime Jesu, etc. O utinam infundas cordi meo simplicitatem veram atque sinceram, ab omni dolo, duplicitate atque malitia alienam, ut adversa humiliter tolerem et malum nemini inferam.

50. Palmis.
Quem laus et honor non extulit,
Super asellо sedit,
Super Jerusalem flevit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam des mihi intimam penitissimamque meiipsius cognitionem, profundissimam humilitatem, ut nullius unquam laudibus aut honoribus extollar : sed meipsum despiciens, continuis amoris et pœnitentiæ lacrymis compungar.

51. Venditur.
In quem Judæorum cœtus conspiravit,
Ejus mortem insidiose procuravit,
Ejus venditionem a Juda comparavit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam sic merear tua gratia confirmari, ut nulla concupiscentia inquinari, nulla passione vinci, nulla tentatione queam superari.

52. Abscedit.
Qui Passionem suam prædixit.
In Jerusalem passurus accessit,
Recedens tristis tibi valedixit.

Eia, benignissime Jesu, etc. O utinam facias me omnia chara propter te libenter relinquere, et ad adversa cuncta toto corde me resignare.

53. Cœnat.
Qui cum discipulis Pascha manducavit,
Legem observando consummavit,
Tradendum se revelavit.

Eia, benignissime Jesu, etc. O utinam des mihi perfectissimam obedientiam, ut humana servem instituta, et tua nunquam transgrediar beneplacita.

54. Lavat.
Qui discipulorum pedes abluit,
Exemplum humilitatis præbuit,
Ad dilectionem omnes monuit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam des mihi semper gratiam lacrymarum perfectæ contritionis, quibus purifices me a peccatis omnibus, a vitiosis affectibus, a noxiis quoque et otiosis cogitationibus.

55. Instituens dat.
Qui Sacramentum Eucharistiæ instituit,
Sui memoriam tribuit,
Manere nobiscum sic voluit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam ad hoc Sacramentum desideria omnia mea accendas, pie Jesu, et præstes illud mihi cum tanta semper devotione, reverentia et puritate sumere, ut fructum ejus omnem percipiam, et in te solo inavertibiliter maneam.

56. Prædicat
Qui discipulis dulciter prædicavit,
Passurus tristes confortavit,
Orando Patri commendavit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam repleas cor meum perfectissima atque indeficienti charitate ; utinam impleas me dulcedine ad omnes homines, misericordia et benignitate.

57. Exivit.
Qui ad hortum cum discipulis exiit,
Traditori inveniendum se præbuit,
Discipulos pusillanimes præmonuit.

Digitized by Google

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam largiaris mihi animum a vitiis mortificatum, et tibi ad omnia pure et perfectissime resignatum.

58. Tristatur.
Qui pavore contremuit,
Pro nobis semetipsum afflixit,
Tristis usque ad mortem esse voluit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam custodias me ab omni mala tristitia et ab omni inordinata lætitia.

59. Et orat.
Qui procidens in faciem oravit,
Prævidens pœnas expavit,
Voluntati se Patris resignavit.

Eia, benignissime Jesu, etc, O utinam facias, ut in omni eventu per orationem ad te confugiam, et resignatus plene tuo beneplacito me committam.

60. Ad illos.
Qui discipulos visitavit,
Dormientes excitavit,
Pusillanimes confortavit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam facias, ut meipsum nunquam quæram, et pro honore tui nihil negligam.

61. Angelus.
Qui nostram necessitatem miseratur,
Instantes sibi pœnas præmeditatur,
Ab Angelo humiliter confortatur.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam facias me omnia carnis et mundi solatia contemnere, et tuam consolationis gratiam exspectare.

62. Et sudat.
Qui redemptionis nostræ ardet amore,
Expavescit mortis horrore,
Angustatur sanguineo sudore.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam des mihi pœnitentiæ et amoris lacrymas semper effundere, et me totum usque in mortem pro tui amore desideranter impendere.

63. Redit obvius.
Qui hostibus se obviam obtulit,
Verbo sævientes perculit,
Capiendi se illis copiam tribuit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam des mihi omnes adversarios meos per patientiam vincere, et in hac vita non pacem aut requiem quærere, sed crucem tecum amanter amplecti et gaudenter ferre.

64. Oscula.
Qui ad proditoris osculum se humiliavit,
Ejus peccatum illi manifestavit,
Ad pœnitentiam benignus invitavit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam facias me semper inimicis meis veram compassionem impendere, et veræ non simulatæ dilectionis officia exhibere.

65. Sanat.
Qui vindictam Petro prohibuit,
Malcho aurem restituit,
Pro malis bona retribuit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam vindictæ appetitum nunquam in cor meum intrare sinas, sed simplicitatem et perfectissimam charitatem ad omnes homines mihi infundas.

66. Captum.
Quem sacrilegi invaserunt,
Captum laniaverunt,
Convitiis blasphemaverunt.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam captivitatem vitiorum meorum solvas, et ad perfectionem virtutum omnes vires meas captivas ducas.

67. Fune ligant.
Quem ligantes ceciderunt,
Trahentes impulerunt,
Multis injuriis affecerunt.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam omnem inordinatam iram et impatientiam in me occidas, et benignum, tranquillum ac vere mitem, etiam erga inimicos, me facias.

68. Fugiunt.
Quem discipuli reliquerunt,
Pavidi hinc inde diffugerunt,
Magistri calamitatem fleverunt.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam indissolubili nexu charitatis me tibi adstringas, nec averti me posse a te permittas.

69. Annas.
Qui in tenebris ductus læditur,
Annæ pontifici adducitur,
De doctrina et discipulis suis inquiritur.

Eia, benignissime Jesu, etc. O utinam des mihi sincerissimam charitatem, ut super omnium et singulorum afflictione doleam, et nulli molestiam inferam.

70. Alapam fert.
Qui a servo calumniam accepit,
Alapam inflictam pertulit,
Humiliter verbi rationem reddidit.

Digitized by Google

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam des mihi aliena mala patienter tolerare, et ubi expedit malos humiliter informare.

71. Ter negat.
Quem Petrus ter negavit,
A quo respectus amare flevit,
Conversus fortior stetit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam des mihi peccatorum meorum jugem contritionem et totius vitæ meæ perfectam emendationem.

72. Ad Caipham.
Qui ad Caipham ducebatur,
In concilium statuebatur,
Pro beneficiis eidem exprobrabatur.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam pro modulo aliquo vices tibi reddere queam, ut super propria afflictione et pressura in te gaudeam, et ex toto corde tibi gratias agam.

73. Testes.
Quem iniqui accusaverunt,
Falsos testes instituerunt,
Tacentem objurgaverunt.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam cordi meo infundas sinceritatem, ut nullam unquam in me admittam fictionem aut falsitatem.

74. Blasphemia.
Quem Caiphas dolose interrogavit,
Per Dei nomen adjuravit,
Dei Filium blasphemiæ accusavit.

Eia, benignissime Jesu, etc. O utinam des mihi honorem tuum fortissime zelari, opprobrium tuum vehementissime horrere et detestari. Dulcissime Jesu, utinam in omni loco tuam reverear præsentiam, te solum cogitem, te semper colam, te laudem, te timeam, te diligam teque benedicam.

75. Damnans.
Qui innocenter est damnatus,
Reus mortis proclamatus,
Illudendus impiis est oblatus.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam millies corporis mortem me facias præeligere, quam vel semel spiritualiter mori et a tua gratia excidere.

76. Cæsus.
Cujus faciem alapis verberabant,
Unguibus lacerabant,
Contumeliis increpabant.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam des mihi omnibus membris tuis, et maxime Prælatis meis, propter te exhibere reverentiam, amorem et humilem obedientiam.

77. Conspuitur.
Cujus facies conspuitur,
Putore et sordibus affligitur,
Ut leprosi deformis efficitur.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam des mihi mundam conscientiam, vitæ innocentiam atque longanimem patientiam.

78. Velant.
Qui velatus illudebatur,
Pugnis et colaphis cædebatur,
Barba et capillis trahebatur.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam cordi meo imprimas jugem tui memoriam, ut in omni loco et tempore reverenter contempler et amanter sentiam, dulcis Jesu, tuam præsentiam.

79. Fert multa.
Cui insultatum est nequiter,
Qui tractatus est viliter,
Afflictus est multipliciter.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam duritiam cordis mei tu liquefacias, utinam fontem lacrymarum tu mihi tribuas, ut fleam die ac nocte meam attendens iniquitatem, et tuam sentiens bonitatem.

80. Pilato.
Qui mane ad Pilatum ducitur,
Consputus vinctusque sistitur,
Quo viso Cor tuum scinditur.

Eia, benignissime Jesu, etc. Trahe me post te. Atque utinam sequar te quocumque ieris per tristia et aspera, per blanda et prospera, ut semper tibi sim maneamque fidelis. Jesu fidelissime, non permittas, quæso, me separari a te.

81. Accusant.
Qui accusatus tacuit,
Obediens nil renuit,
Pati pro nobis voluit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam des mihi gratiam perfectissimæ humilitatis, ut meipsum non excusem, nec laudari sed vilis reputari cupiam : ad injurias quoque mitis taceam.

Digitized by Google

82. Regi.
Qui ad Herodem mittitur,
Tumultu magno deducitur,
Injuriis multis exponitur.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam des mihi linguæ continentiam, ut de omnibus bene loquar et bene sentiam.

83. Spernunt.
Qui interrogatus tacuit,
Miraculis ostentare se noluit,
Sperni et non honorari voluit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam propriam vilitatem et iniquitatem cognoscam, mihiipsi vilescam et displiceam, meipsum accusem, plangam et arguam.

84. Redit.
Qui alba veste induitur,
Ut fatuus illuditur,
Ad Pilatum sic remittitur.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam neminem ego despiciam, sed honore omnes prævenіam, omnes ex animo mihi præferam, et præferri cupiam.

85. Alter ab illo.
Qui latroni comparatur,
Latroni nequior judicatur,
Ad crucem necandus postulatur.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam in omnibus et super omnia te diligam, me infra omnes homines abjiciam et contemnam, atque ab omni homine contemni et vilis haberi cupiam.

86. Nudatum.
Qui jussus vestes exuit,
Verecundus et castus doluit,
Truculentos vultus sustinuit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam veram paupertatem spiritus mihi infundas, et affectum meum nudum ac liberum ab omni creatura facias.

87. Stringunt.
Qui ut agnus tractabatur,
Ad columnam ligabatur,
Impie maledicebatur.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam me totum tibi charitate tua alliges et possideas, et sensus meos intra te inavertibiliter contineas.

88. Cædunt.
Cujus corpus flagellatur,
Cujus caro laceratur,
Sanguis fusus conculcatur.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam flagella tua humiliter atque hilariter patiar, et in hac vita per amoris tui incendium purgari merear.

89. Spinisque.
Qui pungitur corona spinea,
Induitur chlamyde coccinea,
Arundinem tenet in dextera.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam adeo mihi imprimas tuæ Passionis memoriam, ut quocumque me verto, semper videam te crucifixum ; quidquid aspicio, tuo sanguine appareat mihi rubricatum.

90. Cachinnant.
Qui illusus conspuitur,
Adoratus palmis cæditur,
Ejus caput arundine percutitur.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam facias me tibi fidelem et devotum, et ab omni simulatione et duplicitate alienum.

91. Exhibitus.
Qui ostenditur populo,
Nulla fit ei compassio,
Ad crucem postulatur denuo.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam radicitus in me mortifices omnem ambitionem, ostentationem, jactantiam et inanis gloriæ appetitum, ut nullius unquam superbiæ coram oculis tuis inveniatur in me vestigium vel indicium.

92. Damnatur.
Qui ad tribunal judicatur,
A Pilato excusatur,
Morte iniqua condemnatur.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam perpetuo des mihi hanc gratiam, videlicet : proximum non judicandi, non detrahendi, non murmurandi ; sed de omnibus bene sentiendi et pie excusandi.

93. Amictus.
Qui Judæorum voluntati est traditus;
Reinduitur propriis vestibus,
Producitur despectus omnibus.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam meæ nuditatis et nihileitatis cognitionem mihi infundas, et nudam ac miseram animam meam tuis meritis vestias.

94. Sub Cruce.
Qui premitur Cruce propria,
Gemit præ cordis angustia,
Cruenta dat vestigia.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam facias me crucem tecum portare per

Digitized by Google

vitæ tuæ imitationem, et post te currere per charitatis fervorem et devotionem.

95. Flebant.
Cui tu Mater flens occurristi,
Præ dolore defecisti,
Deridentes et collacrymantes habuisti.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam ardentissimum tui desiderium mihi infundas, ut omnia mundana et quidquid extra te est hujusmodi, fastidiam, lacrymas compassionis et compunctionis indesinenter fundam.

96. Associant.
Quem cum latronibus eduxerunt,
Subsannando deriserunt,
Verberibus et pugnis impulerunt.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam per gratiam tuam trahi merear ad tui imitationem, ad meiipsius abnegationem, relictionem, omnimodam egressionem et abyssalem resignationem.

97. Simon.
Qui viribus deficiens corruit,
Sub Cruce angustatus jacuit,
Simonem adjutorem non renuit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam veram discretionem in omnibus tu mihi infundas, ut in servitio tuo nunquam tepescam, nunquam deficiam, sed omnes vires animæ et corporis mei in tuum beneplacitum expendam.

98. Vinum.
Quem vino myrrhato potaverunt,
Damnationi ejus insultaverunt,
Contumeliosa in eum cantaverunt.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam gulæ et omnes carnis concupiscentias in me radicitus exstinguas, ut omnem delectationem abhorream, tui amore ardeam, te castissimo affectu sitiam, et pure soli necessitati naturæ subserviam.

99. Nudant.
Qui nudatur in Calvaria,
Torquetur verecundia,
Afficitur tristitia.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam facias ut paupertatem diligam, et omnem temporalium defectum atque penuriam desideranter atque hilariter sustineam.

100. Renovantur.
Cujus vulnera renovantur,
Mœrores et pœnæ exaggerantur,
Tormenta Crucis præparantur.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam sanctum propositum, sancta desideria castissimumque tui amorem mihi infundas, hæc in dies renoves, in dies augeas. Dulcis Jesu, vulnera cor meum tui amore ferventissimo atque purissimo.

101. Extensus.
Qui super Crucem sternitur,
Totum ejus corpus extenditur,
Compago ossium solvitur.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam majorem in dies fervorem mortificandi meipsum mihi infundas, in charitate me dilates et extendas, et ad omnium virtutum perfectionem perducas.

102. Crucifigatur.
Qui clavis Cruci affigitur,
Malleorum tinnitus diffunditur,
Cor tuum dolore scinditur.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam cor meum clavo amoris tui perfodias, et carnem meam cum omnibus vitiis et concupiscentiis crucifigas.

103. Orat.
Qui ultro omnia toleravit,
Crucifixores suos excusavit,
Pro illis ad Patrem oravit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam cor meum sincerissima charitate repleas, ut nunquam contra inimicos meos exasperari valeam, sed pro illis ex affectu orem et eis benefaciam.

104. Scripsit.
Cui inscriptus est titulus,
Tu sævientium audisti fremitus,
Amicorum attendis gemitus.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam facias me fidelem ac strenuum in omni actione, et sub hoc titulo victorem in omni tentatione.

105. In altum.
Qui in Cruce exaltatur,
Inter latrones collocatur,
Interea Cor tuum mœrens dissecatur.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam spiritum meum et totum cor meum intra te trahas et absorbeas, ut te solum cogitem, te solum desiderem, te solum sciam, te solum sentiam, extra te cuncta fastidiam, tibi soli perpetuo inhæream.

106. In tribus.
Qui tribus clavis pependit,
Tres horas pœnam sustinuit,
Quo reclinaret caput non habuit.

Digitized by Google

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam confirmes me gratia tua perpetua, atque inamissibili bonorum omnium abundantia.

107. Effluxit.
Cujus vulnera dilatantur,
Sanguinis flumina propinantur,
Crux et terra rigabantur.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam virtus sanguinis tui operetur in me pœnitentiæ, amoris atque desiderii cœlestis continuas lacrymas, ut nihil me delectet, nihil afficiat, nihil mihi placeat nisi tu, dulcis Domine Deus meus.

108. Vestes.
Cujus paupertati illuditur,
Vestis regia dividitur,
Pro partibus sors mittitur.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam infundas mihi amorem et observantiam veræ paupertatis, simplicitatis ac sanctæ rusticitatis.

109. Blasphemia.
Quem Scribæ blasphemabant,
Prætereuntes subsannabant,
Cui exprobrantes insultabant.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam des mihi tantam gratiam humilitatis ac patientiæ, ut omnia opprobria et derisiones et persecutiones quoque et infamiam desideranter excipiam, ac æquanimiter sustineam.

110. Latro.
Qui latronem blasphemantem pertulit,
Pœnitenti paradisum promisit,
Spem veniæ nobis reliquit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam sic vivam, sic tibi placeam, tantam in oculis tuis gratiam inveniam, ut anima mea de corpore egrediens, immediate ad te Deum suum recipiatur.

111. Undique.
Qui in singulis membris et multifariam pa-
Interno cruciatu scinditur, [titur,
Ejus dolori nusquam succurritur.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam totum me et ommia quæ in me sunt, tu possideas, et in beneplacitum tuum et honorem omnia convertas.

112. Condoluit.
Cui ad pœnam adstitisti,
Quem consolari nequivisti,
Compatiendo nos parturisti.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam privato amori radicitus emoriar, ut tibi et omnibus membris tuis semper ex intimo cordis compatiar.

113. Mulier.
Qui tui curam habuit,
Joannem pro se substituit,
Te nobis in Matrem instituit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam pro maximo munere post te Matrem tuam mihi in matrem dones, et facias ut ejus amore dignus exsistam, ipsamque castissimo et ardentissimo amore diligam.

114. Tenebrasque.
Cujus divinitatem elementa testantur,
Sol et luna obscurantur,
Piorum corda vulnerantur.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam des mihi donum fortitudinis, ut pro justitia et veritate nihil timeam, sed quidquid justum est, ad beneplacitum tuum loqui et facere audeam.

115. Relictus.
Qui immensis pœnis cruciatur,
A Patre nil relevatur,
Derelictum se vociferatur.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam in omni tentatione et tristitia ad te confugiam, et tuam protectionem ac consolationem semper inveniam.

116. Est sitiens.
Qui totum sanguinem effudit,
Marcescens exaruit,
Clamans ardenter sitiit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam honorem tuum et salutem omnium animarum ardentissimis desideriis sitiam, et omnes vires meas ac omne tempus vitæ meæ in beneplacitum tuum expendam.

117. Gustat.
Quem patientem deriserunt,
Aceto fel miscuerunt,
Hæc sitienti obtulerunt.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam ab omni otioso sermone semper abstineam; utinam tua gratia me reformante ab omni vitio linguæ immunis fiam.

118. Complet.
Qui Patris obedientiam consummavit,
Mansuetus omnia toleravit,
Pro nobis se hostiam immolavit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam in omni actione, cogitatione, locutione et voluntate mea tu sis mihi scopus et

Digitized by Google

intentio, ut propter te omnia incipiam, in te omnia dirigam, per te omnia perficiam.

119. Moritur.
Qui cum lacrymis oravit,
Clamore valido se commendavit,
Inclinato capite exspiravit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam nunc mihiipsi et mundo me efficias mortuum per tuam gratiam ut hic tibi soli vivam, et de hoc mundo transiens immediate recipiar ad gloriam.

120. Gemuerunt.
Cujus mors ignorantes illuminavit,
Pœnitentes emendavit,
Amantes confortavit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam peccata mea semper lugeam, et charitatem, bonitatem ac providentiam tuam indesinenter benedicam.

121. Terra tremit.
Post cujus mortem fiunt miracula,
Lugent insensibilia,
Tremit mundi machina.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam cor meum durum et lapideum a me auferas, et cor mundum, videlicet cor secundum Cor tuum mihi tribuas.

122. Milesque.
Cujus latus lancea transfigitur,
Cum sanguine aqua educitur,
Cordis ejus amor tunc panditur.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam cor meum ab omni macula purifices, in te trahas, in te absorbeas, tibi unias atque possideas.

123. Resolvunt.
Qui de Cruce deponitur,
In sinum tibi redditur,
Tuis lacrymis ejus cruor abluitur.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam perfectissimam mihi infundas patientiam, longanimitatem et perseverantiam, ut ad finem usque hilariter sufferam omnem pressuram, omnem tentationem et molestiam.

124. Sindone.
Qui conditur aromate,
Involvitur munda sindone,
Portatur reverentissime.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam cor meum perpetuum tibi facias habitaculum, humilitate, puritate ac charitate perfecta semper tibi gratissimum.

125. Planctus.
Quem plangunt discipuli,
Adveniunt flentes Apostoli,
Lugent amici singuli.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam tuam mortem inconsolabiliter lugeam et de illius fructu perenniter gaudeam.

126. In tumulum.
Qui sepulchro imponitur,
Signo et lapide clauditur,
Oculis tuis subtrahitur.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam totus in te sepeliar, et omnium creaturarum obliviscar. O utinam in te obdormiam et in pace requiescam.

127. Redeunt.
A cujus sepulchro discessisti,
Tristis in urbem rediisti,
Exspectans resurrecturum credidisti.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam facias me in nulla tentatione aut tristitia deficere, nullam consolationem alienam quærere, a te nunquam recedere, sed tuam gratiam semper præstolari et recipere.

128. Ad limbum.
Qui mortem potenter vicit,
Ad inferna descendit,
Diaboli potestatem contrivit.

Eia, benignissime Jesu, etc. O utinam in omni adversitate mors tua sit nobis protectio et refugium. O utinam mors tua nunc refrigeret animas omnium fidelium defunctorum.

129. Gaudia.
Qui de propria gaudebat victoria,
Limbum replevit lætitia,
Patres beatificat sua præsentia.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam sanguinis tui nunc virtus in purgatorium descendat, et omnium fidelium pœnam aut exstinguat aut minuat.

130. Secum.
Qui limbum Patrum destruxit,
Captivos secum eduxit,
In paradisum secum introduxit.

Eia, benignissime Jesu, etc. O utinam propter charitatem tuam nimiam des omnibus fidelibus tuis defunctis requiem sempiternam. Dulcis Jesu, parce illis omnibus, et maxime iis miserere pro quibus tenemur orare.

Digitized by Google

131. Surrexit.
Qui victoriose resurrexit,
Clauso sepulchro prodiit,
Immortalis et gloriosus claruit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam tua gratia omnia in me vitia mortificet, omnes vires animæ meæ sursum in te trahat, atque inseparabiliter inavertibiliterque tibi inhærere faciat.

132. Matri.
Qui primo omnium te visitavit,
Omnem mœrorem abstulit,
Gaudio te replevit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam castissimum et devotissimum amorem ad Matrem tuam cordi meo infundas, illi me committas, ac ejus amore et gubernatione dignum facias.

133. Apparet.
Qui amantissimæ Magdalenæ apparuit,
Discipulis se exhibuit,
Scripturas et multa docuit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam ad omnem proximum mihi infundas perfectam charitatem, veram compassionem, misericordiam et pietatem, ut omnibus humiliter serviam et fideliter subveniam.

134. Vescent.
Qui discipulos sæpe visitavit,
Cum illis manducavit,
Incredulitatem eorum exprobravit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam facias me, sicut debeo, perfecte tuum sequi beneplacitum, in docendo, corripiendo ac emendando sincerum, et pro gloria tua zelosum.

135. It in altum.
Qui in cœlum ascendit,
In gloriam Patris introiit,
Viam nobis introeundi aperuit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam in hora mortis meæ tuam protectionem et consolationem inveniam, ut nullam tunc adversitatem aut tentationem timeam sed per te omnia securus evadam, et felicem exitum obtineam.

136. Mittens.
Qui Spiritum Sanctum misit,
Dona et gratias distribuit,
Discipulos ad prædicandum misit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam gratiam ejus in me confirmes et multiplices, et dona ejus ad gloriam et secundum beneplacitum tuum mihi infundas.

137. Convertunt.
Qui ad fidem gentes vocavit,
Mundum miraculis illustravit,
Baptismoque mundavit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam zelum animarum ferventissimum atque discretum mihi infundas, ut pro omnium peccatis perfecte doleam, et omnium salutem ardentissime sitiam et quæram.

138. Martyr.
Cui Martyres crediderunt,
Ejus amore vitam temporalem perdiderunt,
Ejus gratiam æternam receperunt.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam des mihi sanctorum Martyrum tuorum imitari constantiam, fidem, spem, charitatem et perseverantiam.

139. Virgoque.
Cui Virgines sese desponsant,
Religiosi mundo renuntiant,
Devoti carnem macerant.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam des mihi imitari Sanctorum castitatem, humilitatem et voluntariam spiritus paupertatem.

140. Superstes.
Qui te reliquit superstitem,
Evangelistarum instructionem,
Ecclesiæ consolationem.

Eia, benignissime Jesu, etc. O utinam Matrem tuam sic veneremur in terris, ut cum illa perpetuo gaudere mereamur in cœlis. Utinam sic ipsam diligam in vita, ut consolatricem eam habere merear in mortis hora.

141. Migravitque.
Qui ad cœlestia te invitavit,
Apostolos ad te convocavit,
Quietam dormitionem donavit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam des mihi plenam omnium vitiorum mortificationem, ut in te solo vivam et in te solo quiescam.

142. Assumpta.
Qui cum cœlesti exercitu tibi occurrit.
In corpore et anima te assumpsit,
Cum jubilo in cœlum deduxit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam anima mea non exeat de corpore meo, nisi plene per misericordiam tuam a vitiis et peccatis purgata, plene tibi reconciliata et emendata, non ad pœnam sed ad requiem deducenda.

Digitized by Google

143. Suprema-que. Quæ te super Angelos exaltavit,
In potioribus bonis collocavit,
Gloriosissime coronavit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam largiaris mihi profundissimam tibique gratissimam humilitatem, perfectissimam mititatem et benignitatem.

144. Proxima. Qui te sociavit suæ majestati,
Proximam fecit sanctæ Trinitati,
Misericordissimam nostræ infirmitati

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam vitæ tuæ conformem me facias, et igne tui amoris me totum comburas, totum me in te absorbeas, totum tibi unias.

145. Fulget. Qui tuo splendore cœlos lætificat,
Mundum per te illuminat,
Dæmones profligat.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam cor meum perfecte illumines ad cognitionem et detestationem propriæ vilitatis ac nihileitatis,et iterum ad agnitionem, reverentiam et amorem tuæ divinæ majestatis, bonitatis ac charitatis.

146. Imperat. Qui cœlorum Imperatricem te constituit,
Tibi omnem creaturam subdidit,
Te cœlum et terra veneratur ac diligit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam tibi, et ob tui amorem Matri tuæ perfectissime atque fidelissime serviam, et utrique secundum Cor tuum placeam.

147. Exorat. Qui venerantes te protegit.
Tibi devotos diligit,
Servientibus tibi retribuit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam hæc ipsa dulcissima Mater tua mihi impetret ; utinam tu mihi ejus amore hoc largiaris, ut ego totus sim Matris tuæ, in quo illi complaceat, et ipsa tota mea, quæ mihi placeat, dulcissima, electissima et desideratissima.

148. Concors. Qui te orantes exaudit,
Peccatores tibi commisit,
Sua dona per te distribuit.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam voluntatem meam ita in tuam absorbeas ac tibi unias, ut aliud velle non possim nisi quod tibi beneplaceat, nihilque præter te me afficiat.

149. Crescunt. Qui tua in cœlo gaudia multiplicat,
Honorem tuum in terris dilatat,
Beneficia tua mirificat.

Eia, benignissime Jesu, etc. Atque utinam in servitio tuo, dulcis Jesu, nunquam tepescam, nunquam deficiam, sed spiritu semper accrescam.

150. Venietque. Qui Judex est venturus,
Malis supplicia redditurus,
Bonis præmia largiturus.

Eia, benignissime Jesu. Utinam sic vivam, sic moriar, ut in tua gratia inseparabiliter tibi inhærere, et in gloria tua perpetuo tecum gaudere merear. Amen.

Pio exercitatori.

Non ignorandum est articulos et puncta, in eis meditanda, ita esse hic ordinata, ut sequantur angelicam Salutationem ; verbi gratia, ut ubi in Salutatione angelica finitur *Jesus Christus,* congrue in tertia persona applicetur, *Qui etc.* Porro si cuipiam libeat magis, aut Salutationibus angelicis non uti, aut cum piissimo Jesu,quasi in secunda persona,spiritu colloqui: facile potest mutare, quæ sunt mutanda ; ut ubi hic dicitur, *Qui me et omnia creavit,*legatur aut mente ruminetur, *Qui me et omnia creasti;* aspiratio seu oratio, quæ articulum ubique sequitur, semper ad Christum dirigitur.

Institutio bona ad exhibendam reverentiam Deo, et devotionem excitandam.

Familiare est hominibus, præcipue servis, dum principibus aut præstantibus viris loquuntur,curvare genua aut caput detegere,si habeant cui loquuntur, dominum suum nominare, idque honoris gratia. Multo plus congruum est, ut inter divinas laudes dum auditur pronuntiari hoc verbum,*Dominus,* vel *Deus,* vel *Jesus,* vel *Gloria Patri*, reverentiam facias Deo, puta, externo motu aut signo corporis, quantum potest fieri, secretiori, ne aliorum quispiam, quos hæc devotio non oblectat, hac singularitate turbetur, idque eo animo eaque intentione, quod Deo tuo cupias cultum, laudem, reverentiam atque obedientiam in te exhibere, teque illi in honorem ipsius offere ad omne ejus beneplacitum in te et per te perficiendum : imo etiam desiderare tantum illi honoris impendere, quantum,si possibile foret, omnes creaturæ simul exhibent ei in æternum. Quod si etiam non semper animo hoc ita posses cogitare, utpote fortasse distra-

Digitized by Google

ctus, propositum tamen illud generale (quo instituisti hoc signum reverentiæ eo animo Deo exhibere, ut simul te illi offeras, confitendo illum Dominum, te vero servum) loquetur pro te interim Deo et maximum fructum impetrabit.

Pari modo Deo offerre posses singulas respirationes, hoc est, anhelitus, emissiones aut retractus, ac istos quidem mittere ad Deum, optando ut singulæ emissiones aeris sive anhelitus ex te sint perpetua laus et gratiarum actio Deo. Hi vero attractus sint in te suspiria amoris, desideriaque divinæ præsentiæ, cui optes conjungi atque uniri. Ejusmodi pias consuetudines et exercitia multa posses in gloriam Dei frequentare.

Exhortatio ad pueros adolescentesque.

Adhortandi omnes sunt pueri atque adolescentes, quomodo sanctum Ludovicum, dum puer adhuc esset, futurus postea rex Franciæ, pia ejus mater adhortata est ; ut propositum in animo sibi firmum constitueret, nunquam Deum mortali aliquo peccato scienter offendendi : addens hoc ipsum quoque pia mater, se malle videre illum mortuum minorique illum a se propterea lugendum tristitia, quam audire, quod in mortale quodvis peccatum vel unquam in omni vita sua incidisset.

Hoc equidem per vulnera Christi vos obsecro, et per ejusdem sanguinem qui vos redemit, o filii, ut et vos idipsum faciatis ; hoc est : constanter,absque voto tamen, proponendo, et pro perseverantia Deo quotidie supplicando, ne pro toto mundo obtinendo, aut pro corporis morte vitanda, scienter consentiatis mortale admittere peccatum. Juvabit enim vos hæc firma voluntas et invocatio divini auxilii Matrisque Dei, quam præ omnibus amare venerarique debetis, patronorum vestrorum intercessio, contra omnes diaboli et carnis tentationes. Custodite præterea, o filii, thesaurum immaculatæ virginitatis : nescitis enim pretium et nobilitatem ejus, quæ vos Angelis pares facit atque cœlestes ; imo major erit vestra, quam Angelorum ex hac parte est corona ; illi enim sine carne vivunt, vos in carne triumphatis. Diligite igitur angelicam conversationem, Angelis enim revera cognata est virginitas, et ab omni contaminatione carnis vos mundos impollutosque custodite.

Quamobrem solliciti præcavete, ne mulierum adolescentularumve amore insano (hic enim amor moribundæ est virginitatis initium) irretiamini, neque experiendi seducamini curiositate quod ubi etiam feceritis, non vos jam putetis securos,nisi et ab obsceno vehementius vos contineatis aspectu et tactu, adeo ut ne ullo quidem modo ab aliis videri impudice vos permittatis aut tangi. Ibi enim periclitatur gravius amittiturque facilius virginitas. Decet enim virginem quomodo multi egisse leguntur in utroque sexu sanctissimi tam castos, tamque pudicos habere quum oculos tum alios omnes sensus, ut, nisi in maxima necessitate, erubescant timeantque suæ propriæ carnis nuditatem videre.

Pro hac re et pro aliis quibuscumque vobis vel animæ vel corporis saluti necessariis,Deum invocate. Post hunc vero ejus piissimam speciosissimam excellentissimamque Matrem Virginem Mariam vobis in patronam, in Matrem atque in sponsam eligite. Hanc quotidie aliquoties salutetis, atque ejus pro vobis flagitetis interventionem. Est enim misericordissima, non spernens preces vestras et gemitus, sed impetrabit vobis et delictorum veniam, et innocentiæ continentiæque gratiam. Reliquum est quod vos hortor, quotidie per illam et per vosmetipsos Deum rogetis,ut vos ab omni peccato custodiat, vos regat, vos possideat dirigatque in statum sibi ad gloriam suam acceptissimum vestræque animæ saluberrimum.

Ad Dominum Jesum pro eadem re, precatio.

MISERICORDISSIME Domine, Jesu Christe, me totum meaque omnia tibi commendo et offero, obsecrans te per Passionem ac mortem tuam, qua me redemisti, ut mea mihi peccata dimittas, me ab omni peccato custodias, serves in castitate atque in omni virtute, perducasque in statum tibi acceptissimum et mihi saluberrimum, quo serviam tibi semper atque fideliter juxta beneplacitum tuum, ad gloriam tuam sempiternam. Amen.

Ad beatam Virginem Mariam, precatio.

O PULCHERRIMA misericordissimaque Dei Mater et Virgo Maria, post Deum spes mea unica, oro te per misericordissimum Cor tuum, ut me in filium tuum suscipias, mei curam habeas, ab omni peccato me protegas ac liberes ; virginitatis quoque ac castitatis omniumque virtutum observantiam, in quibus tu Filio tuo Domino nostro Jesu Christo summe placuisti, mihi impetres ; custodias dirigasque me ad statum Filio tuo ac tibi gratissimum et mihi saluberrimum. Amen.

Digitized by Google

MEDITATIONES

IN PASSIONEM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO

CHRISTUS *Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus : In umbra tua vivemus in gentibus.* Threnorum IV, 20.

Inter exercitia, quæ spiritui adminiculantur, ei præsertim qui vitam inchoat spiritualem, ad amorem Dei assequendum, nihil creditur esse utilius ac fecundius, quam Domini nostri Jesu Christi vitam ac Passionem assidua meditatione frequentare. Huc namque conferri possunt alia quævis exercitationum spiritualium seu meditationum studia. Nam, verbi gratia, si peccata, vitia, ingratitudinem atque vilitatem tuam lugere desideras, si negligentias atque defectus cupis expiare emundareque, non invenies unde vehementius ad hoc ipsum exstimuleris, quam innocentissimam Redemptoris tui vitam atque Passionem meditando, videlicet, quam pro te inculpatissimam sanctissimamque vitam transegerit, quam amara pro te passus sit, qui tua peccata castigare damnareque debuerat, ut tibi parceret. Videbis simul ejus justitiam et misericordiam : in te quidem misericordiam, ut delicta donaret ; in ipsa vero peccata justitiam ac severitatem, quæ ne inulta sineret, in seipso castigavit. Plangenda igitur hic comperies delicta tua, propter quæ vulneratus et mortuus est Dei Filius, ut te sanaret ; plangenda ingratitudo tua, qui fidelissimo amatori tuo pro tot bonis, pro tantaque dilectione, tot mala tantumque contemptum rependis.

Hæc consideratio spem simul incutit atque timorem, unde duabus tentationibus juxta mederi queas : si enim delictorum enormitas ad desperationem te impellere nititur, habes unde peccata tua deleas, habes unde satisfacias, habes unde te redimas, nec pro peccatis tuis formides ; sin vero tepor et acedia te gravat, si levitas cordis absque timore te prostituit, habes unde etiam salubriter terrearis, considerando quod aliquot annorum millibus vel sanctissimis Dei amicis clausum fuerit cœlum, negata aut potius dilata gloria, donec aliena peccata, puta primorum parentum, solveret qui peccatum non fecit.

Porro, si ad tui cognitionem atque humiliationem te cupis exercere, maximam hic occasionem invenis pensando deformitatem et dissimilitudinem tuorum studiorum atque totius vitæ tuæ erga vitam et innocentiam

Digitized by Google

Christi; hoc est: quam contrarius es ejus voluntati, quam dissimilis virtutibus ejus, quam infirmus instabilisque ad imitandum, quam nihil denique, quod experiris quotidie, vales ad quodcumque bonum.

Sed fortasse ad amorem concipiendum erga Deum cupis inflammari. Et ad hoc unde adminiculum quæras potius quam ex meditatione Passionis tui Redemptoris? Si enim naturæ nihil adeo est consentaneum quam amantem redamare, et Dei amor erga nos nusquam manifestior nobis factus est quam in redemptione nostri, hoc est, in Redemptoris nostri Passione, perspicuum est ex dominicæ Passionis consideratione ad Dei amorem potissime nos accendi. Proinde si cor tuum ad amandum Deum desideras exstimulari, meditare ejus beneficia, quæ sunt indicia amoris erga te, et quæ evidentissime enitent in Christi Passione.

Quod si per viam abnegationis Christiformem agere vitam cupis, haudquaquam melius exemplar ac speculum pie vivendi poteris invenire, quam in libro vitæ, hoc est, in vita ac Passione Christi: ubi quidquid verbo docuerit Christus, opere expressit. Postremo, si optas ut vita tua jugis perpetuaque sit oratio, mentemque ad Deum semper habeas elevatam, et ad hoc exercitium præsto sit, ubi devotionem atque fervorem tuum renoves; nusquam id assequi potes facilius quam Domini Passionem meditando. Hic enim ex singulis verbis, actibus, moribus atque pœnis Christi habes unde compungaris mente, unde spiritu conforteris, in quorum contemplatione Christo nunc compatiaris, nunc gratias agendo dulciter afficiaris, nunc eidem conformari, nunc totus in illum desideres accendi et transformari. Itaque nullum est exercitii spiritualis genus, quod in Passione Domini aut non inveniri, aut non uberrimo fructu possit applicari.

Sunt præterea aliæ utilitates fructusque meditationis hujus, quos prætereo: quandoquidem incipientibus duntaxat, et iis qui propriis nondum sunt meditationibus assueti, modum aliquem præscribere statui, quo aut voce aut, quod suavius afficit, mente tantum legant, ruminentque spiritu ex eis quæ hic scribimus, quibus afficiantur ad Christo Jesu compatiendum, et ex ejusdem passionibus vitaque salubriter exsugant ea, quæ ipsorum vitam moresque in melius instituant. Ubi ne prolixitas fastidium generet, Passionem Christi totam in viginti duas meditationes velut capita, ac juxta litterarum alphabeti seriem partitus sum; deinde glorificationes ejusdem Jesu Christi quindecim illis subnexui. Quibus omnibus precationes quoque singulæ adjunctæ sunt, aspirationesque ad Deum, ut quantum quisque est devotus, vel quantum ab aliis occupationibus feriatus, queat cessare, atque ad orationem rediens, valeat ibi exercitium suum continuare.

Digitized by Google

MEDITATIONES

SEU ALPHABETUM AUREUM ANIMÆ CUJUSQUE FIDELIS AD JESUM CHRISTUM SPONSUM PATIENTEM

CAPITULUM PRIMUM.

Actio gratiarum pro Filii Dei Incarnatione pœnalitatumque generis humani assumptione.

AMANTISSIME humani generis amator, Domine Jesu Christe, æterna dulcedo te amantium, jubilus excedens omne gaudium et omne desiderium, salus et amator peccatorum hominum pœnitentium, qui delicias tuas testatus es esse cum filiis hominum, apud quos tamen cum scias esse nihil nisi sordes, nisi abominationes, nisi iniquitates et corruptiones; gratias tibi ago, utinam dignas possem, ex intimis affectuum atque medullis totius universitatis cœlestium et terrestrium, præsertim per piissimam animam virgineæ Matris tuæ Mariæ, pro illa stupenda dignatione et ardentissimo amore, quo pro nobis perditis, aversis et repulsis iræ filiis reconciliandis homo factus es, miserabili nostræ tum damnationi tum desolationi compatiens, nullis meritis nostris, sed ineffabili misericordia tua permotus, de regalibus sedibus, de mellifluo corde Patris, in hanc miseriarum vallem descendisti, nostræ fragilitatis carnem assumendo, idque Spiritu Sancto in castissimo utero intactæ Virginis, ex purissimo ejus sanguine, cooperante. In cujus etiam pudicissimis visceribus jam Deus et homo novem es mensibus gestatus, ac tandem salva integritate atque sine ullo dolore Matris, in hunc mundum pauper passibilisque es natus, pannis involutus, super fœnum inter animalia in præsepio positus, maternis uberibus lactatus, Legi subditus, ut peccator circumcisus, ut servus redemptus, proprio sanguine tinctus, a pastoribus agnitus, a Magis stella ductis adoratus, in templum oblatus, ab Herode persequente in exilium fugatus. Et cum triginta ferme annos sub Matris obedientia latens, mundo fuisses incognitus, in Jordane es baptizatus, atque post longa jejunia a dæmone in deserto tentatus.

Prov. VIII, 31.

Ephes. II, 8.

Luc. II, 7.

Galat. IV, 4.

Luc. II, 8.

Matth. II, 1.

Luc. II, 21.

Matth. II, 13.

Joann. I, 32.

Marc. I, 13.

Jesu dulcissime, hoc modo nostram es redemptionem exorsus, ita salutem nostram es operatus, his pœnis atque ærumnis tuam infantiam consecrasti, his calamitatibus vitam exposuisti, atque usque ad consumptionem tui in laboribus et adversitatibus, in vigiliis et lacrymis, in orationibus et prædicationibus, in fame et siti, in frigore et æstu, in itineribus et persecutionibus, in insidiis et injuriis, in opprobriis et derisionibus multis perpessis, temetipsum pro nobis afflixisti. Hæ fuerunt, amantissime Jesu, divitiæ illæ; hæ merces, quibus viles illas sarcinulas, nos videlicet, comparasti, tanti nos faciens, ut amore nostri ceu ebrius teipsum non modo in pœnas et opprobria, sed in mortem etiam ultro offerres.

Igitur pro his singulis et universis, quæ ab ipsa susceptæ humanitatis hora, usque ad Passionem tuam fecisti et sustinuisti, omnifariis humanæ possibilitatis te exponens miseriis, innumeris afflictionibus et incommodis, adoro te, Salvator noster

Digitized by Google

amabilissime, benedico te et gratias ago tibi ; et pro perfectissimæ vitæ tuæ sanctitate, quam nobis ceu clarissimum omnis perfectionis speculum, atque, ut pius pater et magister, exemplum imitandum prætendisti ; nihil omnium omisisti, benignissime Pater, quo posses ostendere, quanta nos dilectionis exuberantia attrahere gestires.

Pro morum, virtutum vitæque Christi Jesu imitatione, precatio.

Per hæc singula universaque ardentissimi erga nos amoris tui mirabilia, obsecro te, suavissime amator, ut vilissimum me peccatorem in gratiam tuam recipias, peccata mea, et quidquid tibi in me displicet, a me misericorditer tollas, faciasque me dulcissimos vitæ tuæ mores pia semper et devota consideratione inspicere, et omnes gestus actusque meos secundum normam vitæ tuæ semper formare atque dirigere.

Fac me quoque vere humilem et mitem corde, semper in oculis meis vilem, et ad quæcumque adversa paratum, ut ea alacriter de manu tua paterna suscipiam : atque fidelem servum me tibi efficias, regas, et solus secundum tuum beneplacitum perpetuo possideas. Amen.

CAPITULUM SECUNDUM.

Actio gratiarum pro Filii Dei venditione et pedum discipulorum ablutione sacramentique Eucharistiæ institutione.

Benignissime Jesu, laudo et adoro te et gratias ago tibi, qui inter varia laudis et honoris præconia, quibus te in asello sedentem ac Jerosolymam advenientem
Matth. xxi, 18. plebs, tibi cum ramis arborum et olivarum frondibus occurrens, excepit : urbis, imo
Luc. xix, 41. magis animarum in ea excidium flevisti ; quique urbem ingressus, illico ad templum, ubi animas jugi prædicatione et ardenti
Matth. xxi, 12. zelo Patri adducebas, te contulisti ; indeque ementes atque vendentes ejecisti. Porro per totam diem prædicantem, vespere cum nemo esset, qui te invitaret, ut alienigena hospitioque indignus, post tantos labores in Bethaniam jejunus rediisti. A perverso *Matth.* xxvi, 14, 15. et infideli tunc discipulo tuo Juda, vili pretio, triginta scilicet argenteis, quoque venditus fuisti, propter opus bonum, quod in *Joann.* xii, 3. te amantissimo magistro suo ferventissima amatrix et discipula tua Maria Magdalena operabatur, quæ unguentum pretiosum super benedictum tuum caput effuderat.

Gratias etiam tibi ago, Domine Jesu, pro admirabili illa tua humilitate, qua tu omnipotens et tremendæ majestatis Dominus, agnum paschalem, agnus ipse paschalis jam jamque pro nobis immolandus, cum *Luc.* xxii, 14. pauperculis discipulis comedisti : ad quo- *Joann.* xiii, 25. rum etiam pedes lavandos, et linteo quo eras præcinctus extergendos, et superbenedicto ore tuo affectuosissime perosculandos, humillime te inclinasti et procubuisti ; et etiam Judæ proditoris tui, cujus omnem tamen iniquissimi cordis clare perspexisti malitiam.

Deinde gratias etiam ago tibi, amantissime Jesu, pro stupenda et admirabili magnitudine dilectionis tuæ erga nos, qua sacrosanctum benedicti Corporis et San- *Matth.* xxvi, 26–28. guinis tui Sacramentum instituisti, et id- *Luc.* xxii, 19, 20. ipsum sub specie panis et vini sumendum discipulis tradidisti : hocque a nobis in tuæ dilectionis omniumque beneficiorum, præsertim redemptionis nostræ, memoriam præcipiens fieri voluisti.

Postremo gratias etiam ago tibi, Domine Jesu, quod discipulos ad dilectionem admonitos, sermoneque dulcissimo consolatos, Patri tam ipsos quam electos omnes ora- *Ibid.* xvii, 9–26. tione ardentissima commendasti.

Pro Christi humilitatis in discipulorum pedum ablutione, charitatisque, in sacramenti Eucharistiæ institutione, imitatione, et digna ad ipsum sumendum præparatione, precatio.

Per hanc igitur charitatem tuam supereminentissimam obsecro te, bone Jesu,

Digitized by Google

ignosce omnibus iniquitatibus meis, et quidquid negligentiæ, quidquid irreverentiæ, quidquid præsumptionis, quidquid delicti circa hoc tremendum Eucharistiæ sacramentum admisi, ea deleas charitate, qua te nobis donasti.

Accende etiam cor meum flagrantissimo hujus Sacramenti amore et desiderio, ut quando et quotiescumque tuæ majestati placuerit, maxime autem circa vitæ meæ extrema, ea humilitate, ea reverentia, ea puritate et charitate, ea devotione et intentione, quibus tu instituisti et sumi voluisti, merear ipsius sumptione contra omnes hostium insidias præmuniri, contra omnes adversitates confortari, in gratia tua confirmari, tuo beneplacito conformari, amore tibi inseparabiliter uniri.

Sed et nunc, pie Jesu, et deinceps omni tempore vitæ meæ, ita me totum in te tui amore absorbeas et transmutes, ut pro nulla unquam delectatione te Patrem et Dominum meum vendam, sed in omnibus rebus creatis te unum semper puro corde quæram et diligam ; et ad tui imitationem ut veraciter corde et etiam opere sine ulla simulatione aut amaritudine, tam in magnis quam in minimis, me semper promptissimum exhibeam omnium servum ; quid, cur et a quo fiat, nihil discernens.

Insuper rogo, efficias et dones, ut exemplo tui promptior, aut certe ex animo tam promptus sim, me aliquo modo contristantibus, ad vere amicitiæ exhibenda signa et obsequia, quam aliis quibusvis.

Postremo, ut laves meos viscosos animi pedes, ab omni terrenæ contagionis inquinamento eosque duplici accendas charitate, vehementer peto. Amen.

CAPITULUM TERTIUM.

Actio gratiarum pro Christi angustia et sanguineo sudore in horto, pro traditionis, captionis et ductionis ad Annam pontificem feritate.

Clementissime Jesu, pastor æterne, qui gregem tuum usque in mortem diligens, ut a morte illum eriperes, ultro in mortem te obtulisti. Siquidem cœna facta, et hymno dicto, ad hortum cum discipulis tuis exivisti : verum inter eundum, quæ passurus eras tormenta, præsentiens : *Tristis est,* inquis, *anima mea usque ad mortem.* Itaque progressus paululum et a discipulis segregatus, præ nimia cordis angustia in faciem procidisti, clamans ad Patrem : *Pater, si possibile est, transfer a me calicem istum ; verumtamen non mea voluntas fiat, sed tua.* *Matth.* xxvi, 30. *Marc.* xiv, 34. *Luc.* xxii, 42.

Heu, bone Jesu, quam ineffabili et incomprehensibili pressura et angustia et anxietate amorosum Cor tuum æstuabat, torquebatur et nimis cohorruit : cum hinc ardore æstuantissimæ charitatis impelleretur, gestiens ad redemptionem animarum se totum impendere ; illinc vero terribilium pœnarum, quas prævidebat imminere, concuteretur immanitate profundissimoque pavore, fieretque in te amoris pariter ac timoris usque ad extrema compugnantium agon, quo piissimum Cor tuum adeo angustiabatur, ut ex toto corpore membrisque singulis sudor emanaret sanguineus, et tantus quidem, qui non vestes modo, verum etiam terram, adeo largiter pro nobis profluens, cui facie incubabas, humectaret.

In hac pressura, pie Jesu, majestas tua se adeo humiliavit, ut Angeli quoque consolationem, qualemcumque tum suo poterat Domino servus afferre, non respueres. Adeo tua se resignavit humanitas, ut a Patris voluntate nunquam declinares, adeo suorum curam tua habuit charitas, ut quasi tui oblitus, ab oratione surgeres ac discipulorum tristitiam tuæ anteferres. Ad eos itaque veniens : *Surgite,* inquis, *appropinquat hora, et qui me tradet, prope est.* Deinde hostibus tuis sævientibus, et fustibus et gladiis te quærentibus, velut prædam innocentissimam te ultro obvium obtulisti, ipsisque furiosis inimicis tuis verbi tui virtute prostratis, surgendi atque tui capiendi copiam tribuisti, proditorem tuum dulci osculo et benigno verbo ad *Luc.* xxii, 43. *Marc.* xiv, 37-42. *Matth.* xxvi, 46. *Joann.* xviii, 4.

Digitized by Google

pœnitentiam et suam salutem invitasti, Malchum truculentum hostem restitutæ sanitatis beneficio dotasti. Adoro igitur, laudo et benedico te, clementissime Jesu, pro hac tua tristitia, pro pavore, pro angustia Cordisque pressura, pro cunctis gemitibus tuis miserabilibus, pro altis suspiriis, pro singulis et lacrymarum et sanguinei sudoris guttis : sed etiam gratias ago tibi pro humilitate, pro mansuetudine, pro charitate et pro cæteris omnibus virtutibus, quas nobis imitandas in exemplum præstitisti et præmonstrasti, inter truculentos hostium aspectus, inter ipsorum convitia et improperia, inter dura verba et durissima tormenta ; quando insultu et horrendo clamore invadebaris, capiebaris, prosternebaris, ligabaris, feriebaris, calcabaris, jugulabaris, trahebaris et trudebaris. Et sic variis atque innumeris quum blasphemiarum tum pœnarum generibus agnus mitissimus a lupis dilaniabaris, atque usque ad Annæ pontificis domum propellebaris ; ubi ad interrogata tam prudenter quam humiliter respondens, a vilissimo es servo et objurgatus, et alapa violenta in faciem cæsus.

Matth. xxvi, 49.

Joann. xviii, 13.

Hinc dolori tuo accessit, clementissime Jesu, discipulorum scandalum, paternum Cor tuum dolorosissime vulnerans, qui miserabiliter a te diffugerunt, inter ferocissimos hostes te solo derelicto; quorum unus desperavit, alius ter te negans etiam abjuravit.

Matth. xxvi, 56.

Marc. xiv, 66-72.

Adversus dissolutam animi lætitiam omnemque inordinatam tristitiam, pro vera abnegatione suique plena resignatione, precatio.

Per immensam et flagrantissimam illam tuam charitatem, qua cuncta hæc non solum libenter, sed et ardenter subiisti, obsecro te, dulcissime Domine Jesu, primo, ut omnem internam et externam levitatem et ineptias atque dissolutam animi lætitiam pariter et omnem quoque inordinatam noxiamque tristitiam a corde meo semper abesse, sanctam vero cordis compunctionem semper adesse facias; ut pœnitentiæ et amoris lacrymæ nunquam a meo animo recedant, sed cor meum totum liquefaciant: unde omnes vires tam animæ quam corporis in te solum effluant.

Dulcis Jesu, absorbeat me totum, quæso, jugis memoria Passionis tuæ ; absorbeat me totum ignea vis dilectionis tuæ, ut te solum cogitem, te solum concupiscam et sitiam, ad te solum suspirem atque anhelem, in te solo requiescam, et tibi tota voluntatis resignatione uniri desiderem.

Spiritu quoque veritatis me semper illumina ad efficaciter illa petenda coram te, quæ gratissimi tui sunt beneplaciti et animæ meæ salutis. Et ut deinceps in dies magis in vera meiipsius abnegatione meipsum in omnibus prorsus exire, et omni privato amori emori discam et studeam, ut nullis unquam hostium meorum illecebris ad ea quæ contra te sunt, perducar : sed gratia tua omnes animæ et corporis vires fortiter alligare et captivare valeam in tui imitationem et æternum honorem ; ut sic unus in veritate tecum efficiar spiritus, sitque mihi tecum idem nolle et idem velle.

Respice igitur, obsecro nunc, clementissime Domine Jesu, miseram hanc et miserabilem meam captivitatem, qua ligatus nimis teneor. En, inter quot pericula versor, inter quot delicta constringor ; quot vitiis et concupiscentiis serviens miser fatigor ; quanta peccandi consuetudine quasi captivus teneor; quanta corruptione interioris hominis ut vinctus trahor. Respice, qui solvis compeditos, et miserere, atque verbi tui virtute omnes hostium meorum vires prosterne; libera me ab omni captivitate peccati et vinculis; mandatorum tuorum indissolubili nexu amoris me tibi constringe, ut nihil mihi in hoc mundo libeat, quam beneplacito tuo semper obtemperare, et tibi inseparabiliter inhærere. Amen.

Digitized by Google

CAPITULUM QUARTUM.

Actio gratiarum pro Jesu furiosa ad Caipham ductione, vexationibus omnifariis, damnatione, ad Pilatum tractione, accusationibus, ductione ad Herodem, illusione, et ad Pilatum remissione.

Dulcissime Jesu, recole in quantam ignominiam, abjectionem et despectum te induxit et gravissima mea iniquitas et tua immensa charitas. Siquidem inde actum est, ut pro me tu cum tumultu furentium *Matth.* xxvi, 55. et armorum strepitu opprobriose, inter injuriosa verba ac durissima verbera et *Joann.* xviii, 24. tormenta ad Caipham ductus, a falsis te- *Marc.* xiv, 56–65. stibus inique fueris accusatus, tumide interrogatus, irreverenter adjuratus, pro sancta quoque responsione blasphemiæ indecenter accusatus, ac tandem quasi mortis propterea reus injuste damnatus : deinde alapis, pugnis et colaphis cæsus, unguibus vellicatus, barba ac crinibus tractus, fœda abominabilique hostium immunditia consputus.

In quibus omnibus, dulcissime Jesu, non solum cum voluntario et libenti, sed et cum ardentissimo salutis omnium nostrum desiderio, et mansuetissima humilitate de- *Is.* l, 6. disti genas tuas vellentibus, faciem tuam increpantibus ac conspuentibus, et totum corpus tuum percutientibus, donec neque speciem neque decorem habens, ut leprosus, ut percussus a Deo, ut denique no- *Ibid.* liii, 3. vissimus virorum omnium esses reputatus, atque cunctis jam in derisionem et opprobrium factus, tota nocte cædereris, velareris, subsannareris, illudereris.

Et mane facto, post iniquum eorum consilium, duris vinculis strictus, facie con- *Matth.* xxvii, 1, sputus et totus deformatus, ductus es ad Pilatum : ubi a principibus et populi senioribus inter cætera ipsorum efficta men- *Luc.* xxiii, 2. dacia, seditionis etiam atque criminis læsæ majestatis inique es accusatus. Porro cum *Ibid.*, 7. Galilæus diceretis, a Pilato ad Herodem, sub cujus te esse potestate arbitrabantur, es remissus. Quo pergens inter opprobria et calumnias atque clamores per civitatis medium ducebaris. Ubi cum Herodi te videre atque audire gestienti neque responderes, neque ullum miraculum ostenderes, ab ipso omnique exercitu ejus spretus es, calumniatus es, in alba veste illusus *Luc.* xxiii, es, e regia aula ejectus es, et Pilato non 11. aliter atque fatuus remissus es.

Heu, bone Jesu, quam ignominiosissime tum ducebaris, quam violenter impellebaris, quam probrose subsannabaris. Ubique spectaculum et opprobrium, abjectio, fabula et ludibrium factus eras toto populo, atque etiam pueris et cæteris vilibus personis accurrentibus, et tanquam insanum te irridentibus.

Pro mansuetudine, humilitate, patientia et sui cognitione, precatio.

Pro quibus singulis et universis ex intimis affectibus meis, necnon et omnium cœlestium et terrestrium, et specialiter per amorosum Cor virgineæ Matris tuæ laudo, benedico, adoro te et gratias ago tibi, obsecrans te per teipsum, dulcissime amor meus, bone Jesu, ut per omnia ineffabilia illa cruciamenta et ludibria atque injurias, quibus per totam noctem mitissimus et innocentissimus agnus fatigatus es, semper et ubique mihi des tuam strenue imitari mansuetudinem, humilitatem et patientiam, idque in veritate : utque cordis mei velamen tollas, et ignorantiæ tenebras pellas, atque illud illumines veraci cognitione meiipsius, propriæque iniquitatis, vilitatis et nihileitatis meæ ; ut sic ipsam rei veritatem cernens, cum perfecto odio et sancta displicentia meiipsius, toto corde me despiciam, omni homini me subjiciam, cunctos mihi præferam et præferri cupiam, de mei contemptu ex corde gaudeam, contemptores me sincere et ex animo diligam. Amem ipse nesciri, totus vilis et nequaquam humilis æstimari, despectusque haberi ; amem te, dulcis Jesu, toto corde, desiderem te ab omnibus cognosci, diligi et honorari.

Digitized by Google

Et ut in me magis hæc fiant, dulcem tui cognitionis faciem, omnis perfectionis speculum, mihi revela, ac semper oculis meis prætende, ut in eo meas innumeras deprehendam maculas, tuumque erga nos tam immensum et eximium amorem atque superabundantem et infinitam bonitatem; sicque in dies in me crescant et profundissima humilitas simul et perfectissima charitas.

Da etiam mihi, dulcissime Jesu, spiritum veri consilii semper obedientissime sequi, ut nunquam pravis hostium meorum consentiam nec capiar instinctibus, atque ut nunquam ex ore meo quidpiam exeat, quo nomen tuum sanctum inhonoretur. Da insuper, ut nunquam agam, quo facies et imago divinitatis tuæ animæ meæ impressa, defœdari possit, quo evadere queam horribilem illam sententiam : Reus est mortis æternæ. Amen.

CAPITULUM QUINTUM.

Actio gratiarum pro Jesu, post sui comparationem cum pessimo latrone, ignominiosa nudatione, crudelissima ligatione, immanissima et dolorosissima flagellatione, dilaceratione, sanguinisque effusione et conculcatione.

Æternæ gloriæ splendor, Jesu elegantissime, et præ filiis hominum speciose, animæ meæ electissime sponse, quantum teipsum abjecisti propter nos, quando flagitioso latroni nedum comparari a præside, sed etiam ab electa plebe tua postponi, nequior et vita indignior æstimari dignatus es. O piissime Jesu, quam benignus etiam nobis, et quam rigidus atque durus es tibi propter nos, quippe qui a populo illo Judæorum ingratissimo reprobatus, et ad mortem crucis postulatus : permisisti te tradi a judice militibus flagellandum, ad sedandum, ut ipse sperabat, furiosi populi sævitiam. Raptus es illico a rabidis et crudelissimis lictoribus, et non sine gravi ignominia vestibus omnibus nudatus, ab eis vinculis duris ad columnam atrociter es ligatus, et virgis, flagellis, scorpionibus immaniter verberatus.

Psalm. XLIV, 3.

Matth. XXVII, 17, 21.

Luc. XXIII, 18.

Matth. XXVII, 23, 26.

Heu, patientissime Jesu, quomodo nobilissima caro tua, de innocentissima Virgine nata et enutrita, immitissime laceratur; quomodo cutis tua tenera crudeliter discerpitur, decor corporis tui profanatur, sanguis tuus sacrosanctus funditur, impiorumque pedibus conculcatur! Heu, bone Jesu, quam dolorosa fuit hæc tui flagellatio, cum totius iniquitatis ministri plagam super plagam, livorem super livorem, et dolorem super dolorem addiderunt et inflixerunt : satiari acerbitate dolorum tuorum non potuerunt, donec tibi, agno mitissimo, incogitabiles dolores cum innumeris blasphemiis, usque ad sui fatigationem, exaggeraverunt; quo factum est, innocentissime Jesu, ut non aliter quam pessimus malefactor tractareris.

Psalm. LXVIII, 27.

Pro sui contemptione, Dei forti amore, et in cunctis adversis patientia valida, et pro felici morte, precatio.

Per nimiam hanc tui vilificationem et opprobriosum despectum, quo affectus es, cum tu, Rex cœli et terræ, Dominus Angelorum, et Dei Filius, vivificator omnium, maledicto homicidæ, quasi te meliori, a dilecto populo tuo postponebaris, te oro et obsecro, pater amantissime, des mihi, ut te unicum Dominum et Deum meum unice eligam et diligam, et præferam omnibus creatis visibilibus et invisibilibus, et propter nullam rem unquam te negligam aut contemnam; et ut meipsum tota ratione contemnam, nec alicui creaturæ me comparare audeam, sed tanquam abominabile vitiorum vas, omnium novissimum et imperfectissimum ex corde credam.

Adoro, etiam laudo et benedico te, Creator benignissime, gratias agens tibi pro innocentissima verecundia tua, qua ante oculos derisorum tui afficiebaris, pro immensa acerbissimi undique doloris magnitudine, pro singulis flagellorum ictibus,

Digitized by Google

pro copioso sanguine tuo ad peccata populi abluenda effuso. Et per hos diros et ineffabiles cruciatus et dolores tuos, perque singulas plagas, livores et vulnera tua, quæ mitissima lenitate, invicta patientia et summo etiam erga ipsos hostes tuos amore sustinuisti, ex tota anima et spiritu, obsecro pietatem tuam ardentissime, ut per hæc flagellationis tuæ merita, in hora mortis meæ ab omnibus culpis et eorum pœnis liberum me facias, quibus in curia tuæ justitiæ tunc obnoxius tenebor, ut sic ex singulari gratia et misericordia tua, peccatis meis plene omnibus per te remissis, totus liber ac mundus ex hac vita, continuo immediateque ad æternam recipiar. Nihilominus da mihi, dulcissime Jesu, ad Passionis tuæ conformitatem, imitationem et gratiarum actionem patientissime et humillime ferre, quidquid tua dignatio mihi imposuerit, et eo semper amore gratanter suscipere, quo de divino et paterno Corde mihi transmittis : ut sic tua Passio pro peccatis meis plene satisfaciat; ego vero non quasi pro peccatis meis, sed pro tui amore et beneplacito patiar quidquid tu ipse volueris et disposueris, idque cum jugi gratiarum actione in omnibus et pro omnibus, te semper magis diligens ac laudans sine fine : ut videlicet sic per tuæ flagellationis meritum evadere queam æternæ pœnæ cruciatum. Amen.

CAPITULUM SEXTUM.

Actio gratiarum pro Jesu pœnosissima coronatione, purpuræ vilissimæ vestitione, cum arundine illusione, falsa adoratione, alapatione, coram universo populo productione, irrisione, et ad Crucem denique mortemque postulatione.

Fidelissime amator nostræque salutis auctor, Christe Jesu, adoro supplex te unicum meum regem Deum et creatorem, qui propter me veluti fatuus derisus es et illusorie adoratus : quippe cujus sanctissimo vertici coronam spineam milites imposuerunt, et chlamyde coccinea, veluti regia purpura, irridicule te amicientes, sceptrum quoque baculum arundineum dextræ tuæ imposuerunt.

Matth. XXVII, 29. *Marc.* XV, 17-19.

Joann. XIX, 2.

Heu, dulcissime Jesu, quanta pœna, quantus cruciatus sacrosanctum caput tuum afflixit, quanta pressura, quanta angustia intus et foris æstuabas, et undique distringebaris! Nec tamen tanto tuo dolori ulla impertiebatur ab aliquo compassio, sed petulantissima et ignominiosa omnium insultatio, derisio, opprobrium et contumelia : imo dolorem super dolorem, quibuscumque poterant modis, addiderunt; quandoquidem veluti regni invasorem temeritatis te arguunt, insigna regalia circumponentes tibi illudunt, inclinando se ut regem falsum et ridiculum te salutant et ut falsum Deum adorant. At illico surgentes, iterum faciem tuam turpiter conspuunt et alapis cædunt, dura arundine caput venerandum et dolorosissime vulneratum dire percutiunt, atque tandem ceu triumphum hostibus tuis instituentes, sic miserabiliter te afflictum, videndum deridendumque populo educunt.

Psalm. LXVIII, 27.

Itaque produceris tu, bone Jesu, qui præ Cordis angustia et corporis dolore vix movere te poteras, et in gaudium hostibus tuis deridendus ostenderis, a planta pedis usque ad verticem capitis doloribus repletus. Nulla tunc fuit hostibus miseratio erga te, bone Jesu, quorum corda jam pridem furor livorque obsederat. Nam etsi ex livore et vulnerum cruentatione tam effectus esses et appareres miserabilis, ut dicente Pilato : *Ecce homo,* etiam videreris homini dissimilis, quippe cujus faciem speciosam præ filiis hominum sputa et cruor simul mixta operuerant, cujusque corpus totum erat aut sanguis fluens aut plaga tumens, nullatenus tamen flexi sunt ad misericordiam, nec ulla fuit in eis erga te compassio; nulla calamitate, nullis in te pœnis satiari poterant hostes : quin potius atrociori adhuc in te invidia accensi, etiam populum universum contra te concitantes magnis clamabant vocibus : *Crucifige, cru-*

Is. I, 6.

Joann. XIX, 5.

Psalm. XLIV, 3.

Joann. XIX, 6.

Digitized by Google

cifige. O piissime Jesu, quantum afflixit piissimum Cor tuum hujus malignæ plebis, cui tanta beneficia præstitisti, invidia! quanta tibi fuit pœna, quanta verecundia, te innocentissimum Virginis et Dei vivi Filium ibi ita ludificatum stare et exosum haberi!

Adversus omnem arrogantiam, omnem ostentationem omnemque superbiam; item pro vera compassione, compunctione et charitate, precatio.

Proinde iterum atque iterum te, bone Jesu, adoro, gratias ago et benedico te pro omnibus quæ passus es, et pro charitate qua passus es; obsecrans te per infinitam misericordiam tuam, ut omnem arrogantiam et vanam gloriam, omnem ostentationem atque omnem prorsus superbiæ pestem penitus a me alienam facias. Non reperiatur unquam in servo tuo, quod superbiam aut vanitatem redoleat: sed da mihi cor contritum semper et compunctum; cor, inquam, dulcis Jesu, secundum Cor tuum, quod charitate ardentissima et compassione intima semper sit vulneratum; quod tui desiderium, tui memoriam semper in se teneat, te semper cogitet, in te pascatur, in te requiescat, qui es unica pax animi (extra te enim nihil nisi durum, nil nisi afflictivum) et a te nunquam recedat, sed dextera omnipotentiæ tuæ semper gubernetur et dirigatur. Et igniti amoris tui, quæso, me purpura vestias, ut per totam vitam meam pœnitentiæ spinis sensualitatem et carnem meam coronem et gnaviter persequar, ut sic post hanc vitam merear gloria æterna coronari. Amen.

CAPITULUM SEPTIMUM.

Actio gratiarum pro Jesu, post varias pœnas et illusiones, ad mortem damnatione.

Gloria, gaudium, decus et corona omnium Sanctorum et amicorum tuorum, Christe Jesu, ex toto corde et omnium beatorum affectu adoro, laudo et gratias ago tibi pro afflictione et contemptu maximo, quibus tunc undique afficiebaris, quum sic flagellis laceratus, spinis illusus, purpura amictus, manibus ligatus et arundine pro sceptro dotatus, et tantis affectus pœnis et miseriis, ut quasi novissimus virorum factus, neque speciem habens neque decorem, educereris coram omni populo, miserabile effectus omnibus spectaculum, et audires unanimi voce clamantes: *Crucifige, crucifige. Tolle, tolle eum, sanguis ejus super nos et super filios nostros.* Deinde post hæc omnia tanquam impius et malignus malefactor ad tribunal Pilati adductus es ut condemnareris, ibique adstans inter feroces canes et rabidos lupos agnus mitissimus, post varias et iniquas eorum accusationes, et longam crebramque judicis examinationem, audires super te et contra te iniquissime proferri terribilem illam sententiam ignominiosæ crucis, atque dirissimæ et contemptibilissimæ mortis.

Is. LIII, 3.

Joann. XIX, 15. *Luc.* XXIII, 18. *Matth.* XXVII, 25.

Pro patientia et mititate, pro sui examinatione, judicatione, peccatorum absolutione et salvatione, precatio.

Obsecro te, amantissime Jesu, per immensam pietatem, per magnam patientiam et humilitatem, et per mansuetudinem tuam, quam ostendisti in omnibus tribulationibus et angustiis, quas pertulisti pro nobis; largire mihi, ut nulli unquam noceam, nullum affligam aut etiam contristem aliquo mordaci aut molesto verbo aut sermone, sed semper levis sim omnibus, mitis et patiens corde et opere. Et da quoque ut vere et perfecte agnoscam et eligam, atque perpetuo confitear corde, ore et opere te unicum animæ meæ Regem et Dominum, qui solus es Creator et Redemptor meus. Concede quoque mihi propitius, ut benedicti sanguinis tui virtus efficaciter in me indignum famulum tuum et super parentes meos, fratres et sorores atque super omnes amicos et inimicos me-

Digitized by Google

os descendat, et operetur in nobis salubrem Passionis tuæ fructum et effectum.

Præterea obsecro te, clementissime Jesu, ut tua me gratia adeo impleas, stabilias et confirmes, ut nunquam æternæ damnationis reus inveniar, sed quotidie districta severitate coram conscientia mea ex me rationem exigam, et nudo exacto judicio acriter discutiam et examinem, cunctaque vitiosa condemnem. Tu etiam, piissime Jesu, redemptor meus, absolve et lava me ab omnibus peccatis et negligentiis meis, ut per tuam misericordiam plene tibi reconciliatus, per Passionem tuam perfecte purgatus, per gratiam tuam a cunctis vitiis liberatus, tuis meritis ac virtutibus omnibus decoratus et ditatus, ex hac mortali vita, neque damnandus neque ultra castigandus, si ita visum fuerit bonitati tuæ, et cessurum ad honorem et gloriam, egrediar, sed tua singulari benedictione et gratia ad consolationem et gloriam interminabilem recipiar, scilicet ad te creatorem meum, ut coram districti judicii tui tribunali inconfusus et impavidus stare merear, atque cum omnibus electis tuis dulcissimam illam invitationis tuæ vocem audire valeam : *Venite, benedicti Patris mei, etc.* Et ut ad hoc tuo dono pertingam, fac me nunc, dulcis Jesu, interim tui amantissimum et desideratissimum, ut nulla possim extra te consolatione recreari, quin potius totus tui amore langueam, totus a me deficiam, totus in te uno solo vivam atque subsistam. Amen.

Matth. xxv, 34.

CAPITULUM OCTAVUM.

Actio gratiarum pro Jesu dolorosa Crucis bajulatione, sub eadem defectione, mœstissimæ ejus Matris obviatione, ante denique ejus crucifixionem vestimentorum furibunda extractione, omniumque vulnerum ejus innovatione.

Humillime Jesu Christe, rex cœli et terræ, adoro, laudo et benedico te, gratias agens tibi pro gravissima illa pressurarum mole, qua intus et foris incomprehensibiliter supraque omnem intellectum angustiabaris et æstuabas, quando ad mortem Crucis innocenter damnatus, propriis jam vestibus reindutus, et latronibus ad majorem tui confusionem sociatus, inter opprobria et vituperia, per medium omnium spectatorum extra urbem es eductus, ferens super vulneratum, afflictissimum, diversisque tormentis prorsus delassatum exhaustumque sacrum corpus tuum, Crucem tuam, in qua extremum passurus eras supplicium, una cum immensa mole omnium peccatorum totius humani generis. Quod quidem opprobrium, pie Jesu, cum nemini ante, nec latronibus modo tecum crucifigendis, tibi tamen singulariter factum est, ut si mortis tuæ causam, quam nullam habebas, quis cognoscere cuperet, vel hoc schemate singularis infamiæ te omnium maxime reum mortis crederet, qui proprium supplicium ad locum Calvariæ, quod pessimus quisque nec ante extulisset, exportares.

Heu, piissime Jesu, miserator misericordissime, jam pœnis nimis fatigatus, et undique discruciatus, jam viribus plene exhaustus et totus destitutus, sola amoris adhuc fortitudine stante et agente, quomodo incedebas sub Cruce onustus et ad terram curvatus, dolens et gemens! Occurrente interim benedicta Matre tua, cujus Cor amorosum et purissimum in intolerabili fuit amaritudine, angustia et dolore, quando ipsa te in porta obvium habuit, diris vinculis arctatum, et undique tam inhumaniter tractatum et deformatum, latronum socium, patibulum in benedictis humeris gestantem, profundaque suspiria trahentem, et anhelo pectore trementem : quam cum innocenter aspiceres, acerbissimo Simeonis gladio nimis crudeliter in intimis visceribus suis transvulnerata nec verbum loqui valens, pene exanimis effecta est, vel fortasse tota deficiens humi corruit. Cujus indicibilis doloris tu lucide perspiciens magnitudinem, tum ex intolerabili compassione, tum ex fatigatione,

Digitized by Google

Luc. XXIII, 27, 28. etiam præ nimia pressura defecisti. Sequebantur quoque te, bone Jesu, piæ quædam mulieres flentes et lamentantes aliique amici, vestigia tua cruenta sectantes, quos retrospiciens tu consolabaris : filiis interim Belial gaudentibus, cantantibus et super damnatione tua tibi insultantibus : quos humiliter et velut omnium malorum reus tolerabas. Benignissime Jesu, interea trahebaris, impellebaris, prosternebaris, conculcabaris, omnibus subsannandus ac illudendus offerebaris, donec viribus tandem omnibus destitutus, sub trabe Crucis sæpius miserabiliter deficiens, in saxa terramque durissime corrueres, ac Simone tandem angariato, qui post te Crucem ferret, ad Calvariæ montem multo cum labore et dolore pertingeres : ubi verecundus coram hostibus et omni plebe nudabaris, atque adeo renovatis doloribus et reapertis vulneribus tuis singulis, per laneæ vestis, quæ plagis tuis congelata fuerat, violentam abstractionem, denuo sauciabaris.

Matth. XXVII, 32, 33.

Pro perfecta sui abnegatione, rerum et spiritus paupertate, christiformiumque virtutum imitatione, precatio.

Pro his singulis et universis pro me perpessis, adoro, laudo et benedico te, pie Jesu, gratiasque ago tibi, obsecrans te per infinitum illum tuum erga nos amorem et misericordiam, da mihi gratiam perfectissime funditusque abnegandi meipsum, juxta omne tuum beneplacitum, et crucem pœnitentiæ acquirendarumque virtutum, ad quam me singulariter misericordissime vocasti, strenue tota vita per charitatem in me semper excrescentem perseverando portare, donec Crucis tuæ fructum et meritum, purgato prius bene animæ palato, percipiam hic in gratia et post in gloria. Da igitur mihi, dulcis Jesu, benedictam Passionem tuam jugiter deflere cum intima compassione, eamque nunquam a corde meo excidere delerive ; sed cor meum continue ea vulneratum permanere. Per item altissimam et admirandam tuam paupertatem, qua tu potentissime Fili Dei vivi, universorumque auctor, de totius mundi divitiarumque tuarum magnificentia, non solum nihil habebas proprium, sed nec necessariorum corpori vestimentorum retinere permittebaris usum : obsecro te ut digneris me a cunctis in spiritu et natura nudare, quæ voluntati tuæ quoquomodo contraria sunt, tuique dilectionem in me infrigidare possent. Fac me ergo ferventissimum extremæ paupertatis amatorem, atque omnis indigentiæ, etiam rerum quasi necessariarum (qui enim non sequitur te, non est te dignus), ut omnino tui amore contemnam quidquid mundus habet ; ita ut ad tui solius gloriam ex creaturis duntaxat necessitatis usum capiam, citra omnem inordinatum et vitiosum affectum et concupiscentiam. *Matth.* X, 38.

Trahe me igitur, piissime Jesu, post te, ut ardentissimo desiderio imitandi vestigia vitæ ac Passionis tuæ, sequar te quocumque ieris, et quocumque me sequi volueris.

Serviam tibi perpetuo fideliter, sicut tibi placuerit ; sustineam æquanimiter, quidquid tu pati me volueris ; intelligam et indubitanter credam in omnibus paternam tuam providentiam ; de manu tua cuncta cum laude et gratiarum actione suscipiam ; in servitio tuo neque tepescam neque deficiam unquam, sed semper proficiam, et omnes vires animæ et corporis, adeoque omne tempus vitæ meæ in beneplacitum tuum, in laudem et amorem tui perpetuo expendam. Amen.

CAPITULUM NONUM.

Actio gratiarum pro Jesu miserabili, nuda lamentabilique sessione in vento super frigidum lapidem, et exprobrationibus injuriisque illi illatis, et violentissima dolorosissimaque super Crucem protrusione et lapsu.

Innocentissime Jesu, agne mitissime, memento, quæso, quam gravi intus dolore

Digitized by Google

Cor tuum pudicissimum premebatur, cum ingentem illam nudationis tuæ confusionem et ignominiam ferre cogeretur, quando scilicet ante oculos crudelium hostium tuorum totiusque populi, et in aspectu castissimæ Matris tuæ aliarumque sanctarum mulierum totus undique sauciatus et concisus, doloribusque repletus, nudus sedebas super quamdam frigidam petram aut rupem, conspiciens non sine multo gemitu et horrore, quomodo tibi crucis patibulum atque durum illud mortis tuæ stratum apparerent. Interim corpus tuum tenerrimum, tam misere lacerum et quasi excoriatum, vento et frigori expositum fuit atque præ frigore obriguit et tremebat; unde et maximus tibi undique dolor accrevit.

Quis etiam mente comprehendere sufficiet, pie Jesu, quales interea injurias, irrisiones, blasphemias et opprobria tibi irrogarint, et sustinueris? Recordare etiam, mitissime agne Christe Jesu, quomodo caput tuum benedictum, et etiam angelicis Potestatibus tremendum in illa sessione tua, a crudelissimis illis nebulonibus afflictum, excruciatum fuerit, et quasi reiterato coronatum, dum ob vestium tuarum integritatem, cogerentur ante tui denudationem coronam spineam tibi extrahere, quam dum denuo tibi imprimunt crudeliter, et nova vulnera infligunt, adeo ut etiam ex cunctis illis vulneribus ubertim per faciem et collum pretiosus sanguis tuus in terram proflueret. Deinde inhumanissimi illi carnifices sine ulla miseratione, non secus atque famelici leones, furiose te arripientes, super crucem rigidam retrorsum immitissime prostraverunt. Quis, bone Jesu, hic dolores tuos de tam violento et præcipiti casu comprehendere queat?

Pro præservatione a peccatis, erroribus ac desperatione in morte, precatio.

Per hujuscemodi autem prostrationem et casum, deprecor te, clementissime Jesu, ut me ab ista hora usque in æternum misericordia et gratia tua præserves, ne unquam in aliquod corruam peccatum, propter quod privandus essem mellifluæ desideratissimi vultus tui præsentia et contemplatione: nec sinas me in vita vel in morte, in aliquem incidere errorem, seu mentis alienationem, aut desperationis laqueum, sed in umbra alarum tuarum, in benignissima protectione tua, me semper in vinculis charitatis, inter misericordiæ et virtutis tuæ brachia constringas, foveas et inseparabiliter contineas. Amen.

CAPITULUM DECIMUM.

Actio gratiarum pro Jesu manuum pedumque pœnosissima super Crucem expansione et perforatione, omniumque membrorum et compagum ejus distensione et dissolutione.

Lux mea serenissima, exultatio ineffabilis amatorum tuorum, Christe Jesu amabilissime, utinam des mihi ardenti cum devotione hodie et semper memorem esse illius charitativæ expansionis membrorum tuorum, qua tam dignanter tamque miserabiliter super lignum Crucis jacens, sanctis pedibus promptissime ac spontanee extensis, brachia tua super cornua Crucis in amoris amplexus extendisti, manusque sacratissimas perfodiendas sponte crucifixoribus tuis exporrexisti, aperuisti et clavis objecisti. Heu, amabilissime Jesu, quam amarissimo dolore et horrore tunc quoque simul replebaris, quando impiorum et infidelium Judæorum ingratorumque filiorum tuorum conspexisti in te odium, livorem sitimque cruentam, qui te dulcissimum et amantissimum Patrem suum, te, inquam, qui ponderas montes et colles in statera, *Is.* XL, 12. qui pervestigas profundi maris abyssum, qui cœlum et terram palmo concludis, qui es omnium auctor, quem nulla dimensio termino metitur, adeo festinabant turpissi- *Sap.* II, 15, mo mortis genere delere et perdere, urgere 20. incipientes ministros, ut necem tuam accelerarent, utpote quibus gravis et intolerabilis eras eis ad videndum.

Digitized by Google

Tunc inhumanissimi illi carnifices primo manum dexteram tuam apprehendentes, crasso quodam et obtuso clavo crebris ictibus Cruci crudeliter nimis et cruciabiliter affixerunt ; mox alteram quoque manum ad aliud foramen itidem perforandam pertraxerunt. Sed quia illud nimis distabat, sacra brachia tua horribili cum dolore intenderunt, donec quo volebant manum adduxerunt, quam tunc similiter ingenti clavo confoderunt. Deinde ad perforandos benedictos pedes tuos, cum non esses conveniens voluntati eorum, dolorem super dolorem vulnerato corpori tuo addiderunt, et ita crudeliter te distraxerunt et extenderunt in longum et latum Crucis, ut dissolverentur compages membrorum tuorum, ita ut ne unum quidem membrum suo adhæreret loco. Unde, dulcissime Pater, laudamus te et benedicimus tibi unanimi gratiarum actione, quod hoc modo pro nobis jam sic tribus crassis et admodum obtusis clavis tu, Dominus Deus et Salvator noster, crucifixus es ; cujus tam tenera et præclara erat complexio, quique totus tam debilis et exhaustus viribus eras, ob innumerabiles et immanes pœnas atque exquisita tormenta in te antea exhibita ; et ideo tanto intolerabilior erat hic tibi dolor perforationis manuum et pedum tuorum grandibus illis et obtusis clavis, qui vi et ictibus multis per carnem, nervos, venas et ossa perpellebantur, secum carnem et nervos per vulnus et foramen Crucis pertrahentes, quæ tota impleverunt et obstruxerunt, ut sanguis ex apertis venis effluere nequiret, unde vehementer intumuerunt manus pedesque tui sacratissimi.

Psalm. LXVIII, 27.

Pro omnibus et singulis totque mortiferis cruciatibus, quos tam validi tamque crebri malleorum ictus tibi exaggerabant, suavissime Redemptor, gratias ago tibi ex intimis præcordiis meis, pro rigidissima etiam omnium membrorum tuorum extractione, qua tam cruciabiliter tamque miserabiliter in modum pellis fuisti extensus, ita ut omnia ossa tua, juxta propheticum præsagium, dinumerari potuissent : tam quoque violenter affixus, ut omnibus membris immobiliter ligno appactis, quasi nullius haberes potestatem. Ita denique deturpatus fuisti, ut omnium hominum novissimus, et non homo modo sed et vermis et plebis abjectio factus fueris, præque intolerabili angustia et tormentorum immensa profunditate, miserrime anhelo pectore et corde palpitares, singultus crebros emitteres : taliter per omnia affectus et dispositus, ut etiam saxea et adamantina pectora erga te permollescere potuissent.

Ibid. XXI, 18.

Is. LIII, 3. *Psalm.* XXI, 7.

Memor sum etiam, amantissime et melliflue Jesu, vehementissimi et acerbissimi doloris, et multiplicis tui cruciatus, quem et tibi nunc repræsento ex omnium creaturarum tuarum affectu, per purissimum Cor sanctissimæ et virgineæ Matris tuæ Mariæ, quo pœnose valde affligebaris in benedicto et reverendo capite tuo per coronam spineam, cum violenti et multiplices illi malleorum ictus, Crucem cum corpore tuo super illam extenso sua violentia movebant, agitabant tremereque faciebant, et sic spinæ per reiteratos et frequentes lapsus capitis tui super Crucem magis et magis profundius in occiput tuum adigebantur et impellebantur.

Pro strenuitate in Dei servitio, mortificatione vitiorum et nuditate interna, precatio.

Obsecro te, profundissima misericordiæ abyssus, per illum fortissimum piissimi Cordis tui erga nos amorem, quo non solum libens, sed etiam ardens gravissimam pœnam illam horribilemque cruciatum et dirissima tormenta subiisti in omnibus afflictissimis membris tuis, quorum nullum in suo recto statu permanserat : obsecro, inquam, te per ejusmodi omnia, ut des mihi omnes vires animæ, cordis et corporis mei semper usque in finem ad tuum servitium et honorem extendere. Configeque me in quotidianæ mortificationis et virtutum cruce clavis amoris et timoris tui, quibus jugi perfectaque imitatione et amara compas-

Psalm. CXVIII, 120.

Digitized by Google

sione tibi adhæream, ita ut omnibus, quæ carnis et mundi sunt, totaliter exutus, in cruce tecum nudus cum nudo sursum me totum elevem, et omnibus terrenarum rerum affectibus exuar, ut non sit mihi amplius scire, velle, posse, cogitare vel vivere, nisi in Cruce tua, dulcissime Jesu.

CAPITULUM UNDECIMUM.

Actio gratiarum pro Christi Jesu efficacissima ferventissimaque, cum multis amarissimis lacrymis effusa, ad Patrem suum cœlestem oratione, pro cunctis suis crucifixoribus, qui tunc et usque hodie eum crucifigunt.

Mitissime ac totius mansuetudinis exemplar, Christe Jesu, te adoro, laudo, benedico ac gratias ago tibi, Domine Deus meus, pro ineffabili et infinita dulcissimi et paterni Cordis tui benignitate et miseratione, pro invicta, eximia et indeficienti charitate tua, non modo erga te diligentes, verum etiam erga inimicos et persequentes te. Siquidem cum violentissime atque usque ad compagum dissolutionem super Crucem distendereris, dilacerarereris ac distrahereris, ita ut omnia tum sacratissima membra et nervi instar arcus intenta essent, et alia ad se alia attraherent clavisque diris per manus et pedes Cruci affigereris, non aliud, agne mansuetissime, dixisti, quam : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. O quam immensa et incomprehensa multitudo bonitatis tuæ : o quam ardentissima et exuberantissima dilectio tua, ex qua non aliud tu eis imprecatus es, nisi, quasi immemor omnium dolorum tuorum : *Pater, ignosce illis!* In tanto pœnarum cruciatu constitutus, non aliud tum monstrabas, quam quod cæcitatem illorum magis quam corporis tui languorem doleres. Hoc enim præcipue agebas, ut hostium tuorum peccata excusares, et vindictam, quam merebantur illi, tu deprecando illos Patri commendatos faceres.

Luc. XXIII, 34.

Pro vulnerante Dei amore, et perfecta proximi dilectione, tam amicorum quam inimicorum, precatio.

Obsecro te, amantissime, fidelissime ac suavissime amator Christe Jesu, per omnem pietatem et amorem divini Cordis tui, da mihi charitatem ardentissimam, perfectissimam et fidelissimam, per quam crudelitate misericordissima in me exerceas et agas, ut cor meum clavo intensissimi tui amoris incurabiliter vulneres, transfodias et tibi inseparabiliter unias, ut amore tui semper langueam, et extra te nulla affectione exire valeam. Hac firmissima anchora omnem cordis sensuumque evagationem in te quietes, in te compescas et stabilias; hac mentem meam repleas et confirmes, ut te Deum meum in omnibus et super omnia, proximum vero in te et inimicos propter te sincere vereque diligam, odientibus atque offendentibus me ex animo ignoscam, bene cupiam, bene faciam, et totis nisibus malum fideliter, exemplo tui, bono recompensare studeam, eosque tanquam singulares amicos perfectius diligam. Amen.

CAPITULUM DUODECIMUM.

Actio gratiarum pro Crucis Domini Jesu furiosa elevatione, ponderoso et violentissimo dolorosissimoque delapsu in petram.

Nobilissime Domine Jesu, Dei vivi et castissimæ Virginis Mariæ Fili dulcissime et dilectissime, quam magna multitudo misericordiæ tuæ, quam immensa magnitudo charitatis tuæ, qua tam intolerabiles et innumeros pœnarum cruciatus pro nobis tam mitissime tantoque cum desiderio tolerasti! Singulariter vero in illa immanissima dolorosissimaque crucifixione tui, in qua contremuerunt omnia interiora tua, in qua immensus ille dolor manuum et pedum tuorum pertransivit omnia viscera tua, per nervos, venas et oscicula, quæ in eisdem concurrunt : in qua etiam acerbitas clavo-

Digitized by Google

rum penetravit secreta medullarum, ossium et nervorum tuorum, intimas cordis tui medullas; qua denique tam inhumaniter extensus, tamque immobiliter Cruci fuisti affixus, ut unum membrum alii succurrere non posset, cunctis pariter incomprehensibili dolore pœnaque correptis.

O quam cuncta interiora extensa, læsa et dissoluta sunt atque dilacerata! O quam amarissime præ nimio cruciatu et excessivo dolore lacrymatus es! O quot quamque crebros singultus et suspiria emisisti, ut etiam adamantina pectora ad tui aspectum compassione mollescere potuissent!

Ubi vero te, dulcissime Jesu, sic inhumaniter Cruci affixissent, mox immitissimi carnifices magno cum furore validisque clamoribus te de crucifixionis loco ad foramen, cui Crux erat imponenda ac firmanda, super terram et super lapides cum ligno Crucis fune apposito protrahunt, ibique cum Cruce te sublevarunt, et in petram excisam vel foramen ferocissime et nimis impetuose eam impegerunt et decidere permiserunt, ita ut hoc violento casu cuncta tua sacratissima membra et interiora tremerent, et immenso dolore ac cruciatu affligerentur colliderenturque.

Pro Dei casto timore, compassione et amore erga crucifixum Dominum Jesum, precatio.

Gratias tibi ago ex intimis cordis mei visceribus, o amator hominum ardentissime, Christe Jesu, pro summo illo tuo erga nos amore, quem in crucifixione tui dolorosissima et ignominiosissima nobis uberrime declarasti, et quando te nudum inter duos latrones tanquam sceleratissimum omnium suspendi permisisti, obsecrans te per eumdem inæstimabilem amorem tuum, et per singula vulnera et dolores corporis tui, perque omnes guttas rosei sanguinis tui, confige timore tuo carnes meas, ne libidini aut qualicumque peccato male suasus consentiam. Perfora manus meas, ne otio torpescant; perfige pedes meos, ut in bono opere stabilis perseverem, utque fortiter labores et dolores pro tui honore sustineam. Ardentissimus quoque ille amor tuus, quo Cruci clavis durissimis fuisti affixus, cor meum, amantissime Jesu, transeat, salutarique me vulnere cruciet, ut ex vehementi meorum peccatorum contritione tuique dilectione, totus lacrymis fluam ac a meipso quasi penitus deficiam. Incute, dulcis Jesu, dolorem, auge devotionem, renova compassionem, accende in me tui amorem, ut nihil mihi sapiat, nihil afficiat, nihil corde meo insit aut inhæreat, nisi dulcis Jesus Christus, et hic ex mei amore crucifixus.

Ps. CXVIII, 120.

Ab omnibus igitur obsecro, pie et suavissime Jesu, quæ hujus mundi sunt, totum me tecum in Cruce tua subleves, ut mundo et omnibus concupiscentiis ejus crucifixus et mortuus, in tuis mellifluis vulneribus valeam jugiter commorari; et ad eadem in omni adversitate et ingruente tentatione summa fiducia confugere, Amen.

CAPITULUM TERTIUM DECIMUM.

Actio gratiarum pro multiplici cruciatu tam externo quam interno Christi in Cruce, et pro glorioso Crucis Christi titulo.

Omnipotens, piissime ac patientissime Domine Jesu, mediator Dei et hominum, te adoro, laudo, benedico et gratias ago tibi, quod naturam humanam assumpsisti propter me perditum hominem redimendum, et jam in eadem patiendo, temetipsum pro nobis hostiam vivam et immaculatam Patri obtulisti. Repræsento nunc tibi summo cordis mœrore immensam illam et profundissimam omnium afflictionum et cruciamentorum abyssum, quæ intus et foris sustinebas, quando in Cruce in omnibus et singulis membris, venis et artubus tuis totus penitissime et dolorosissime sauciatus, solus tribus horis gravissimum illud calcasti torcular, adeo undique pœnis et vulneribus repletus, ut a vertice capitis

Is. LXIII, 3. *Ibid.* I, 6.

Digitized by Google

usque ad imum pedis non esset in te vel ulla sanitas : sed quidquid in corpore tuo erat, aut erat plaga tumens et livida, aut vulnus fluens, aut roseus calidusque sanguis per corpus discurrens.

Utinam vero cordi meo tuæ Passionis jugem memoriam imprimas, ad qualemcumque, per gratiam tuam, tibi exhibendam compassionem et gratitudinem, ut indesinenter devote meditando expendam in te humanitatis tuæ nobilissimam tenerrimamque complexionem, incomprehensibilem tuæ majestatis excellentiam et dignitatem, pœnarum magnitudinem et multitudinem, vulnerum acerbitatem et profunditatem, dolorum multiplicitatem, opprobriorum varietatem, spiritus angustias, cordis pressuras, cordiales et intimas compassiones atque tristitias : quæ omnia quum semper tum maxime tribus illis horis, quibus in Cruce tribus clavis eras affixus, tibi cruciatus omni intellectu majores, quin et morte amariores tibi exaggeraverunt. His insuper accessit, quod singulorum vulnerum atque pœnarum distinctim ac singulariter simul omnes et singulos sentiebas dolores et acerbitates. Ampliabantur vulnera, et novis continue pœnis profundius lacerabantur, adeo ut dolor non modo omne corpus, verum Cordis etiam atque ossium penetrans medullas, te totum nimis dire laniando mactaret et cruciaret.

Cæterum, vehementius multo te affligebat internus dolor pro animabus ingratis, tantam charitatem contempturis, ac sub tanto pretio pro illis exposito perituris. Præterea patiebaris coram innumerabili populi multitudine multigenarum gentium, quæ undique ad diem festum convenerat ; patiebaris etiam ab electa gente, in paschali tempore, in despectissimo loco et ignominioso Crucis supplicio, latronibus sociatus, imo in medio latronum suspensus, ut ab ignorantibus singularis præcipuusque malefactor credereris, procurantibus hoc ipsum perfidissimis Judæis ; patiebaris denique innocenter pro peccatis alienis, idque ex pura et sola charitate, quod etiam universus orbis animadvertere potuit, quando nulla alia necis tuæ causa Cruci inscripta fuerit, sed nec scribi potuerit, quam quod Rex esses Judæorum. Ex hoc titulo liquido omnibus constitit, te non pro aliquo scelere, sed ex amore purissimo animam tuam morti exposuisse pro amicis tuis. *Joann.* xv, 13.

Pro adversitatum omnium levi perpessione, divinæ charitatis ardore, proque afflictorum cunctorum consolatione, precatio.

O Christe Jesu piissime, pro singulis tuis plagis, livoribus, vulneribus, pœnis atque gemitibus, pro singulis denique sanguinis tui guttis, adoro, laudo, benedico te et gratias tibi ago, per hæc eadem et per immensam misericordiam tuam obsecrans te, ne quando derelinquas me, nec ulla sinas me tentatione vinci, vel ulla adversitate frangi aut superari. Libera et custodi me ab omni peccato, ab insidiis inimicorum defende me, in omni tentatione protege et dirige me. Non sit, quæso, in te frustra tantæ Passionis dolor, tantæ charitatis fervor tantæque benignitatis dulcor, nec in me evacuetur tuæ Passionis fructus ; non me vocationis tuæ pietas deserat, sed per temetipsum miserere mei, et rege tu me et totum posside, et fac ut intimo corde semper tui amore vulneratus et compassione absorptus, te semper videam, Deum meum pro me crucifixum. Ita mens mea tibi jugiter inhæreat, ut nil extra te mihi libeat ; imple cor meum, pie Jesu, fide recta, spe firma atque charitate perfecta, quibus perpetuo tibi et inseparabiliter inhæream, et nunquam a laude tui et gratiarum actione deficiam.

Oro te etiam, clementissime Jesu, pro omnibus, pro quibus passus es, ne tam dolorosissima et ignominiosissima Passio tua, neve tam sacratissima et piissima mors tua, ne denique tanta charitas tua in eis pereat. Consolare omnes quocumque modo afflictos, tentatos protege, cunctos qui in gratia tua sunt confirma, omnes qui a te aversi sunt converte, et salvos fac nos

Digitized by Google

quos redemisti, sicut tu scis et vis, Domine Deus noster. Amen.

CAPITULUM QUARTUM DECIMUM.

Actio gratiarum pro Domini Jesu pretiosissimi sanguinis ex quatuor vulneribus abundanter effluentis eruptione, et Crucis terræque irrigatione, omnium item ipsius membrorum ineffabili pœna.

Piissime Domine Jesu, fons inexhaustæ pietatis, adoro, laudo, benedicoque te et gratias tibi ago pro copiosa et supereffluenti effusione pretiosi sanguinis tui, quem tam largiter et ineffabili cum desiderio miseris elargitus es, quando is ex quatuor corporis tui partibus, scilicet manibus et pedibus confixis Cruci, velut fons paradisi in quatuor dispertitus partes, abundanter erupit, quæ universam irrigaret terram, et omnium peccatorum sordes ablueret : sed et ex cæteris tuis patentibus vulneribus extensis et ruptis venis, atque ex toto benedicto lacerato corpore tuo, per totam tuam sanctissimam Passionem ; præcipue autem cum crudelissima illa pectora impetuose te crucifixum in saxi foramen ruere fecerunt, nobis copiose quoque roseum tuum sanguinem propinasti : quandoquidem ex tali agitatione et violento lapsu, cunctis membris et visceribus in te trementibus, non modo omnium dolorum et vulnerum acerbitas ubique denuo renovabatur et exaugebatur, verum etiam compages solvebantur, nervi rumpebantur, vulnera patentia atque distensa ampliabantur et magis dilacerabantur : sicque pariter ruptis venis roseum sanguinem copiose emittebant, quo Crucem et terram rigasti abundanter.

Heu, amabilissime Jesu, quæ lingua narrando exprimat, aut quis etiam intellectus capiat, quanta pœna grave pondus lassi et vulnerati corporis tui, membra tua sanctissima Cruci affixa affecerit, dissecuerit et contriverit, ac vulnera inflicta magis magisque ampliando exacerbarit! quandoquidem totum corpus tuum solis tribus clavis nimio cruciatu sustentabatur, sicque sui pondere benedicta membra tua, supra omnem modum et æstimationem, et potissime manus et pedes sunt afflicta, contrita et dissecata ; ineffabilis quoque pressura, per rigidam tui extensionem et diutinam tui in Cruce pendentiam usque ad mortem, facta est pectori tuo et cunctis interioribus membris tuis ; sed et dorsum tuum saucium et dilaceratum durissimo ligno et amputatarum frondium truncis adhærebat. Adeo denique coangustatus et distentus fuisti, ut omnium membrorum tuorum usus tibi penitus sit interdictus, nec quidquam movere poteras, nisi solam linguam ad orandum et propitiandum Patrem tuum cœlestem pro deperdito populo tuo, et ad erudiendum electissimos amicos tuos : caput vere tuum benedictissimum nisi paululum movere poteras : erat id enim undique spinarum aculeis obsitum et transfixum.

Pro vera contritione atque perfecta sui-ipsius et omnium creaturarum mortificatione et unione cum Deo, precatio.

Nunc igitur ineffabilis dulcedo, Jesu Christe, *memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti*, illius nempe jucundissimæ et gratissimæ promissionis tuæ, qua dixisti : *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*. Porro, amantissime Domine Jesu, si cœlum et terra transibunt, verba autem tua non transibunt ; firmentur igitur ac compleantur, quæso, verba tua in me peccatore miserrimo, pauperculo, vili et nihili, attamen creatura tua, plasmate tuo, atque sanguine tuo plus aliis redempto. Tanto enim plus pro me quam pro justo quovis passus es, quanto ego cæteris pauperior miseratione tua plus egeo, et quo ego magis redemptione tua indigeo, utpote præ multis aliis magis facinorosus, qui tamen de cætero fidelis servus tuus esse cupio et propono.

Psalm. cxviii, 49.

Joann. xii, 32.

Digitized by Google

Respice igitur in me oculis mellifluæ et paternæ misericordiæ tuæ, dulcissime Domine Deus meus Jesu Christe, et fac ut juges lacrymæ mihi, etiam si possibile est, sanguineæ effluant, præ magnitudine et multitudine contritionis atque amoris, quod videlicet adeo enormiter et multipliciter te piissimum Patrem et Redemptorem offendi, adeo fidelissimum amatorem ac benefactorem contempsi, atque pro infinitis tuis beneficiis nihil nisi ingratitudinem, malitiam et infidelitatem rependi. Ecce nunc exaltatus es : nunc ergo secundum jucundissimum verbum tuum trahe me post te, ut justificeris in sermonibus tuis. Ne moreris, bone Jesu, eripere me de lacu miseriæ, in qua bestiæ innumeræ pusillæ cum magnis sunt, et de luto fœcis, ne infigar ; quoniam adhæret, proh dolor, pavimento anima mea, ita ut quod nolo malum, hoc quotidie agam, et quod volo bonum nequeam. Vidisti utique, o Domine, ne sileas ergo, sed totum ad te et in te absorbe et intrahe me, ut vivam jam non ego, sed tu in me, et ego prorsus alius effectus in te, secundum perfectissimum divini Cordis tui beneplacitum, terrena delectatione omni spreta, cunctis curiosis abjectis, profligatis otiosis omnibus, mortificatis denique vitiis et concupiscentiis universis, atque per gratiam tuam tui amoris infusione eisdem exustis et deletis, curram amodo post te in odore virtutum tuarum, et ardore purissimæ et intensissimæ charitatis. Amen.

Ps. L, 6.
Ibid. XXXIX, 3,
Ibid. LXVIII, 15.
Ibid. CVIII, 25.
Rom. VII, 19.
Psalm. XXXIV, 22.
Gal. II, 20.

CAPITULUM QUINTUM DECIMUM.

Actio gratiarum pro multis et variis blasphemiis, exprobrationibus et irrisionibus Christo in Cruce irrogatis a ministris et principibus sacerdotum atque senioribus populi.

Quies tuorum pacatissima, rerum omnium initium et finis, Christe Jesu piissime ac patientissime, gratiosissime humani generis Redemptor ac Salvator, admoneo te illius immensi doloris et amaritudinis, qua totus ceu acerbissimo absinthio inebriatus fuisti, quando cum sceleratis reputatus, atque inter duos latrones medius tanquam princeps eorum fuisti suspensus, ut scilicet ab omnibus credereris, procurante hoc impietate judaica, quod una cum illis in homicidio deprehensus fores, illisve in moribus similis existeres, quibuscum eadem damnatione plexus eras, ut sic per alienam malitiam et aliorum facinora infamis fieres, qui ex te innocentissimus justissimusque eras. Ah, quam execrabilis Judæorum nequitia, ut quasi latronem crucifigerent omnium Redemptorem ! At tu, pie Domine, hoc ideo permisisti, ut ostenderes te pro peccatoribus pati et mori, juxta Isaiæ vaticinium : *Et cum sceleratis deputatus est.* Cum iniquis igitur deputatus es in morte, ut iniquos vivificares in Resurrectione, et Angelorum gregibus in cœlis insereres. In medio sceleratorum te suspendi permisisti, non ut socium homicidii, sed ut judicem : quo significares omnem tibi in cœlis et in terris traditam esse potestatem, teque constitutum judicem vivorum et mortuorum ; futuri judicii quamdam exhibens formam : dum latronum alterum, nempe a dextris, misericorditer conservasti, alterum blasphemum a sinistris æterna morte juste damnasti.

Is. LIII, 12.
Act. X, 42.

Dum vero, amantissime Domine Jesu, rex et creator cœli et terræ sic despectus et confusus in Cruce penderes, doloribus et plagis undique circumdatus, ex tuis divitiis universis præterea non habuisti tantillum, adeo pauper et egenus effectus, quo spinis confixum, plagis lividum atque continuis afflictum puncturis caput reclinares atque in tam diræ mortis et multiplicium tormentorum pressura undique ab omni consolatione destitutus fuisti. Cum vero peccatoribus omnibus, quamlibet flagitiosis, jam damnatis exhibeatur compassio, consolatio et certæ benignæ allocutionis ministratio, tibi tamen cœlorum amœnissimo sponso, omnium afflictorum susce-

Digitized by Google

ptori, quantislibet immerso tormentis, silicea pectora non pepercerunt; sed una cum latrone, quando aliud nil ignominiæ injuriæve tibi inferre potuerunt, impropriorum te sauciabant jaculis, divinitatem tuam blasphemabant, sacrilega contra te agitabant capita, exprobrando, illudendo et insultando, dicentes : *Vah, qui destruis templum Dei et in triduo illud reædificas, salva temetipsum. Si Filius Dei es, descende de Cruce.* Itemque : *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere : Si Rex Israel est, descendat nunc de Cruce, et credimus ei. Confidit in Deo, liberet eum nunc, si vult;* multaque alia blasphemantes dicebant in te.

Matth. XXVII, 39. *Marc.* XV, 29. *Luc.* XX:II, 35. *Matth.* XXVII, 42, 43.

O insatiabilis et ineffabilis livor et malitia tua, Judæe ! O perversitas et impietas tua crudelissima ! Cum anguino tuo pectore nullum poteras tormentum concipere, quo corpus Domini Jesu ex toto jam attritum, peneque in nihilum redactum amplius cruciares, ad extremum, manibus deficientibus, polluto ore et impiis sermonibus Dominum persequi et excruciari cœpisti. Nondum autem tanto sanguine, tot plagis et pœnis explesti animum tuum, impie Judæe ! Siquidem quidquid potuisti, ipsi in opprobrium fecisti et tormentum. Quando vero aliud in eum jam ultra non poteras, gloriosum ejus nomen penitus obliterare studuisti; et dum nil haberes, quod tua perversa ei improperare posset impietas et malitia, ipsas ejus divinas virtutes, gloriosa miracula, benigna et gratuita ejus tibi præstita beneficia, divinumque suum nomen ei exprobrasti.

Proh immensam obcæcationem tuam, Judæe ! Numquid non justum Dominum et insontem ejus mortem his tuis verbis contestaris ? An quod honestum, sanctum divinumque est, puta : mortuos resuscitare, ægros sanare, dæmoniacos liberare et esse Filium Dei, cedet ei dedecori et opprobrio? Minime gentium. Præ abundantia autem invidiæ et impietatis tuæ, qua in te tabescis et æstuas, de eo si quid nosti mali, cur non evomis ? Proh pudor, nihil habes! Nam haud dubie præ intemperanti crudelitate et rabie tua utique id ei objiceres. Hæccine ergo sunt ejus flagitia, quæ ipsi exprobras, ob quæ Filium Dei tam indigne et viliter tractasti, tam crudeliter et inhumanissime dilacerasti, tam immitissime et pœnosissime distendisti, tam dolorosissime et ignominiosissime in medio latronum suspendisti? Verumtamen quanto studiosius ejus nomen supprimere incubuisti, eo plus ipsum exaltasti, et vel invitus laudibus cumulasti, majoremque illius nomini addidisti et splendorem et gloriam.

At tu, agne mansuetissime, Christe Jesu, quam vehementissime hinc tuo in Corde amantissimo et fidelissimo cruciabaris, quod peculiaris ille populus tuus adeo crudeli, adeo furibundo in te ardebat et furebat animo, et quod inde te blasphemabant, et tibi id vituperio dabant, unde te laudare potius et amare, tibique devote et humiliter agere et habere gratias merito et juste tenebantur. Et licet, mitissime Jesu, indeficiens et insatiabilis furor eorum infidelissimaque eorum ingratitudo Cor tuum piissimum dolorose nimis dissecaret, tu tamen, innocens agne, coram tondente non aperuisti os tuum; cum maledicereris, non maledixisti, sed potius flagrantissimas preces singulis eorum rependebas improperiis, eximia charitate et commiseratione eorum cæcitati condolens. Et non tunc solum, sed etiam in tota tua Passione, cum patereris non comminabaris ; sed quot ipsi tibi influxerunt cruciamenta, tot e diverso eis affectuose exhibebas injunctæ charitatis beneficia.

Is. LIII, 7. I. *Pet.* II, 23.

Pro plena reconciliatione veraque vitæ emendatione; item pro charitatis Dei cæterarumque virtutum infusione; denique pro arrepti propositi et vocationis consummatione, precatio.

O Rex gloriæ et Deus infinitæ majestatis, o Sol justitiæ et Sapientia Dei Patris; o Rex regum et Dominus dominantium, o Sanctorum gloria et corona, o Angelo-

Digitized by Google

rum decus et pulchritudo, o dulcedo ineffabilis, o Bonitas incomprehensibilis, piissime et mitissime Domine Jesu Fili Dei vivi, ex parte et affectu universæ creaturæ tuæ, et præsertim tuæ dulcissimæ Matris Virginis Mariæ, omniumque pariter Sanctorum et Electorum tuorum, millesies millies et infinities ultra, te adoro, laudo, benedico, glorifico et honorifico pro cunctis his subsannationibus, blasphemiis et exprobrationibus, tam improbo lividoque ex corde in te evomitis, et a te tam mitissime et benignissime perpessis, quæ universa cum Cordis tui patientia et benignitate in unione ejusdem tui paterni amoris et pietatis, qua pro nobis eadem sustinuisti, cœlestique Deo Patri obtulisti, tibi denuo offerens : per Cor tuum et piissimum et amantissimum tibi satisfacio pro universis peccatis et delictis meis, quibus per omnem meæ vitæ cursum toties atque innumerabiliter te Deum et Patrem meum iterum crucifixi et blasphemavi turpiter, proh dolor, et graviter nimis : cum omnibus pretiosi tui sanguinis guttis, cunctisque tuis lacrymis amarissimis, per quam humillime et affectuosissime obsecrans, atque per omnia profunda vulnera cunctosque immensos corporis tui dolores et animæ tuæ tristitias et angustias te exorans : revoca me miserum et errantem peccatorem, amplectere et tene revertentem, conforta dolentem, ablue ac absolve contrite cuncta humiliterque confitentem, instrue ignorantem, præserva et robora fragilem, dita atque decora egenum et pauperem. Converte frigus meæ ignaviæ, tepiditatis et malitiæ in charitatis tuæ ardorem, meam insipiditatem in tuæ suavitatis saporem, meam fluxibilitatem et instabilitatem in tuæ virtutis gratiæ constantiam. Effice itaque, Jesu amantissime, extraneas cogitationes et delectationes omnes mihi amarescere, cunctasque mundi vanitates corde meo vilescere, ut quæ extra te sunt spretis omnibus, amare valeam nihil, nec quidquam concupiscere, nisi te per amorem sequi, meque delectet nihil, nisi vitæ ac Passioni tuæ per imitationem conformari, ut omnem vitæ meæ Ordinisque rigorem atque cuncta alia adversa et flagella tua, ex charitate tui et patientissime et gaudenter sustineam, ad majoraque etiam, quæcumque imponere mihi placuerit, suscipienda, sine ulla cordis retractatione fac me tibi possim offerre, veraciterque resignare, ut nulla blasphemia, nulla amaritudo, nullave impatientia cor meum tangat, sed tuam, quæ plusquam paterna est, dilectionem semper attendam, tuam providentiam semper in memoria teneam, tibi ex integro me committam ac relinquam, de manuque tua omnia recipiens semper tibi gratias agam.

Infunde mihi etiam et confirma in me, dulcis et pie Jesu, veram humilitatem, patientiam et benignitatem, cum sanctissima corporis et spiritus castitate conjunctam, ut sicuti tu, pie Domine, ob nullius improperia et calumnias, nec ob Matris tuæ dulcissimæ dolores immensos, nec ob pœnarum tuarum et multitudinem et acerbitatem, nec ullam denique ob causam de Cruce descendere voluisti, ita nec ego homuncio vilissimus ob cujuscumque afflictionis gravitatem vel hominum oblocutiones et ludibria, vel quamlibet mundi delectationem, aut ad inimicorum meorum suggestionem, hanc meam conversationem et vocationem dimittam, rursusque occupationibus me secularibus implicem, aut peccata olim commissa jam denuo reiterem ; sed indissolubili semper charitate tibi adhærendo, merear in passione tibi nunc conformari, et tuis electis fidelioribus in futuro associari. Amen.

CAPITULUM SEXTUM DECIMUM.

Actio gratiarum pro misericordissima latronis ad Christi dextram pendentis conservatione, et ignominiosa furibundaque Christi vestium partitione.

Rector, salus et spes unica animæ meæ, Christe Jesu piissime : quam immensa et superfluentissima atque inexhaustibilis est

Digitized by Google

misericordia, bonitas et charitas tua, quam nunc non modo ostendisti, verum etiam præstitisti exuberantissime, et quidem inimicis tuis etiam crudelissimis. Siquidem cum a perfidis ac sceleratissimis Judæis ab eorumque ministris atque a lictoribus, probrorum, blasphemiarum necnon exprobrationum jaculis, virulenta obstinataque ex malitia ac livore, fervide impudenterque nimis impetereris, dolorose quoque in intimis tuis sauciareris; quando etiamnum post hæc tecum qui crucifixi fuere latrones, ad irrogandas itidem tibi contumelias et blasphemias sese erigerent, tibique præstita aliis beneficia improperare aggrederentur: ex tunc illico, quum plurimum necessarius, tum, heu, non mediocriter contemptus, ab eisque tibi et cœlesti tuo Patri exprobratus, erupit seseque largissime diffudit fons inexhaustæ pietatis atque tui divini amoris, se divinæ justitiæ ac Patris iræ objiciens, quam justo Dei judicio pessimi meruerant blasphemi, ut clamore valido ex eximia charitate eaque ardentissima multis cum amarissimis lacrymis pro hostibus tuis universis Patrem deprecareris, dicens: *Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt*, miserabaris cordialiter, bone Jesu, tuæ furiosæ gentis cæcitatem; et licet tanta eorum esset malitia, ut excusationem non admitteret, nihilominus, quantum potuisti, ferventissima oratione tua eos apud Patrem excusasti, quod nobis antea docendo tradidisti, opere simul adimplens, ut amemus videlicet inimicos nostros, et oremus pro illis, qui nos persequuntur, sicuti quoque de te Propheta prædixerat dicens: *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam.*

Luc. XXIII, 34.

Matth. V, 44. *Luc.* VI, 27. *Psalm.* CVIII, 4.

Quam hinc modo liquido relucet, o dulcis et amantissime Domine Jesu, immensa tua erga nos et incomprehensibilis bonitas et dilectio, quod non læteris in perditione morientium, neque velis mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, qui omnes vis salvos nos fieri et neminem perire: cum tantis angustiis, tot innumeris doloribus correptus, tot blasphemiis et contumeliis affectus, adhuc voce lugubri dolorum tuorum quasi factus immemor, pro hostibus Patrem exorares, quando alii ob pœnarum vehementiam etiam sibi charissimos quosque amicos facile oblivioni tradant, nec possint vel pro seipsis orare, ita in doloribus absorpti.

Sap. I, 13. *Ezech.* XVIII, 32. I. *Tim.* II, 4.

Hanc tuam patientiam et benignitatem, is qui ad dextram tibi pependit latronum, ut vidit, quod scilicet Patrem pro illis etiam qui tot in te probra conjicerent, tam diris quoque affecerant cruciatibus, tam amicabiliter deprecareris, prorsus immutatus est, et cepit eum dolor ac pœnitentia scelerum suorum vehemens; in tantum etiam subito divino inflammatus est et corroboratus amore, ut minime vereretur coram furenti populo cœtuque principum sacerdotum, adversus te ceu rabidos canes vociferantibus, citra pudorem confiteri te verum Dei Filium et Dominum totius universi, nec pertimuit ministros denique omnes cum variis illic tormentorum armorumque generibus adstantes: sed in conspectu illorum omnium animo omnino imperterrito, mali nil te egisse, atque ita injuria, præter æquum et bonum, te ab eis crucifixum confitebatur, verbis castigans ad hæc socium suum in blasphemiis perseverantem, teque tam veraciter quam pie apud eum excusavit, dicens: *Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es? Et nos quidem juste; nam digna factis recipimus, hic vero nil mali gessit.* Et conversus ad te, bone Jesu, dicebat: *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum.*

Luc. XXI, 40, 41.

Unde obsecro, clementissime Jesu, latroni huic tam cita correctio? Qui dudum latro fuit infidelis ut alter, nunc confessor est Dei omnipotentis; quique paulo ante blasphemus erat, nunc laudator est et prædicator, discernens bonum a malo, et peccatorem reprehendens atque te excusans innocentem. O bone Jesu, hæc repentina mutatio est dextræ tuæ, ad quam ille pendebat; hæc intus tetigit eum, et e

Psalm. LXXVI, 11.

Digitized by Google

vestigio mutavit in virum alterum. Declarasti hic, Domine, quum immensam tuam bonitatem eum oculis misericordiæ tuæ tam benigne respiciendo, tum divinam tuam potentiam tam cito de lapide suscitando filium Abrahæ. Hunc subitum irradiantemque fidei splendorem non aliunde utique suscepit, quam ex proximo sibi lumine in Crucis candelabro posito : ex te, *Joann.* inquam, bone Jesu, qui es lux hominum, I, 9. verumque lumen omnem hominem venientem in hunc mundum illuminans, quod hic in tenebris lucens omnem erroris noctem profligavit, et gratiæ divinique amoris radiis eum illustravit. Quomodo alioquin, et in morte quidem, confiteretur Dominum cœli et Deum verum, a quo nullum signo- *Matth.* rum (ut tui Apostoli discipulique omnes XXVI, 56. *Marc.* XIV, conspexerunt, et tamen cuncti in fugam 66-72. conversi te deseruerunt, unusque eorum unius ancillæ voce perterritus ter te negavit) aut eximiorum miraculorum vidit unquam; quem etiam coram videbat miseriis, penuria et cruciatibus plenum, et humana fragilitate morientem ? Quæ omnia signa sunt Deo ac universorum Domino prorsus contraria. Quomodo etiam tam efficaciter humiliterque se ad te, pie Jesu, convertisset, totumque quod ei supererat liberum puta cor et linguam (cum clavis immobiliter cruci fuerit affixus) in laudem tuam expandis- *Rom.* X, set, ita ut juxta Scripturam corde crederet 10. ad justitiam, et ore te confiteretur ad salutem, nisi quod bonitati tuæ ita placuit facere, eique ex recentibus tuis vulneribus gratiam et dona tua infundere?

O amantissime Domine, benedicta itaque sit et in æternum glorificata piissima ac immensa bonitas, infinita prorsus et inscrutabilis misericordia tua, qua tam largissimæ gratiæ tuæ sinum aperuisti illi, non modo latroni, at etiam omni vere pœnitenti, qui toto ad te Deum se corde converterit, tibique pia cum fiducia innisus fuerit, præstans modo et reipsa hic implens, quod olim per Prophetam tuum *Ezech.* promiseras, dicens: *Quacumque hora pec-* XVIII, 22, *cator ingemuerit pro peccatis suis, iniquitatum ejus non recordabor amplius.* Non enim, opulentissime et perfectissime Deus, operum nostrorum indiges : sed cor *Psalm.* desideras ad te conversum humile ac resi- L, 19. gnatum, quale in hoc ipso latrone reperisti. Unde non multos ei imposuisti severæ pœnitentiæ annos aut purgatorii pœnas, pro peccatorum expiatione satisfactioneve: sed tanquam jam penitus te melefactorum ejus cepisset oblivio, quæ licet in eo admodum numerosa erant, misericorditer tamen vere pœnitenti cuncta ignovisti, nec quidquam in eo præter virtutes spectares, ita ad eum dixisti : *Hodie mecum eris in pa-* *Luc.* XXIII, *radiso,* multo plus ei conferens, quam ille 43. petere ausus erat: quia pro parva sui memoria duntaxat precatus est, penitus se in divinam tuam resignans voluntatem, totumque tibi se offerens, quidquid etiam demum agere secum velis.

At, o damnanda nequam latronis duritia, quem nec socii fraterna correptio, nec ingens patientia et benignitas tua, nec tanti amoris et clementiæ exhibitio emollire aut convertere potuerunt. Cernebat quidem ex te fluere oleum misericordiæ et gratiæ, plus dare quam peteretur, et superbior obstinatiorque fuit, quam ut petere vellet. Videbat dari vitam, cœlorum regnum distribui; nec animum adhibere voluit, ut desideraret; itaque nec erit ei, et quidem in omne ævum.

Interim vilissimi impiissimique carnifices, qui in Crucem te adegerant, vestes tuas satis abjectas et simplices in prædam rapiunt, inter se eas partiuntur, singulis singulas tribuentes partes; in tunicam au- *Joann.* tem inconsutilem, ne divideretur, sortem XIX, 23. *Psalm.* miserunt. Non autem ob hoc id solum fa- XXI, 19. ciebant vilissimi scurræ, quod adeo essent indigi, inopes atque viles; sed ironice quoque per Judæorum instructionem id faciebant tibi illudere volentes, et quasi jactantes nobilem se prædam obtinuisse, vestes puta tuas regias, unde omnes fieri divites possint, dividi oportere : atque idcirco inter se dividunt, ipsi hoc facto tuam tibi paupertatem exprobrantes.

Digitized by Google

Pro vera contritione peccatorumque remissione, et secura morte, precatio.

O BENIGNISSIME et clementissime Jesu, adoro, laudo et benedico te pro pietatis tuæ magnitudine et divini amoris exuberantia, quam latroni a dextris tibi pendenti, vere pœnitenti et misericordiam tuam ultima voce sua abs te postulanti, non minus dulciter atque prompte exhibuisti, eidem supra id etiam quod petierat promitttens; hoc est, non solum illius pollicitus es te habiturum memoriam, verum etiam peccatis dimissis: *Hodie,* inquiens, *eris mecum in paradiso;* o dulcissime Jesu, qui omnes pœnitentes hoc verbo quam suavissime refecisti, et nos miseros ad spem pie erexisti; obsecro te per amarissimam Passionem et innocentissimam mortem tuam, respice super me eisdem piissimis oculis misericordiæ tuæ, quibus hunc latronem in Crucis ara respexisti: frange duritiam cordis mei, et sanctæ compunctionis, dolorosæ contritionis gratiam citius nunc, et præcipue in mortis hora infunde, ut pœnitentiæ et amoris lacrymæ in unione omnium lacrymarum et guttarum pretiosi sanguinis tui in me abluant, quidquid contra te sponte unquam aut negligenter deliqui, ut ab omnibus maculis peccatorum, et negligentiarum in fonte immensæ misericordiæ, et in Passionis tuæ meritis in fine dierum plene expurgatus, anima mea per superabundantem et infinitam bonitatem tuam tibi perfecte reconciliata, per gratiam tuam adoptata, tuis meritis atque virtutibus ornata, charitate perfectissima inflammata, tibique unita, et secundum omne beneplacitum tuum tibi accepta, libera atque secura de manibus non modo omnium inimicorum suorum, verum ab omni etiam pœna ignis purgatorii alia, immediate emigret ad te, dulcissimum Redemptorem suum, benedictura tibi cum electis tuis omnibus sine fine per æterna secula. Amen.

Luc. XXIII, 43.

CAPITULUM SEPTIMUM DECIMUM.

Actio gratiarum pro inæstimabili dolore atque angustia, quem ex suæ dulcissimæ Matris præsentia Christus in Cruce habuit; pro ejus commendatione discipulo Joanni et hujus vicissim illi.

SUAVISSIMUM totum et unicum meum desideratissimum bonum, thesaurus animæ meæ, Christe Jesu dulcissime, quis satis exprimet aut meditando consequi poterit illum amarissimum dolorem, quo intus fuisti sauciatus acerbissime, ex præsentia sanctissimæ et dilectissimæ tuæ Matris semperque Virginis Mariæ, cum, qui corda nosti omnium, cuncta ejus, naturam et interna viscera, per intimam compassionem tecum pariter in Cruce extensa et clavis confixa videres, Corque ejus maternum et longe piissimum doloris acutissimi gladio transvulneratum, vultum in pallorem versum, hocque indicio animi sui angustias declarantem, et absque morte pene emortuam; cum aspiceres ferventes lacrymas, ceu dulcissimos rivulos quosdam, per gratissimas genas ejus et faciem ubertim cursimque manantes, ceu testes illius erga te doloris pariter et amoris; audires etiam gemitus miserabiles dolorum ejus gravissimo pondere expressos: cum præterea cerneres eamdem devotissimam Genitricem tuam prorsus amoris æstu liquefactam ac penitus deficientem, utpote Passionis tuæ cruciatu eam devastante te, exhaustam et quasi absorptam? Revera tunc novam ex ejus afflictione crucem in te recepisti, quandoquidem supra omnem creaturam amplius ipsa tibi, et tu illi magis dilectus eras, atque ita eidem compassus es eo amplius, quo eam pro te magis dolentem et gementem cerneres. Solus vero tu, qui scrutaris renes et corda, clare novisti gravitatem afflictionum ejus, universis quidem hominibus incomprehensibilem.

Act. I, 24.

Psalm. VII, 10.

Quanto itaque major et acerbior dolor Cordis ejus, tanto tibi coaugmentabantur dolores Passionis tuæ: quando et illius

Digitized by Google

crux tua erat, et tua vicissim illius. O quam amara igitur fuit, Jesu dulcissime, tibi Passio tua, qui non modo in corpore tuo, sed etiam in materno pectore crucifixus eras! Magnus quidem fuit dolor tuus externus, sed internus ex Matris conceptus angoribus et pressuris multo vehementior : unde cunctis tuis visceribus tam valido filiali amore et compassione commotis, ita Cruci adstrictus, et in ultimo pene spiritu constitutus, cum nullius membrorum tuorum amplius liberum haberes usum, nisi oculorum et linguæ, de utroque Matri servire satagebas respiciendo et alloquendo. Inclinasti itaque ad eam benedictum et reverendissimum caput tuum, ceu ultimum valedicens, et discedendi petens copiam, roseos quoque oculos tuos, adhuc calidis affluentes lacrymis, quos supervenientis mortis claudebat impetus, et impellebat ad defectum, vis amoris rursus aperiens ad Matris convertis aspectum.

Postremo labia tua mortis pallore obducta ei reserans, alium pro te occiso filium eidem substituisti fidelem, qui eam tui loco consolaretur, custodiret ejusque curam gereret, cum diceres : *Mulier, ecce filius tuus. Deinde ad discipulum : Ecce mater tua :* commendans vicissim curam ejus Matri, ut eum custodiret, protegeret, dirigeret et gubernaret, in hoc uno Joanne simul omnes gratiæ filios eidem commendans.

Joann. XIX, 26-27.

Ut in cunctis nostris angustiis et afflictionibus Jesu Christi ac Matris ejus sentiamus relevamen, precatio.

In unione omnium tuorum et Matris tuæ dulcissimæ Mariæ dolorum, rogo te, piissime Jesu, ut compatiaris nobis in omnibus angustiis et afflictionibus nostris corporalibus et spiritualibus, dirigens et temperans eas secundum optimum voluntatis tuæ beneplacitum. Et da mihi miserrimo servo tuo in illius miserabilis commendationis unione, ipsam in singulis matrem et patronam, ipsi me necnon totum utriusque vitæ meæ progressum semper commendans : ut videlicet ipsa me materna cura ad summum semper in omnibus promoveat et instituat profectum, et ut hujus lubricæ carnis et mundi continua pericula moderetur, inque omni me sanctitate custodiat, atque cordis et corporis puritate conservet, prius me non deserens quam ad desideratam tui fruitionem perducat.

Sed licet, o Virgo serenissima, nefandissimus et corruptissimus per omnia sim peccator, tamen in me, quæso, honora pretiosissimum Filii tui sanguinem pro me fusum, ex nequissimo servo me fidelem efficiendo filium, talem qualem secundum placidissimam virginei Cordis tui voluntatem me esse desideras. Quod ut facere digneris, obsecro te, per pietatem illius tui virginei Cordis, in quo semper requiescere et sub quo novem mensibus quiescere cupivit et desideravit Filius Dei vivi, Jesus Christus Dominus noster in æternum benedictus. Amen.

CAPITULUM OCTAVUM DECIMUM.

Actio gratiarum pro miraculis et prodigiis in Christi Passione eventis, atque pro mœstissima ejus derelictione suo a cœlesti Patre.

Tota unica et vera vita animæ meæ atque omnium viventium, Christe Jesu piissime, humanæ salutis amator et reparator ferventissime, qui cum crudelissime simul ac dolorosissime crucifixus atque ignominiose inter duos latrones suspensus, ab omnibus quoque tam Judæis quam latronibus et ministris convitiis et blasphemiis affectus fuisses, nec quispiam inter innumeros circumstantium palam te, præter latronem, confiteretur, neque eorum ullus vicem gratitudinis sive te excusando, sive verbum pro te loquendo aliquatenus redditurus, pro collatis pluribus sibi vel aliis curationum beneficiis, comparuisset aut se spectandum præbuisset : sola tunc Mater tua virginea et intemerata fidelissimaque Passionem tuam quum amarissimam tum innocentissimam mœstissime plangebat,

Joann. XIX, 18.

Matth. XXVII, 39-44

Luc. XXIII, 40.

Digitized by Google

eadem in mente perferens, in carne quæ sustinebas ; cui piissimæ tristissimæque Matri cœlestis Pater benigne sese sociavit, itidem tibi suo compatiens dilectissimo Filio. At in divinitatem cum nullus neque dolor cadat neque afflictio, per creaturas suas id operatus est, quod suæ minime congruit naturæ, ad mœrorem excitans commonensque mundum universum, ut creaturæ omnes pariter cum ea lugubres tuas celebrarent exequias.

Matth. xxvii, 46. Itaque sol splendoris sui retraxit et occuluit amœnitatem, totum hunc orbem *Marc.* xv, 33. afficiens mœrore atque suffundens tenebris ; terra quoque ad tantam exhorrescens malitiam, crudelitatem et impiorum hominum facinora, quos suis sustinebat *Matth.* xxvii, 51. humeris indignabunda concutiebatur, contremiscens pariter, indignam se agnoscendo, quæ pretiosum Filii Dei sanguinem imbiberet ; et saxa durissima, Judæorum arguentia crudelitatem et duritiem, quos tam diri non emollirent cruciatus, scissa sunt.

Interim tribus his horis a sexta ad nonam usque, in tot inæstimabilibus vivus pependisti, amantissime Jesu, cruciatibus, undique tibi magis accrescentibus, absque ullo relevamine aut interpolatione, indesinentem tibi continue laborem et nunquam requiem præstantibus, nulla ex parte vel minimam consolationem percipiens aut conspiciens : quandoquidem singula et universa omnium hominum delicta tibi imposita fuere expianda, ita ut nec minimum peccatorum, quod unquam commissum fuit aut committi potest, impunitum relinqueretur. Ideo penitus adeo Divinitatis tuæ se subtraxit consolatio, auxilium et influentia, ut tuam subtilissimam et nobilissimam humanitatem, quam æterna Sapientia sibi exquisivit, nudam super se solam stare permitteret. Nam, piissime Jesu, alioquin impossibile omnino erat divinæ satisfieri justitiæ pro tot et tantis et tam incomprehensibilibus flagitiis, impudicitiis, turpitudinibus ab initio mundi usque in finem commissis et committendis : ideo omni privatus solatio et consolatione in humana natura tua tantum perpessus es tristitiarum et dolorum, quantum æterna Sapientia tua pro justitiæ exactione statuerat atque definierat, quantumque pro justitiæ ratione ac modo pro tot peccatis satis esset.

Quapropter nonam circiter horam voce magna, lugubri querulaque clamasti adversum blasphemos illos denuo te crucifigentes Passionemque tuam tibi renovantes qui Passionis tuæ gloriam imminuere conantur dicentes, non tam acerbam neque tam tetris fuisse cruciatibus subditam tuam Passionem ; clamasti, inquam, vehementissima constrictus et actus angustia desolationeque nimia, ad Patrem tuum cœlestem et ad tuam ipsius divinam naturam : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* indicans nobis et simul ipsemet admirans et obstupescens tam immensum tuum erga nos amorem et bonitatem, ex quo ob vilissimos peccatores, ob scelestos et immorigeros prævaricatores, tot doloribus et angustiis, tantæ confusioni et ignominiæ, tam benigne et humiliter te submisisses : immensam et incomprehensibilem præterea hac voce magna nobis denuntians Cordis tui dolorem atque tristitiam, quod pro eo te et Patrem cœlestem blasphemarent, unde tibi laudes gratesque agere, et æternaliter amare deberent ; quodque in animabus tam innumeris superabundantissima Passio tua esset peritura. *Matth.* xxvii, 46.

Pro miti omnium adversitatum sufferentia, et plena sui in eis resignatione, precatio.

O AMANTISSIME et dulcissime Jesu, afflictorum requies, et desolatorum consolatio, per hanc mœstissimam desolationem tuam, qua ab omnibus notis et amicis, a Patre quoque cœlesti, ut conquestus es, derelictus fuisti, obsecro te in unione amoris, quo omnium hominum onera portasti, fac me in omni tempore desolationis et tristitiæ ad te solum, tanquam ad fidelissimum Patrem recurrere, te ferventissime

Digitized by Google

humiliterque invocare, in te confidere, tibi me credere, in te solo sperare, de me penitus diffidere, auxilium et beneplacitum tuum constanter exspectare, cunctas adversitates meas cum gratitudine de manu providentiæ tuæ et de voluntate paterni Cordis tui suscipere ; pro etiam tui amore, quamdiu tibi placuerit, cum plenissima meiipsius resignatione, longanimiter ad laudem tuam meamque et Ecclesiæ tuæ salutem, in unione amorosæ mortis tuæ sustinere : ita duntaxat ut me tua gratia confirmes, ne unquam te vel in modico offendam vel a sanctissima voluntate tua discedam. Atque utinam possem omnium et singulorum, qui pro te passi sunt hominum, pressuras solus sufferre, ut qualemcumque vicem redderem tuæ infinitæ et immensæ erga nos charitati !

Eia, benignissime Jesu, ita, quæso, unias voluntatem meam cum tuo sanctissimo beneplacito, ut aliud optare nequeam, quam quod tu vis, cum perfecta abnegatione cujuscumque proprietatis. Ecce me totum jacto in te ; tu, quæso, suscipias et non derelinquas me. Amen.

CAPITULUM NONUM DECIMUM.

Actio gratiarum pro spirituali et naturali Christi siti in Cruce acerrima ; itidem pro fellis et aceti potatione amarissima, necnon pro operis redemptionis nostræ consummatione fidelissima.

Vera et unica piarum mentium dulcedo et gaudium, Christe Jesu piissime, adoro, laudo benedicoque te pro infinita prorsus et insuperabili tua erga nos dilectione, qua, licet undique pœnis et angustiis æstuares, pro peccatis nostris etiam superplenissime, idque ex sola nostri dilectione, jam luisses : attamen ad immensum nobis tuum evidentius demonstrandum amorem, amplius videlicet patiendi pro nobis ardentissimo et incomprehensibili flagrasti amore. Unde præ æstuanti amore nostri prorupisti, clamans : *Sitio ;* ac si minime expletum esset desiderium tuum, nondum satisfactum esset Cordi tuo longe piissimo, quod nostræ salutis gratia totus exhaustus esses et consumptus, perhorribiles perpessus dolores et angustias, exprobrationes et blasphemias, labores et innumeras miserias, quod pariter omnem pene sanguinem tuum pretiosum tam amorose quam mitissime effudisses : quin etiam, si possibile tibi foret Patrique cœlesti gratum, nostrum omnium ob salutem et conversionem, millies vel ultra millesies millies denuo te crucifigi, vel ad extremum usque judicii diem illis in doloribus ac miseriis pendere, faceres id utique quam libentissime, tantum ut immensum nobis Cordis tui testatum redderes amorem, saxeaque pectora nostra emollire et ad te vicissim amandum accendere posses, æstuantissime nimirum sitiens cunctos homines Patris tui exequi voluntatem, ambulando in præceptis tuis, veræ pœnitentiæ agendo opera, cunctisque sese exornando virtutibus, quo redemptionis tuæ participatione et gloriæ tuæ consortio dignos sese facerent. O quanto cum desiderio hoc exoptasti ! O quantopere triginta tres annos hujus gratia desudasti ! Hac de causa et medullas et Cordis tui sanguinem consumpsisti ; plane vel millies potius crucifigi te passus fuisses, quam tua ex culpa ullam sinisses perire animam.

O quam cruciabiliter itaque intus affligebaris, dum te et fecisse omnia quæcumque poteras, et vel centuplo plus quam fuisset opus sciveras, et tamen tam paucos te lucratum esse prævideras ! Jam corpus tuum pene redactum erat in nihilum, sanguis omnis effusus, nihilque quod ageres restabat, adeo ut fateri cogereris et dicere : *Consummatum est ;* et tamen cunctis laboribus atque doloribus tuis non majorem Patri tuo fructum atque lucrum, non tamen ex tua negligentia sed nostra perversitate, fecisses. Et revera plus te omni tua afflictione cruciavit, quod in tam duro certamine non augustiorem esses adeptus victoriam. *Joann.* XIX, 30.

Digitized by Google

Præter hanc vero sitim tuam spiritalem, nihilominus, piissime Jesu, etiam plane ignitissimam naturalem patiebaris sitim, præ nimia siccitate Cordis tui, præ vehementissima acerbitate pœnarum, præ multiplici et copiosissima sanguinis effusione, præ nimia benedicti corporis tui debilitatione et arefactione, quidquid etiam habuisti humoris lacrymando pene emisisti. Sed heu, dulcissime Jesu, licet omnium Creator esses et Dominus, tantam tamen pro me sustinere voluisti paupertatem, ut vehementissimam sitim patienti non esset qui vel aquæ tibi guttam porrigeret, deesset aqua quæ te refrigeraret, adessent vero qui clamanti et æstuantem sitim conquerenti acetum felle mixtum propinarent. *Matth.* xxvii, 48. Hoc licet potu utcumque siti mederi potuisses, gustare tamen illud non autem sumere voluisti, utpote cruciatum eligens non refrigerium, acerbioribus temetipsum cruciatibus afficiens, quo in cunctis tuis membris ac sensibus torquereris, utque Adæ peccatum, quod per gustus delectationem admissum erat, per hunc acerbum et molestissimum gustum corrigeres.

Sed, o Judæorum insatiabilis livor, duritia et amaritudo ! o inexstinguibilis crudelitatis ardor et obstinata malitia, quod cuncta hæc tormenta, sanguinis profusiones et immanissimi cruciatus, quibus te affecerant, cruentam eorum nondum expleverint sitim ! Jam in ipso te mortis articulo positum videbant, nec tamen a cruciamentis sibi temperabant. Hæc eorum invidia et inclementia plus te torsit, quam ipsa potus amaritudo ; itaque felleo hoc degustato potu : *Consummatum est,* inquis, *Joann.* xix, 30. nil superesse indicans, quam ut in mortem amarissimam tuam dilectam traderes animam : significans pariter in Passione tua impletas esse prophetias omnes, figuras, mysteria, Scripturas, sacrificia atque promissa, quæ de te prædicta scriptaque erant : consummatum esse quoque quidquid æterna Sapientia constituerat ut patereris ; quidquid rigida justitia pro singulis quibusque exigebat, quidquid charitas amanter poscebat ; quidquid ad nostram redemptionem erat accommodum ac necessarium ; quidquid nostris abolendis debitis erat conducibile, quæcumque ad nostras explendas resarciendasque negligentias conferebant ; quidquid gloriosum ac amicabile esse poterat ad sublimem et immensum nobis tuum demonstrandum amorem; quidquid pro nostra spirituali institutione ac informatione desiderare potuissemus. Cuncta, inquam, hæc isto tuo sunt determinata verbo scilicet : *Consummatum est ;* quo tanquam in uno fasciculo omnem laborem, afflictionem et mœstitiam tuam, universum denique obedientiæ tuæ opus Patri obtulisti pro electis omnibus ; quasi diceres : Exsecutus sum, mi Pater, gratissimam voluntatem tuam, manifestavi *Joann.* nomen tuum hominibus, opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam ; nihil eorum, quæ injunxisti, non perfeci , hoc unum reliquum est, ut ad te veniam, hoc est, ut ex hoc mundo moriendo emigrem. xvii, 6.

Pro siti et incendio divini amoris ; pro perfecta sui abnegatione et detestatione omnis carnalis delectationis, pro divinæ itidem voluntatis adimpletione seu consummatione, precatio.

In unione multiplicis æstuantissimæ sitis tuæ, obsecro te, piissime Jesu, mitte ignem in ossa mea, spiritualia scilicet, de excelso, de divino tuo amoroso Corde, totas meas accendentem vires, ad te fontem vivum, ad te unicum bonum meum impatientissime semper sitiendum ardentissimo cordis affectu, et fideli operis affectu redamandum. Et da mihi servo tuo hanc gratiam, ut digne tibi offeram verum ferventis devotionis vinum, mixtum myrrha, prorsus a meipso cunctis pravis desideriis affectionibusque creaturalibus emoriendi, fortiter meipsum mortificandi et plenissime resignandi ; fel etiam amaræ contritionis et operum pœnitentiæ mihi concede ; da insuper ut tuæ acerbitatis calicem amara cordialique compassione in anima mea

Digitized by Google

quotidie portem, perfecta imitatione alacriter semper arripiam, et cum avido desiderio bibam, ut mihi in tali unione fiat dulce, quidquid carni et sensualitati est amarum et afflictivum : atque e diverso totum mihi vertatur in amaritudinem quidquid mundo, carni et sanguini fallaciter blanditur.

Postremo, quia ad hoc consummasti opus tuum, nostræ scilicet redemptionis, ut nos simus in bono consummati, et inimici nostri omnes consumpti, rogo te, Domine Jesu Christe, gratiam da mihi mandata tua perficiendi, in tuo servitio nunquam languescendi, nunquam deficiendi, crucem onusque assumptæ Religionis per te mihi impositum usque in finem ferventer portandi, et quotidie in tuis sanctissimis virtutibus proficiendi, ac omnia, per gratiam tuam a me bene acta et passa, ad tuam solius laudem consummandi, et consummata tibi et per te Deo Patri offerendi, ut in hora mortis meæ possim dicere : Ecce, Domine, consummavi et perfeci opus tuum, quod præcepisti mihi ut facerem ; venioque nunc ad te Dominum ac Magistrum meum Patremque desideratissimum, recipe me venientem ad te. Effice, piissime et amantissime Jesu, salvator et redemptor meus, ut a te tunc audiremerear tuam illam dulcissimam vocem : Veni, amica mea, veni, dilecta mea, quia jam tuas disposui consummari penurias et pressuras ; veni mecum in regno meo cum sanctis Angelis epulari, jucundari et commorari per infinita seculorum secula. Amen.

CAPITULUM VIGESIMUM.

Actio gratiarum pro cunctorum Christi sensuum pergravi in Cruce dolore, pro flebili itidem et amara morte ejus.

Christe Jesu, salvator et redemptor generis humani fidelissime et amantissime, dulcedo omnium justorum, pœnitentium salus, electorum omnium amor et vita, en corde humili ac animo contrito commoneo te, et oculis divinæ majestatis tuæ nunc repræsento immensos illos et perhorribiles, quos in singulis tuis sensibus innocentissimis perpessus fuisti dolores, dum tribus continuis horis absque ulla vel ad oculi momentum intercisione aut relevamine in immensis et incomprehensibilibus in Cruce perdurasti doloribus, undique singulatim singulis te inæstimabiliter coangustantibus. Quanto tunc dolore visus tuus obstupuit, quando et unicæ Matris compassionem, discipulorum desolationem, amicorum infidelitatem, inimicorum obstinatam crudelitatem propriique corporis dilacerati miserandam intuebaris speciem ; quando demum præ mortis horrore obtenebrati eversique sunt oculi tui, ipsis carbunculis clariores ! Aures tuæ sanctissimæ Judæorum iniquorum insultationibus et improperiis sunt repletæ, atque Matris tuæ mœstissimæ amicorumque aliorum ejulationibus ac querulosis lamentantium vocibus sunt gravatæ ; odoratus tuus nobilissimus ex fœtore injectorum tibi phlegmatum et putentium cadaverum in loco tuæ crucifixionis, odorem fœtidissimum spiravit ; gustus tuus suavissimus amaro fellis poculo fuit miserabiliter infectus, ut non solum exteriora tua membra pro nobis vehementer undique afflicta doloribus replerentur, sed et interiora tua cuncta amaritudine et intolerabili cruciatu torquerentur. Totum quoque corpus tuum tactus nobilitate mollissimum, et præ naturalium optima dispositione et nobilissima complexione delicatissimum, ac doloris perceptibilitate tenerrimum, duris verberibus, durioribus crassis et obtusis clavis et acerrimis flagellis est consumptum, conscissum et dilaceratum. Insuper præter hos externos vehementissimos cruciatus interius multipliciter et intensissime affligebaris ad mortem usque indesinenter, ob venarum tuarum rigorosam extensionem, nervorum rupturam, viscerum distensionem et dilacerationem, Cordis et animæ tuæ multiplices tristitias atque mortis angustias.

Porro, jam undique Cordis et corporis

Digitized by Google

se ampliantibus angustiis ac cunctis deficientibus viribus, quibus etiam ante pene fueras totus exhaustus, cruore sancto largiter pro nobis effuso, miserrimus, cruento Crucis ligno inhærens aridus, squalidus, deformis ac veluti tenerrimus ligni vermiculus et non homo, omni specie decoreque privatus, cœpisti demum inter hæc, o Samson fortissime et fons vitæ, qui omnia sustentas, omnia gubernas, omnia vivificas, flebili et acerbissima agonia ad mortem tendere : mœstissima Matre tua cæterisque amicis expirationem et consummationem innocentissimæ vitæ et animæ tuæ trementibus visceribus miserabiliter præstolantibus. O te, dulcissima vita omnium viventium, quam horribili pressura, tremendo luctamine et duello inter se mors et vita decertabant ! O quam mortiferis insultibus, quam intensissimis cruciatibus, quam diris aculeis nobilissimum Cor tuum, divinitatis tuæ gazophylacium, a diræ mortis jure concutiebatur, tundebatur, pulsabatur, donec illud tempus adveniret ab æterno dispositum, quo non coacte, sed tuapte voluntate, ut prædixisti, animam tuam poneres, et pro nobis mortis juri vitam traderes ! Tunc autem clamore valido, ad significandum inconsuetum moriendi atque manifeste voluntarium esse expirandi modum, te Patri commendans, dixisti : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*. Et hoc dicto, versus Matrem mœrore tabescentem, quasi ultimum et tristissimum vale ei relinquendo atque significando, inclinans caput, amarissime lacrymantibus oculis, patefacto jam mundo misericordiæ tuæ sinu, tabescentibus visceribus, obrigentibus membris, rupto Corde, in amarissimo cruciatu, in invictissimo atque fortissimo amore, voce magna clamans, eidem Patri æterno spiritum tuum tradidisti.

Joann. x, 15.

O quanta pœna, quanta acerbitas mortis hujus, dum Creator occiditur, vita moritur, Filius Dei immensus, immortalis, Deo Patri coæqualis, tremendæ Dominus majestatis, Dominus Sabaoth, pro peccatorum hominum sordibus necatur ! O qualis illa fuit separatio ; o quam triste divortium ; quis illic mœror et angustia ; quis cruciatus et pressura fuit, cum anima illa excellentissima a dignissimo illo atque sacratissimo corpore, in quo triginta tribus annis tam dulciter, pacifice, jucunde et sancte, haud secus quam duo amantes in lectulo uno, quieverat, jamjamque discedere cogeretur ! Quam ægre se divelli ab invicem patiebantur, inter quæ nulla unquam discordia, lis nulla, dissidium nullum, nec ulla fuerat suborta simultas ! O quam gravis et ineffabilis illa crux erat, quando sanctissimum illud corpus, tam fidum amicum, tam pacificum patremfamilias, tam pium denique cogebatur præceptorem et magistrum dimittere ! Quanto itidem cum mœrore præclara ac nitida illa anima a tam fideli servo avellebatur, qui ne unquam quidem vel in modico spiritui rebellavit, nunquam ejus dominium refugit, nunquam spiritui recta ac sancta monenti restitit ; quique semper morigerum spiritui exhibuit famulatum ! Ideo nusquam sibi pepercit, non frigus, non æstum, non famem, non sitim declinavit ; quinimo labores et dolores innumerabiles quam patientissime toleravit, ut suo muneri faceret satis. O quam ingens, quam immensa fuit hæc, suavissime Jesu, tibi crux et afflictio ; quam vehemens cruciatus et dolor, dum a sese divellerentur anima illa sanctissima et sacratissimum tuum corpus, inter quæ tam mira semper concordia, tam stupenda dilectio, summum gaudium, imperturbata pax, ac maxima fuit jucunditas !

Pro sui reconciliatione, peccatorum remissione ; pro perfecta sui mortificatione, simplici rectaque intentione ; denique pro felici et secura morte, precatio.

Quid tibi miserrimus, salus et spes animæ meæ, Christe Jesu dilectissime, digne retribuam, pro immensa et profundissima charitatis tuæ erga me abysso, quæ adeo fidelissime in finem usque me dilexisti, et neutiquam pro me dedignatus sis tam igno-

Digitized by Google

miniosissimam simul et amarissimam subire mortem, quo a morte perpetua me redimeres, et regni tui cohæredem faceres? En laudo, exalto, benedico et infinities (si possibile foret, licet id nihil tamen adhuc esset) gratias tibi ago ex omni anima, universo corde, totis viribus et omni facultate mea, quod ex gratuita tua bonitate, crimina quæ solvere debui et non potui, tu, innocentissime Domine, exsolvisti, expiasti et luisti. Sed, benignissime et suavissime Domine Jesu Christe, cor meum tremore cohorrescit, omnia mea viscera atque interiora pavore contremiscunt, dum considero profunditatem tuæ gravissimæ Passionis, dum pariter certissime et clarissime perspicio, scio et agnosco me tantarum harum, (cum nulla in te sit inventa iniquitas,) causam fuisse passionum, meque mortis hujus occasionem dedisse. Væ, væ mihi itaque ingrato peccatori, et iterum væ mihi miserrimo! Quid enim dicam, quid, quæso, respondebo, ubi tunc abscondi potero, quando istius a me districta exigetur ratio, quando pretiosus tuus sanguis meis de manibus severo examine exquiretur, quem toties indigne contempsi, tot tantisque peccatis et turpitudinibus quasi interioribus pedibus proculcavi, rejeci, et ignominia multiplici, quantum in me fuit, affeci? Quo a furoris tui facie fugiam, nescio; quo me miserum abscondam aut convertam, ignoro, nisi ad te Dominum Deum et Patrem meum, meam unicam misericordiam, spem et salutem.

Psalm. CXXXIII, 7.

Unde revertor ad te, cum omni humilitate ante oculos divinæ majestatis tuæ prostratus, atque ex imo cordis mei adversum me omnes meas innumerabiles et singulas confiteor injustitias, scelera et ingratitudinem : quibus unquam a prima, qua peccare potui, hora in præsens usque momentum divinam tuam offendi bonitatem, atque in talia te perduxi, innocentissime Jesu, tormenta; toto corde amorosum tuum Cor efflagitans, ut virtutem tui pretiosi sanguinis atque singularum tuarum passionum digneris super miseram meam animam effundere, eamque ab omni abluere et depurgare macula atque genuino suo, quem amisit, decori et integritati restituere. Tantam ex sacratissimis insuper tuis vulneribus animæ meæ influere digneris gratiæ tuæ largitatem, qua in unione tuæ tam diræ et voluntariæ mortis perfecte toti mundo, mihiipsi, omni privato amori cunctisque pravis affectionibus funditus emori possim. Quod equidem ex intimo corde veraciter cupio, dicens tibi resignatissima voluntate : *Domine, quid me vis facere? Non mea, sed tua voluntas fiat,* amantissime Jesu ; item : *In manus tuas commendo spiritum meum.* Unde et corporis quoque et animæ meæ vires omnes, totum denique me, quod sum, habeo et possum, offero in laudem tuam, ut secundum optimum voluntatis tuæ beneplacitum regas me, possideas, ducas et perducas in finem, in quem me creasti et denuo redemisti. Da igitur obsecro, mihi, Deus liberalissime, rectam in omnibus et simplicem intentionem, ut solam tuam voluntatem in cunctis requiram et intendam : nihil affectem, faciam aut dimittam, nisi pure et simpliciter propter te, ut in te cuncta rectissime dirigam, quatenus tu sis omnium factorum meorum, totiusque vitæ meæ principium, intentio, medium, finis et consummatio.

Act. IX, 6. *Matth.* XXVI, 42. *Luc.* XXIII, 46.

O mi amabilissime Domine, quando tandem hoc erit, ut mihi tu sis pure omnia in omnibus? Heu, quamdiu cæcus ero, vagus et aridus, piger et tumidus, nudus, miser et miserabilis? Converte ergo me, Domine, et convertar totus ad te in mutatione dextræ Excelsi, sicut torrens in austro, ut auxilio gratiæ tuæ deinceps tam pie, tam religiose, tamque sancte in hoc, ad quem me vocasti, statu degam; quo extrema in necessitate, cum a corpore anima mea separanda erit, pium et fidelem te defensorem ac adjutorem merear, ne aut magnitudine tentationum aut acerbitate pœnarum aut hostium meorum terrore superer, vel in desperationis barathrum immergar : sed tua dulci præsentia refectus, fugatis inimicis peccatisque cunctis deletis, totus mundus hinc exiens, in manus tuas ac in

Thren. V, 21. *Psalm.* LXXIX, 8. *Ibid.* CXV, 4.

Digitized by Google

glorificata jam tua vulnera extremum meum spiritum exhalare, ac ad cœlestia tua perduci tabernacula merear cum cœlestibus civibus, per tuam largissimam misericordiam sociandus, ubi sine fine te laudem et benedicam semper. Oro etiam te, piissime Jesu, ut mors tua amarissima sit defunctis omnibus requies, consolatio et vita sempiterna ; sanguis tuus pretiosissimus, misericordissime Jesu, in purgatorium descendat, et defunctorum omnium pœnas aut refrigeret aut exstinguat penitus. Amen.

CAPITULUM VIGESIMUM PRIMUM.

Actio gratiarum pro superexcellenti Dei erga nos amore, quo non modo tot tantaque salutis nostræ gratia assumere, facere, sustinere, ac demum in ignominiosissimam et acerbissimam mortem animam suam nobilissimam tradere non refugit, verum etiam se mortuum totum pro nobis ardentissime impendit.

Jesu benignissime, tu es solus amor, salus et consolatio mea. O amator hominum fidelissime, Creator et Redemptor meus, lumen cordis mei, solatium spiritus et medicina animæ meæ ! Adoro te, conciliator hominum, advoc ae piissime peccatorum, laborantium refrigerium, solamen oppressorum, merces justorum omnium ; adoro te, placabile et gratum sacrificium, hostiam pacificam, qui sola odoris tui suavitate Patrem tuum in excelsis commorantem benignissime inclinasti pariter et commonuisti, ad respiciendos nos in misericordia et miserationibus, ut reciperet nos in gratiam suam faceretque regni sui cohæredes. O misericordissime Jesu, en confiteor, laudo, exalto, benedico et glorifico immensam, inexhaustibilem et superefluentem tuam erga nos misericordiam et charitatem ; qua non satis erat majestati tuæ, esse te Dominum, creatorem et protectorem nostrum ; sed et redemptor, consodalis, frater, caro et sanguis noster fieri voluisti, et esse particeps infirmitatis, paupertatis et mortalitatis nostræ, qui nullius prorsus indiges. Ad hæc triginta tribus annis pro salute nostra tam fidelissime laborasti, tam laboriosissime desudasti. Quoties, misericordissime Jesu, itineribus es fatigatus ! Quoties in oratione pernoctatus ! Quoties prædicando lassatus ! Quoties æstu, frigore, siti et fame, paupertate, contemptu, contumeliis et injuriis affectus ! Demum etiam, quod maximum est, nobilissimam animam tuam pro nobis adhuc inimicis in mortem tradidisti turpissimam et amarissimam. Insuper tam stupendæ et amplissimæ dilectionis tuæ magnitudini non sufficiebat adhuc, tam eximia amoris insignia, tam immensa beneficia nobis vilissimis et ingratis contulisse (quod videlicet triginta tribus annis nostra pro salute laboraveris) atque tam multipliciter, dolorosissime et ignominiosissime pro peccatorum nostrorum plena ac justa satisfactione passum esse : nisi etiam post mortem ignominiam illam maximam tibi voluisses irrogari, ut in piissimum Cor tuum amore vulneratum diræ lanceæ mucronem, a quodam tunc crudelitate et superbia sæviente milite, infigi velles et transvulnerandum exponeres. Ast, quare Cor tuum superbenedictum tam horrenda voluisti perfossione patefieri, nisi ut infinitam dilectionis tuæ magnitudinem et quantum nos diligeres, et ex quanta charitate pro nobis cuncta illa agendo et patiendo susceperas, monstrares? Dum nimirum dilaceratis propter nos et attritis cæteris membris omnibus, Patrique in hostiam vivam, puram, placabilem pro nobis oblatis, cum jam altius et amplius charitatem tuam nimiam monstrare non posses, Cor tuum, hujus charitatis secretarium atque gazophylacium, consecrare et expandere voluisti, ut unde cætera, quæ propter nos feceras, processissent, quasi visibiliter conspiceremus : cum nihil tibi reservans Cor tuum et omnia nobis communicares, perinde plane ac si nobis (quorum utique obstinati cordis duritiam novisti) ex alto proclamans, diceres : Attende,

Digitized by Google

o homo, et vide, qualia et quanta tua pro salute passus sim ! Cum adhuc inimicus esses, reduxi te in gratiam apud Patrem meum ; cum tanquam ovis perdita oberrares, multo sudore et labore diu te quæsivi, et inventum magno cum cruciatu meis humeris ad Patrem reduxi. Caput meum spineæ coronæ supposui, manus ac pedes clavis objeci, totum corpus patienter verberibus submisi, sanguinem meum ad extremam usque guttulam effudi, ex ardentissimo Cordis mei erga te amore me totum ab intus et foris pro te atterendum et tormentis dilaniandum expendi ; denique in mortem dedi dilectam animam meam, et totum salutis tuæ et obedientiæ meæ opus fideliter, perfectissimeque consummavi. Nihil restat ultra faciendum ; sed et nihil est in meis viribus, quod ultra tibi impertiar : fortis fuit, sicuti vides, ut mors mea dilectio, ut te amore mihi conjungerem ac unirem, et tamen te mihi subducis et divideris a me ? Si adhuc inter hæc, obdurate fili Adam, possit congelatum pectus tuum non liquefieri, non fortiter commoveri, non valide concuti et intime affici ; accipe insuper post hæc omnia, et intellige intimum Cordis mei sanguinem, superexcellentis et superabundantis amoris indicium atque argumentum ; et si quid est in me, quod ultra facere possem, aut si aliquid adhuc a me exigere posses, etiam paratissimus ecce sum me mortuum quoque totum vobis ardentissime impedire. Quid ultra, responde mihi, a me petis ? Edicito quidpiam, quo te mollire, convertere et ad mei possim amorem pertrahere, et certe præstabo illud tibi.

Pro jugi inhabitatione dulcissimi Cordis et sacratissimorum vulnerum Jesu, pro perfecta sui unione cum Deo, pro inexstinguibili Dei amore, precatio.

Pro dilectionis tuæ magnitudine gratias tibi, etiam si possibile esset, licet adhuc exiguum esset, infinitas ago, et te Deum meum patrem et salvatorem adoro, laudo et benedico, quod omnibus quacumque afflictione aut corporali aut spiritali oneratis, et ad te vocantem venire confugereque volentibus, charitatis miserationisque tuæ ostium aperuisti, ubi pœnitentibus esset plenum remedium, tentatis refugium, infirmis auxilium, tristibus solatium, justis refrigerium, et omnibus ad te aspirantibus jucundissimum, salutiferum ac in hac vita desideratissimum habitaculum. Necnon de indicibili totius tuiipsius pro nobis tam vilissimis sarcinis ex pensione omniumque virium tuarum exhaustione ; pro abundantissima et largissima effusione benedictissimi sanguinis, omniumque humorum corporis tui consumptione, usque adeo ut nec minima sanguinis in te gutta manserit, in sordium nostrarum ablutione non elargita, plus millies te adoro, laudo et benedico. Nam quidquid vivens sive mortuus in te habuisti, totum pro nobis Patri in pretium nostræ salutis et pios animarum usus expendisti et obtulisti : remanens ipse exsiccatus et aridus veluti botrus in torculari expressus.

Per hanc superexcellentem et amplissimam dilectionem tuam, obsecro te, Jesu dulcissime, aperi mihi ostium Cordis tui, januam vitæ, portam misericordiæ ! Patefac mihi istum fontem gratiæ, et noli, quæso, me excludere ab illo Cordis tui amore, ad quem aditum omnibus te sitientibus, te quærentibus patefacere, sola dilectione movente, voluisti, uti ibi in tutissimo asylo, quiete amœnissima, tabernaculo fiduciæ, requie opulenta perpetuo columbina habitans puritate, columbina nidificans simplicitate, ab omnibus exemptus sim insidiantium periculis, qui in hoc mari (cujus fluctibus, heu miserum, hic nimis jactor) pusilli et magni, quorum nec est numerus, circumeunt, quærentes animam meam escam sibi, rugientes ut leo ad prædam. Conclude, dulcissime Jesu, omnes sensus, affectus motusque cordis mei et totum hominem interiorem intra sanctissima vulnera tua, nec usquam extra te me patiaris evagari, sed in meditatione benedictæ Passionis tuæ indesi-

Is. xxxii, 18.

Psalm. xxxi, 21.

Digitized by Google

nenter occupari : quia magis quam cunctis creaturis tuis id mihi necessarium scio, qui toties tamque repetitis vicibus per diem per sensus meos me extroverto, et tibi intus in anima mea commoranti non intendo.

O charitas ardens et nunquam deficiens, utinam illo igne, quem misisti in terras et voluisti vehementer accendi, cor meum immundum spurcitiaque plenum ita quoque cremes et comburas, ut nulla unquam mundi consolatione vel desolatione tepescat, sed perpetuo tui amore languens, nullam extra te consolationem recipiat : sed ut omnibus, quæ citra te sunt, perfecte mortuum et quasi insensibile, tibi, unica vita mea, perpetuo vivat. Unde obsecro, attrahe illud per pretiosissimum vulnus benedicti lateris tui ad amantissimum Cordis tui arcanum, ut cor meum Cordi tuo divinissimo indissolubili dilectionis vinculo uniatur, in te absorbeatur et sepeliatur : quatenus eo in te perfecte absorpto, tu in me et ego in te habitem et permaneam inseparabiliter in idipsum confœderati : ut sic omnia tua mea sint, et omnia mea, per plenissimam resignationem, tua. Rogo ergo te, dulcedo cordis mei, accipe illud, et da mihi Cor tuum, aut certe cor secundum Cor tuum, aut transvulnera interiora cordis mei mucrone atque jaculo validissimi amoris acerbissimæque Passionis tuæ, quatenus ex hac salubri vulneratione perfectam consequatur sanitatem, quod hinc in omne ævum tibi uni consecratum ita solus regas, custodias, possideas, sicut tuum fecisti, in omni Dei Patris semper beneplacito, ut tibi soli adhæream, nullum præter te amatorem admittam : sed tua largiente gratia, perpetuam fidelitatem, castissimam quoque animæ et corporis puritatem cum omni humilitate tibi exhibeam, ut tibi soli dilecto suo cor meum semper sit pervium et apertum, sibi et mundo alienum, diabolo clausum, et contra quæcumque tentamenta signo Crucis et vexillo Passionis tuæ undique præmunitum. Et nunc quoque eadem hæc universa et singula pro amicis meis specialibus vivis et defunctis suppliciter precor per Cor tuum piissimum : his refrigerium et requiem sempiternam, illis præstes gratiam atque misericordiam, et in optimo tuo beneplacito cunctos perficias. Amen.

Luc. XII, 49.

CAPITULUM VIGESIMUM SECUNDUM.

Actio gratiarum pro longa Christi post mortem suam in cruce pendentia, pro humili et luctuosa ejus de Cruce depositione, itidem pro mœstissima atque honorifica ejusdem sepultura.

Zelantissime ac fortissime zelotes honoris divinæ justitiæ nostræque salutis, Christe Jesu, in æternum benedicte, α et ω, principium et finis omnium visibilium et invisibilium, mortis destructor vitæque reparator, te cum tota cœlestium et terrestrium creaturarum universitate, adoro, laudo, benedico, et gratias tibi ago, pro singulis et universis, quæ hactenus tam stupendo modo agere et pati ab initio usque in finem tam desideranter voluisti, tam fideliter quoque consummasti. Singulariter autem pro longa illa crucipendentia tua usque ad vesperam, cum post mortem tuam tres continue horas pendebas in Cruce nudus et lividus, pallidus et deformis : nec vivus volens de tua Cruce descendere nec mortuus, quo omnes inimici tui plenum haberent ex te gaudium, cum se viderent omnem suam in te complevisse voluntatem : hoc est, malitiam, livorem et crudelitatem.

At tandem Matris tuæ cæterorumque amicorum vehementissimæ et acerbissimæ compatiens tristitiæ, pio illorum erga te amori ac sollicitudini providisti, mittens duos misericordiæ viros ad deponendum et sepeliendum sacrosanctum corpus tuum. Pro qua pietate, providentia et compassione tua ex parte et affectu dulcissimæ Matris tuæ Mariæ, benedico et præcordiales tibi gratias ago, amantissime et fidelissime Jesu. Sed et vos benedicti sitis a

Matth. XXVII, 57 *Marc.* XV, 43. *Luc.* XXIII, 50. *Joann.* XIX, 38.

II. *Reg.* II, 5.

Digitized by Google

Domino, o viri misericordiarum, qui fecistis hanc misericordiam cum rege Christo Domino Deo vestro, ut eum honorifice traderetis sepulturæ, et fidelitatem, quam ante viventi exhibuistis amico, etiam nunc uberiori devotione curastis exhibere defuncto.

Quanta vero cum devotione et desiderio, dulcissime Jesu, quamque amanter piissima et virginea Mater tua corpus tuum sacratissimum a Cruce jam depositum, licet emortuum, tamque inhumaniter conscissum, dilaniatum et undique sacro tuo cruore tinctum et respersum maternis suis est amplexa brachiis, suo appressit pectori, et in virginale suum collocavit gremium! O quam tota tunc tuam proruit in faciem, tametsi ita deformem ac mire deturpatam, insatiabiliter eam exosculans! O quam tunc ferventes lacrymulæ per dulcissimam ejus faciem ceu rivuli amœnissimi decurrerunt, aliæ alias antevertere et quasi certatim sacrum corpus tuum lavare gestientes! Sed et ferventissima amatrix et discipula tua Magdalena, o quam devote procul dubio ad pedes tuos corruit, apud quos tantam olim erat gratiam consecuta, denuo lacrymis suis eos abluens sacrisque vulneribus innumera affigens oscula, eamdem tibi defuncto quam adhuc superstiti humanitatem exhibens et amorem! Rediere tunc Apostoli qui fugerant, et plorare tam suam infidelitatem cœpere mœstissime, quam tuam innocentissimam mortem; denique omnes pariter amicos tuos, qui illic aderant, vehemens occupavit dolor et compassio, suam ob desolationem ac innocentem dilectissimi Magistri sui mortem.

O quam tristes erupere in lacrymas, per corpus tuum ex illorum oculis ubertim manantes! Quos gemitus, quæ suspiria cuncti edidere in cœlum! Et quid mirum? Quis enim illic vel Angelorum sibi temperare potuit a lacrymis, cum Regem et Dominum suum tam fœda, turpi, dolorosissima morte absumptum viderent; cum contra naturæ conditionem Deum immortalem in humana natura mortem oppetiisse tam ignominiosam et amaram conspexissent? Cum vero singula quæque membra ac vulnera cuncti diutius scrutati essent, et sedulo perlustrati, doloresque singulorum membrorum expendentes ac trutinantes secum in cordibus suis, ferventissimis lacrymis ex ardore compassionis copiosissime fusis, sacrum corpus tuum non laverunt modo, sed etiam ubertim irrigarunt. Verumtamen sitim suam flagrantissimam explere ad plenum non potuerunt, sed tantis lacrymis, tam immenso dolori finem imponere dies ad occasum declivior singulos urgebat.

At, o quam obnixe rogare, quam procul dubio suavibus ac prudentibus verbis delinire singuli compellabantur dulcissimam et dilectissimam Matrem tuam virgineam, antequam, licet non sine maximo dolore et tristitia, consentiret permitteretque te Filium suum sibi super omnia dilectum sepeliri, quandoquidem quæ nulla ratione a te avelli potuisset (nimirum cum amor ejus erga te ardentissimus, ipsa quoque morte fuerit fortior), nisi imminens et subita eam nox a te separasset. Quam igitur immenso cum dolore tam charum, tam pretiosum permisit thesaurum sibi subtrahi et sepeliri! At, o quam devote, quam afflicte lamentabile tuum prosequebatur funus mœrens et flens amarissime, sacrum tuum tenendo caput, oculis fixis in faciem tuam, eam denique innumeris deosculando vicibus, suisque lacrymis irrigando, donec ad sepulchrum, quo claudendus et recondendus fores, pervenisset: in quo viri illi misericordiarum, Joseph et Nicodemus, te aromatibus unctum, et sindone munda involutum posuerunt, propter festum Judæorum, advoluto ad ostium monumenti saxo ingenti. *Joann.* XIX, 40-42.

Pro gratitudine et fidelitate, pro strenua in bono suscepto proposito perseverantia; pro sui itidem plena perfectaque abnegatione et desiderio Christi vitam imitandi; insuper pro digna præparatione, susceptione et conservatione Corporis

Digitized by Google

Christi; pro morte denique felici, precatio.

In unione longæ crucipendentiæ tuæ flebilisque tui de Cruce depositione, rogo te, piissime Redemptor, per omnem bonitatem et amorem deifici Cordis tui, aufer a me odibilem ingratitudinem, ac omnem cordis mei duritiam : ut beneficia tua, scilicet, creationis, redemptionis, misericordissimæ vocationis, protectionis, sustentationis et cætera, continue summa cum gratitudine recolam, te indesinenter laudem et honorem, tibi cum castissimo cordis jubilo gratias agam et referam, te cum profundissima humilitate, filiali timore summaque reverentia continenter magnificem et adorem; ut voluntati tuæ perfecte obediens tibi serviam cum devotissima strenuitate et alacritate, ac omnimoda meiipsius resignatione et abnegatione, fixus tecum perseverans in cruce, quam primo in Baptismo, deinde in sacro Religionis voto sancte assumpsi, seu in alio quocumque pio proposito, non relinquens, non ab ea descendens, nec ob hominum oblocutiones et ludibria, nec ob quodcumque solatium vel mundi delectationem, neque ob quamcumque gravitatem et asperitatem crucis : sed fac, pie Jesu, in dies me illi clavis amoris et timoris fixius affigi, alacrius cum ea
Cant. 1, 3. post te in odorem unguentorum tuorum, id est, per vestigia tua currere, te ferventius amando, meipsum perfectius sancte odiendo et plenius abnegando, omnem consolationem aliam fastidiendo, hoc solum totis suspiriis desiderando : compati tibi, tecum despici, objurgari, confundi, nihili æstimari.

O utinam ardentissimum et insatiabile mihi imprimas desiderium, fervens et discretum studium vitæ tuæ sanctissimæ toto cordis et corporis vigore me conformandi, cum propriæ nihileitatis et vilitatis cognitione, quo proficiendi studium cum humilitate semper in me crescat, et charitas tua in dies intensior ignescat, quatenus sopitis semel et exstinctis omnibus carnis concupiscentiis, devictisque omnium inimicorum tentamentis, cum summa castitate cordis et corporis, cum perfecta simplicitate mentis, cum purissima devotione spiritus, cum gratissima tibi humilitate cumque perfecto amore, tibi fidelissime, simplicissime obedientissimeque serviam et in æternum placeam ac te cum augmento virtutum et gratiarum in divinissimo Eucharistiæ sacramento susceptum myrrha amaræ pœnitentiæ et aloe cordialis et dolorosæ compassionis condiam involvendo te in linteo mundo, hoc est, in corde a peccatis et vitiis expurgato, sepeliamque te in anima mea in æternum, jugiter te constringens brachiis amoris, tibi soli adhærens, in vulneribus tuis totum me immergens et sepeliens; ut extra te nil sciam, nil cogitem, nil desiderem, sed te possidens, a te totus possidear et regar juxta omne desiderium et beneplacitum dulcissimi Cordis tui, quo per omnipotentem gratiam tuam ita religiose et pie vivam, tam fideliter et perfecte tibi serviam et obediam, tam ardenter et sincere te et proximum meum diligam, ut nihil damnabile vel purgabile habeam cum de hoc mundo transibo, sed in sanguine tuo lotus, pretiosissima tua morte vivificatus, infinitis tuis meritis et divinis virtutibus stipatus, nullas inimicorum meorum pertimescens insidias, cum gaudio ab Angelis tuis in regnum tuum perduci, et in conspectu tuo lætus præsentari, atque sine fine commorari tecum merear.

Singulas has et universas supplicationes et humiles petitiones meas, quas per singulos vitæ, Passionis et mortis tuæ articulos coram majestate tua suppliciter effudi, offero tibi, dulcissime Domine Jesu, creator et redemptor meus, advocatus et salvator meus, in unione omnium sanctissimarum orationum tuarum, quas Deo Patri obtulisti in terris pro nobis, obsecrans te per omnem amorem et misericordiam tuam erga nos, et per omnia quæ assumpsisti, fecisti, pertulisti et promeruisti pro nobis, ut virtute omnium orationum tua-

Digitized by Google

rum, et efficacia omnium meritorum sanctissimæ humanitatis tuæ, indignas meas petitiones exaudias; nihilominus resignans me et omnia in gratissimam et benedictam voluntatem tuam, ut mecum agas in tempore et æternitate, prout magis honorificum tibi fuerit et beneplacitum.

Ad te quoque, o Regina cœli, porta paradisi, Domina mundi, spes veniæ, Mater gratiæ, Regina misericordiæ; o refugium peccatorum, advocata pauperum, laus justorum post Deum potentissima, sapientissima, benignissima ac gloriosissima effecta, Virgo semper Maria, ego indignus peccator confugio, et coram te suppliciter et humiliter me prosterno offerens tibi pariter, dulcissima Mater mea, advocata mea fidelissima, cunctas has tepidas orationes meas, in unione sanctissimarum orationum tuarum, quas obtulisti et offers Deo pro nobis : obsecrans te per charitatem infinitam et omnem affectum divinum, quo te Deus ab æterno præ omni creatura gratuito prædestinavit, purissimam creavit, sibique in Matrem speciali affectu elegit, a te omni gratia et virtute plena concipi, nasci, educari voluit, ac dulciter tecum conversari dignatus est, filiali affectu tibi in omnibus fidelissime subjectus existens, sicut filius matri, qui erat gubernator cœli; et specialiter per illam fidelitatem et amorem, quem tibi exhibuit in mortis suæ hora, dum quasi proprii cruciatus oblitus et tuæ desolationi ac mœrori compassus medullitus, custodem tibi ac filium sui loco fideliter providit. Et insuper per affectum illius inæstimabilis dignationis, quo te in die jucundissimæ Assumptionis super omnes choros Angelorum et Sanctorum exaltavit, cœli terræque Dominam et Reginam te constituit; per denique omnia viscera maternæ misericordiæ tuæ erga nos, obsecro te, ut indignas has meas orationes tuis purissimis orationibus unitas Filio tuo offeras et axaudiri procures, meque Filio tuo tuis intervenientibus meritis, reconcilies, animam meam in pretioso ejus sanguine perfecte mundes, suis ac tuis meritis et virtutibus exornes, ardentissima charitate me rapias et perficias, omnemque vitam meam in beneplacitum ejus dirigas et ad bonum finem perducas, quo, te auxiliante, transacto feliciter vitæ meæ cursu, ad conspectum benedictissimi Filii tui a te perduci, tecumque sine fine commorari merear, ubi incomprehensibilis illa lux oritur, quæ nunquam occidit; ubi ineffabilis pax colitur, quam nulla turbatio interimit; ubi fontana illa omnis boni abyssus scaturit, quam nemo exhaurire sufficit; ubi divina majestas æterna requie omnia continet; ubi divina veritas perenniter lucet; ubi divina charitas æternæ consolationis dulcedine semper rorat; ubi beata Trinitas semper vivit et regnat Deus, in substantia unus et in personis trinus, Pater scilicet et Filius et Spiritus Sanctus, per infinita seculorum secula. Amen.

Digitized by Google

GLORIFICATIONES

SEU GAUDIA SPECIALIA QUINDECIM DOMINI JESU CHRISTI

UNA CUM SUIS PRECATIONIBUS.

GLORIFICATIO PRIMA.

Jesu Christi anima sanctissima, uti post expirationem in Cruce descenderit ad limbum sanctorum Patrum.

AVE, altitudo et gloria omnium Sanctorum, Rex victoriosissime Christe Jesu! Laudo, benedico et adoro te pro illo ineffabili gaudio, quo cum divinitatis potentia anima tua sanctissima, morte devicta, ad inferos descendens, confractis portis mortis, divinæ claritatis jubare coruscus, limbum es ingressus, atque a diu te exspectantibus Patriarchis et Prophetis cæterisque electis animabus Patrum catervatim tibi occurrentibus, postulata de offensis venia, suppliciter adoratus, cum laudum ineffabili jubilo es susceptus; illis cum lacrymis præ gaudio [clamantibus: Advenisti, o Desiderabilis, quem exspectavimus in tenebris! Advenisti, Redemptor mundi, advenisti, quem desiderantes quotidie exspectabamus; eo quod jam sua oracula et vaticinia per te cernerent gloriose adimpleta.

Pro omnibus in purgatorio detentis, precatio.

DESCENDANT nunc, misericordissime Jesu, per hanc ineffabilem pietatem tuam, gratia et misericordia tua super animas famulorum famularumque tuarum, parentum et propinquorum meorum, benefactorum et fratrum nostrorum, recommendatorum et omnium fidelium defunctorum: ut eas a pœnis, quas pro peccatis suis merentur, eripias, et ad gaudia æterna perducas. Amen.

GLORIFICATIO SECUNDA.

Jesu Christi anima, uti triduo ante Resurrectionem suam morata fuerit cum animabus sanctis e limbo liberatis.

AVE, pulchritudo sanctorum Angelorum et requies æterna omnium fidelium, Jesu rex optime! Laudo, benedico et adoro te pro illo ineffabili gaudio, quo illo optabili triduo cum Patribus divinitatis tuæ contemplatione, omni miseria procul pulsa, jam beatificatis, in laudibus et hymnis ipsorum persistens, gaudebas te omnes tribulationes totque mortis pœnas vicisse, et tot homines tua pretiosissima morte ab æterna damnatione liberasse: sed multo magis de tanto et tali privilegio a Deo Patre tibi donato exultabas, quod tu hoc solus, et nemo alius, perficere potuisti.

Pro animæ puritate verique gaudii infusione, precatio.

O DATOR gaudii et luctus sublevator, dulcissime Jesu, per tuæ divinitatis potentiam destrue in me omne quod tibi displicet; per tuæ claritatis virtutem, purga et illumina animam meam a tenebris peccatorum et propter omnium sanctorum Patriarcharum, Prophetarum aliorumque electorum tuorum omnium merita, visita, refice et conforta me semper tua ineffabili suavitate, ut omnes consolationes vanas et inutiles funditus a me reji-

Digitized by Google

ciam et contemnam, et post hanc vitam ad illud ineffabile gaudium, quo sancti Patres a te redempti perducti sunt, per tuam misericordissimam clementiam perveniam. Amen.

GLORIFICATIO TERTIA.

Jesu Christi anima, uti animas e limbo ereptas in paradisum introduxerit.

Ave, Samson fortissime moriens, et hostilem exercitum prosternens, Jesu rex invictissime! Laudo, benedico, et adoro te pro illo ineffabili gaudio, quod amici et electi tui in limbo tecum habuerunt, quando per divinitatis tuæ potentiam, alligato diabolo, eos ab inferis eduxisti, et ante eos cum laudis triumpho lætus et gloriosus præcedens, comitante et jubilante Angelorum exercitu, ipsos in paradisum voluptatis introduxisti.

Adversus quamvis pravam libertatem et consuetudinem, precatio.

Jesu bone, descendat super me, quæso, miserum peccatorem misericordia tua, quæ confringat in me portas æreas pravæ consuetudinis, adstringat libertatem propriæ voluntatis, conterat virtutem diabolicæ suggestionis, liberet me captivum de carcere peccati, de barathro vitiorum et tentationum, et collocet me in paradisum sempiternæ charitatis. Amen.

GLORIFICATIO QUARTA.

Jesus Christus uti suum corpus glorificaverit, et suæ mœstissimæ Matri resurgens apparuerit.

Ave, mortis nubilo eclipsatus sol refulgens, Jesu rex gloriæ! Laudo, benedico et adoro te pro illo ineffabili gaudio, quo die tertio corpus tuum beatissimum immortalitatis gloria beatificatum, impassibile et gloriosum reassumens, de clauso prodiens tumulo, victor a mortuis resurrexisti, atque tuæ Matri mœstissimæ ardentissimis desideriis te exspectanti, immortalis et gloriosus apparens, ipsam reverenter salutatam benigne consolans, indicibili gaudio lætificasti.

Pro vitiorum propriæque voluntatis morte, ac triumpho de inimicis, augmentoque charitatis ac donorum Spiritus Sancti, precatio.

Domine Jesu Christe, pater clementissime, qui a morte resurgens, ministrum mortis superasti, omnesque in Adam mortuos, ad vitam reparasti : fac me per virtutem tuæ benedictæ Passionis, propriam voluntatem et omnes pravas affectiones, motus et passiones in me fortiter mortificare, tentationes omnes superare, de omnibus inimicis meis triumphare, ut tam intensa tamque indissolubili tibi adhæream charitate, ut nullatenus gratiæ tuæ vitam amittere aut perdere valeam. Supplico etiam tibi, dulcissime Jesu, ut amore illius gaudii, quod benedicta Mater tua habuit, quando te vidit et ei apparuisti in sanctissima nocte Paschæ, et per illud gaudium quod habuit, quando te vidit glorificatum per divinitatis claritatem, illumines et confirmes atque confortes cor meum septem donis Spiritus Sancti, ut tuam voluntatem adimplere valeam omnibus diebus vitæ meæ. Amen.

GLORIFICATIO QUINTA.

Jesus Christus uti glorificationem divinæ claritatis acceperit a Patre in sua humanitate, et pro omnibus suis membris electis.

Ave, claritas et puritas Angelorum, pulchritudo et amœnitas omnium beatorum, Jesu Christe, rex bone! Laudo, benedico et adoro te pro illo ineffabili gaudio quod habuisti, quando tua beatissima humanitas in Resurrectione glorificationem divi-

Digitized by Google

næ clarificationis suscepit a Patre, et in se omnibus electis glorificationem æternam in sua divinitate tribuit.

Pro clarificatione animæ post exitum hujus vitæ, precatio.

O AMANTISSIME Jesu Christe, Dei et hominum mediator, rogo te per ineffabile gaudium tuæ glorificationis, ut animam meam in hac vita purgare digneris ab omnibus maculis et tenebris peccatorum, ut ad illam securus perveniam claritatem, statim post exitum animæ meæ de corpore, quam mihi incomparabili pretio nobilissimi sanguinis tui et pretiosissima morte tua comparasti. Amen.

GLORIFICATIO SEXTA.

Jesus Christus uti omnium membrorum suorum glorificationis inæstimabilem claritatem acceperit a Patre.

AVE, gloria, honor, laus et felicitas sanctorum Angelorum, et gaudium æternum omnium Sanctorum, Jesu Christe rex gloriæ! Laudo, benedico, adoro, magnifico et glorifico te, pro illo singulari gaudio, quod habuisti, quando charitas inæstimabilis, quæ te in mundum de sinu Patris tui deposuit, et omnibus miseriis, pœnis et infirmitatibus, absque peccato, te subjacere fecit, nunc in gloriosa Resurrectione tua, te et omnia membra tua, sicut in Passione intolerabili dolore repleverat, incomparabili gaudio, honore et decore replevit.

Pro lumine gratiæ perfectioneque divinæ voluntatis, precatio.

O JESU amabilissime, per illud gaudium tuum rogo te, da mihi lumen gratiæ tuæ ad cognoscendum, et auxilium virtutis tuæ ad perficiendum in omnibus beneplacitum sanctissimæ voluntatis tuæ, ut sciam et ferventissime perficiam quidquid sit acceptum coram te omni tempore, ne unquam negligam vel omittam, quod velis per me fieri, nec unquam faciam, quod velis omitti. Amen.

GLORIFICATIO SEPTIMA.

Jesus Christus uti electorum animos mœstitia repletos, sua Resurrectione crebrisque apparitionibus, gaudio consolationeque affecerit.

AVE, convivium plenissimum, pax dulcissima, solamen et consolatio omnium pie mœrentium, Jesu dulcissime! te laudo, adoro, magnifico, glorifico et benedico tibi pro illo ineffabili gaudio, quo ipso gloriosissimæ tuæ Resurrectionis die tuos electos pro te vehementer consternatos lætificasti, ipsis apparens multis vicibus, dulciterque salutans et pacem afferens: item cum illis convivans, et in fide exhortans corroborasti, et exinde per quadraginta dies crebris apparitionibus te eis manifestans, per multa argumenta instruens Scripturasque edisserens, in fide plene eorum animos consummasti.

Pro sui plena abnegatione perfectaque obedientia ac pectoris pace, precatio.

DULCISSIME Jesu, bone Domine, per tuas apparitiones gaudiosas et colloquia suavissima, per gratissimam et jucundissimam moram quadraginta dierum, quam cum discipulis peregisti, donec in fide fierent perfecti, inflamma, quæso, cor meum igne perfectæ charitatis, ut promptissima et hilari voluntate meipsum ex toto abnegem et relinquam, tuamque voluntatem in omnibus perfectissime adimpleam, ut tibi sic in corde meo delectabile convivium perfectissimæ obedientiæ exhibeam; et non solum credendo et confitendo, sed juxta omne beneplacitum tuum vivendo, et tibi serviendo, Resurrectionis tuæ testis fiam, utque veram pacem pectoris in præsenti et æternitatis in futuro, te misericorditer donante, impetrare valeam. Amen.

Digitized by Google

GLORIFICATIO OCTAVA.

Jesus Christus uti ascensurus in cœlum discipulis apparuerit, cum eis comederit eosque docuerit, ac in universum prædicaturos miserit.

AVE, favus mellifluus, cibus, refectio atque delectatio omnium beatorum Spirituum, Jesu Christe, rex altissime! Laudo, benedico et adoro te pro illo ineffabili gaudio, quo a Resurrectione tua die quadragesimo visione beatifica discipulos lætificasti, cum in monte Sion congregatis, jam ad Patrem ascensurus apparuisti, atque cum eis dulciter et familiariter convivans, incredulitatem et duritiam cordis eorum exprobrasti, dulci etiam alloquio ipsos confortans et in universum orbem eos mittens officium prædicandi injunxisti eisdem.

Pro sui omniumque rerum contemptione, propriæque imperfectionis cognitione, precatio.

O DULCISSIME et amantissime Jesu Christe, per illud ineffabile gaudium rogo te, da mihi misero peccatori omnia terrena desideria calcare, et funditus in me per gratiam tuam exstirpare, meipsum et universum mundum pro tui amore contemnere, ut, te ducente et miserante, ad perfectionem quandoque perfectæ et intensissimæ charitatis merear pervenire. Illumina etiam me perfecte ad veram cognitionem propriæ vilitatis, impossibilitatis et nihileitatis. Fac me propriam cordis mei duritiam, ingratitudinem, perversitatem, negligentias et infinitas defectiones meas continuo dolendo pensare, et cum interna increpatione et contritione semper emendationem proponere, et propositum renovare, ut semper in profunda et perfecta tibique gratissima humilitate persistam, indeficienti et insatiabili studio tibi placere satagam, et tamen propriæ infirmitatis conscius, de propria virtute penitus desperans in sola tua miseratione confidam. Amen.

GLORIFICATIO NONA.

Jesus Christus uti in monte Oliveti suis electis apparuit, benedixit ac valedixit, cœlosque, ipsis cernentibus, conscendit.

AVE, rex gloriæ, Domine virtutum, omnipotens triumphator, Jesu Christe! Adoro, benedico et laudo te pro illo ineffabili gaudio, quo discipulis de Jerusalem in montem Oliveti ex tuo imperio egressis apparuisti, et jam cum illa sanctissima electorum tuorum comitiva ad Patrem ascensurus, Matri tibi dilectissimæ, mundi Dominæ et cœli Reginæ, atque sanctissimis illis Ecclesiæ tuæ principibus Apostolis ultima benedictione valedicens, in oculis omnium affectuosissime intuentium propria virtute es elevatus: occurrentibus tibi cunctis cœli civibus, teque cum laudis jubilo prosequentibus, super omnes cœlos ascendens, ad consessum Patris dextræ es collocatus, et totam cœlestem Jerusalem nova lætitia et festivitate lætificasti.

Pro animæ, virium sensuumque ac spiritus reformatione et intractione in Deum, precatio.

JESU amabilissime et dulcissime, da mihi per gratiam tuam jugiter implere, quod per propriam infirmitatem non valeo cogitare, ut scilicet totum me, animam, spiritum, vires, sensus et omnes passiones meas post te trahas, uti omnium quæ mundi sunt oblitus, totus tibi inhæream, ardentissimis desideriis te inquiram, indefessis suspiriis post te alacriter curram, nulli unquam placere appetam, quam tibi soli, cui me totum debeo, quatenus anima mea post hujus calamitosæ vitæ ærumnas sempiterno gaudio tecum in æterna beatitudine refici et exultare mereatur. Amen.

Digitized by Google

GLORIFICATIO DECIMA.

Jesus Christus uti suam glorificatam humanitatem omnesque electas animas ex limbo liberatas Patris æterni conspectui gaudiosissime repræsentarit.

Ave, gloriosissime Rex regum et Dominus dominantium, Christe Jesu! Adoro, benedico et laudo te pro illo ineffabili gaudio, quod sanctissima anima tua habuit, quando te in pignus et pretium redemptionis æternæ cum copiosa animarum multitudine ex inferno per te liberatarum, tecum ascendentium, et inæstimabili gaudio jubilantium, Deo Patri præsentasti.

Pro animæ post hanc vitam perfecta glorificatione, precatio.

Jesu benignissime, Dei et hominum mediator, per illud suavissimum gaudium rogo te, ut in hora mortis meæ, sis animæ meæ pignus et pretium, persolvens omne debitum meum, placandoque mihi Deum Patrem et judicem æquissimum, perducas animam meam ante conspectum ipsius placidissimum, repellens quoque a me omnes insidiantes mihi, atque quærentes animam meam perdere. Amen.

GLORIFICATIO UNDECIMA.

Jesu Christo uti a Patre cœlesti data sit omnis potestas in cœlo et in terra.

Ave, fons omnis gratiæ et thesaurus beatitudinis æternæ, Jesu clementissime! Adoro, benedico et laudo te pro illo ineffabili gaudio quod habuisti, quando a Deo Patre tibi data est omnis potestas in cœlo et in terra, remunerandi, ditandi et honorandi secundum liberalitatis tuæ magnificentiam omnes commilitones et amicos tuos, quos tam glorioso triumpho de tyrannica potestate liberasti.

Pro vitæ Jesu perfecta imitatione, virtutumque et meritorum ipsius participatione, precatio.

O Jesu suavissime, per illud gaudium suavissimum rogo te, fac me participem omnium laborum et operum sanctissimæ vitæ, Passionis et mortis tuæ. Trahe me post te, ut libenter te sequar et per viam despectionis et tribulationis desideranter gradiar, quatenus tua gratia me confortante et ducente, fidelissimus vitæ tuæ, humillimus et ferventissimus imitator inveniar in patientissima tribulationum sufferentia, devotissimaque virtutum imitatione. Amen.

GLORIFICATIO DUODECIMA.

Jesus Christus uti plenum jus et dominium super cunctos suos susceperit a Patre electos et amicos.

Ave, fons et origo, inchoatio et consummatio omnium bonorum, melliflue mi Jesu Christe! Adoro, laudo et benedico te pro illo inæstimabili gaudio, quod habuisti, quando Deus Pater donavit tibi omnes amicos tuos in æterna hæreditate possidendos; quando impleta fuit illa benignissima petitio et voluntas tua, qua dixisti: *Volo, Pater, ut sint unum sicut et nos unum sumus: ut ubi ego sum, illic sit et minister meus;* hoc est, ut omne gaudium et omne bonum, quod tu ipse et ego sumus, ipsorum sit sine fine.

Pro annumeratione consortioque omnium amicorum Dei, precatio.

O Jesu dulcissime, per illud suavissimum gaudium tuum te rogo, ut abyssus infinitæ misericordiæ tuæ usque ad me, novissimam creaturam tuam, vilissimum et ingratissimum peccatorem, descendat, quo etiam me inter electos tuos connumerare, ipsorumque consortio dignum facere digneris, ut una cum eis habeam te sum-

Digitized by Google

mum et felicissimum bonum, et interminabile gaudium, nunc hic per gratiam, et in patria jugiter per gloriam. Amen.

GLORIFICATIO TERTIA DECIMA.

Jesus Christus uti suis electis discipulis Spiritum Sanctum transmiserit.

Ave, firmamentum et constantia omnium electorum, Jesu rex fortissime! Adoro, laudo et benedico te pro illo indicibili discipulorum tuorum gaudio, quo ipsos in civitatem regressos et congregatos, Patris et tuum promissum exspectantes, lætificasti, dum Spiritu Sancto in ignis specie, repentino sonitu descendente, et super singulos eorum sedente, ipsos virtute ex alto induens, roborasti, quatenus in fide confirmati, mysterium fidei et Crucis trophæum, timore abjecto, prædicantes, per totum mundum veherent, et per coruscantia miracula fidem verbis darent.

Pro gratia illuminationeque Spiritus Sancti, precatio.

O Jesu bone et dulcissime, ne derelinquas me orphanum, sed mitte promissum Patris tui in me Spiritum veritatis, ut mecum sit et mecum laboret, qui doceat me quod coram te acceptum sit omni tempore; qui charitatis, pacis et concordiæ vinculo corda nostra adstringat, vitia expurget, virtutibus et lumine tuæ cognitionis illustret. Amen.

GLORIFICATIO QUARTA DECIMA.

Jesus Christus uti Matrem suam sacratissimam visitaverit, assumpserit, et supra cunctos Angelorum choros exaltarit.

Ave, flos et fructus Matris Virginis Jesu Christe, omnium Beatorum altitudo, merces et gloria! Adoro, benedico et laudo te pro illo maximo gaudio quod habuisti, quando discipulis de Incarnatione tua jam plenius instructis, et fundamentis Ecclesiæ erectis, dulcissimæ Matri tuæ, absentis Filii desiderio ardenti et amore nimio languenti, completa ejus peregrinatione et ex hac miseriarum valle jam migraturæ, totus festivus et gloriosus, una cum universa cœlestium frequentia occurristi, ipsamque amoris amplexibus susceptam, cœlestibus melodiis deductam, supra cunctos cœli civium Ordines sublimasti, et ad dexteram tuam in cœlesti throno collocasti.

Pro Dei gratiæ per ejus Matrem in hac vita augmento, et post eam cum eadem Dei Matre glorificatione, precatio.

O Jesu amabilissime, dator gaudii, largitor solatii, luctus relevator, mœroris effugator, qui beatissimam Virginem Mariam Matrem tuam, divinæ majestatis speculum, Angelorum solatium, tuæ bonitatis imaginem, nostræ salutis originem, multiplici gaudio in terris et in cœlis beatificasti, concede mihi pauperi, ut qui ad eam, quasi ad fontem gaudii, in doloribus et angustiis meis fiducialiter recurrere præsumo, ipsius intercessione perpetuo tuam merear habere gratiam, et post hanc vitam, propter ejusdem dilectissimæ Virginis et gloriosissimæ Matris tuæ merita, ad felicissimam illam, qua tecum nunc assumpta gaudet in cœlis, statim post mortem perveniam lætitiam. Amen.

GLORIFICATIO QUINTA DECIMA.

Jesus Christus uti in majestate ad universale sit judicium venturus, et unicuique, prout meruit, gaudia vel tormenta redditurus.

Ave, retributio omnium Sanctorum, merces magna nimis, requies et corona omnium electorum, Domine Jesu Christe! Adoro te in fine mundi venturum judicem vivorum et mortuorum, et unicuique secundum sua merita gaudiorum præmia aut tormentorum supplicia redditurum.

Digitized by Google

Tibi igitur laus, honor, virtus et gloria in regno Patris tui.

Confessio divinæ excellentiæ propriæque humanæ malitiæ accusatio, et ad judicium præparatio.

O Jesu amabilissime, confiteor gloriam summæ potestatis tuæ, confiteor veritatem summæ sapientiæ tuæ, confiteor gratiam summæ benignitatis tuæ ; confiteor etiam me reum omnium peccatorum meorum, quia te creatorem meum contempsi, quia te Dominum summæ majestatis corde, ore, opere et consensu offendere non timui, in lumine veritatis tuæ non ambulavi, tibi factori meo ingratus semper exstiti, tibi Patri summæ bonitatis non obedivi. Sed quia major est tua bonitas quam mea iniquitas, obsecro te per ineffabilem misericordiam tuam, ne peccata mea reserves judicio tuo, neque intres in judicium cum condemnabilissimo servo tuo : sed da mihi gratiam contritionis et veræ pœnitentiæ, emendationem totius vitæ meæ secundum omne beneplacitum tuum, compunctionem cordis, lacrymas humilitatis et perfectionem intensissimæ et ferventissimæ charitatis, ut sic per veram et puram confessionem, per devotam et perfectam tuæ voluntatis obedientiam in hac vita, per tuæ sanctissimæ et innocentissimæ Passionis, per gloriosissimæ Matris tuæ purissimæ Virginis Mariæ et omnium electorum tuorum merita, a peccatis omnibus merear expurgari, tibique ex toto corde reconciliari ; ut sic plene tibi reconciliatus ac Sacramentis tuis munitus, non ad judicium de hoc mundo egrediar, sed beato fine requiescens, statim a te sempiternam benedictionem et felicissimam Sanctorum omnium societatem suscipere merear, impetrantibus mihi sacrosanctis tuis quinque vulneribus, quæ in gloriosissimo corpore tuo ad consolationem electorum et damnationem reproborum reservasti, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas per infinita secula Deus sublimis et gloriosus, ab omnibus creaturis venerandus et adorandus. Amen.

Digitized by Google

THRENI

DE COMPASSIONE B. V. MARIÆ

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO

FACILLIMUM ac tutissimum ad veras capessendas virtutes virtutumque omnium perfectionem iter esse dominicæ Passionis sedulam commemorationem non ignorans vir piissimus, Joannes Lanspergius, multa et varia de eadem Salvatoris Passione nunquam oblivioni tradenda conscripsit; ut non suæ modo sed etiam aliorum saluti ac utilitati consuleret. Inter quæ exstant Threni illius, quibus mira pietate Christi patientis immanissimos cruciatus, pœnarumque ejus modum, atrocitatem et acerbitatem, simulque Virginis Matris Filio medullitus compatientis angores ineffabiles prosequitur, adeo ut vel saxea possint pectora emolliri ad condolendum. Interim etiam haud obscure ob oculos nobis reducit peccatorum nostrorum immanitatem, propter quæ abolenda et expianda tam diras luere pœnas oportuit Dominum majestatis. Denique pia verborum suavitate ac blanditate optimas quasdam subministrat formulas veniam precandi et gratiam, nosipsos humiliandi et emendandi, ac virtutes præclarissimas Domini Jesu et Virginis Mariæ, quæ in Passione Christi maxime refulgent, studiose imitandi, nosque totos per ardentissimum amorem in ipsum transformandi eique uniendi. Itaque in his diligenter si te exercitaveris, optime lector, non sine magno profectus tui emolumento id feceris. Dum adhuc benignitas Dei te longanimiter exspectat, dum adhuc gratiæ tempus arridet, da operam ut Christi gratiam tibi concilies, ut ejus benignitate non petulanter abutaris, ut faciunt qui ejus se Passione liberatos perpetim jactitant, et tamen ejus tantæ charitati ingratissimos se præbent, impie vivendo; sed ea potius in tuam salutem recte utaris. Non poteras autem facilius et copiosius ejus tibi gratiam accommodare et adipisci, quam si mente devota crebro pertractes, quanta fecerit et perpessus sit tui causa, idque non eo duntaxat nomine, ut tu diabolicæ tyrannidis absolutus captivitate felix sis et beatus, ac hæres regni illius æterni et immobilis, quod possidebunt, qui se dignos præstiterint: sed etiam ut ipsius vestigia secteris, et ex ejus vitæ exemplis discas, quemadmodum te oporteat vivere. Quod etsi grave est et permolestum veteri homini vitiis assueto, tamen paulatim magis magisque dulcescet, si oculos mentis subinde retuleris ad Christum patientem, aspexerisque quantum se abje-

Digitized by Google

cerit illa majestas, ut tu non dubites illius amore minima aggredi, qui tua gratia maxima pertulit. Minima enim revera censenda sunt, quæ quivis possit mortalium vel facere vel perpeti, si cum Christi actionibus vel perpessionibus comparentur. Disce ergo et consuesce Christum pro te patientem contueri, disce etiam Matrem Virginem, qua nihil est in creaturis præstantius, una cum Filio summe afflictam, licet ne tenuissimi quidem peccati maculam unquam contraxerit, pia mentis compassione contemplari, ut horum consideratione tuas omnes molestias, nedum moderate sufferre, sed etiam contemnere queas. Non enim debet grave videri, si hominem nocentem et multis culpis obnoxium laboribus ac doloribus vexari contingat, quando illi atrocissime in hac vita passi sunt, qui summa fuere prædíti innocentia. Quorum amore libenter sane pii omnes vanis et noxiis seculi oblectamentis debebunt nuntium remittere, et ad ferenda adversa sese præparare, ne, si hic velint esse vanitatibus dediti, postea indigni habeantur qui cum illis regnent in cœlis : nihil illi unquam in hac vita prosperum, nihil sensibus jucundum admittere voluerunt, licet essent omni honore et felicitate dignissimi. Sit ergo vitæ illorum imitator sedulus et sincerus, cui cupit optata cum illis perfrui beatitudine ; contemnantur fallacia marcescentis mundi gaudia, et ad luctum salutarem animus componatur, libeat magis cum Christo et ejus Matre sanctissima affligi et pati in hoc seculo, quam cum impiis vana lætitia et prosperitate dissolvi. Erimus olim tanto beatiores, quanto ob Christi amorem in hac vita minus noxiæ delectationis admiserimus.

Vale, optime lector, operamque nostram ac sumptus, quos in editione opusculorum nostri Joannis Lanspergii aliquot jam annis insumpsimus, graves atque molestos, ob solius Dei honorem, animarum salutem, christianæque fidei promotionem, æqui bonique consule, nostramque Coloniensem cartusiam, unde hæcce uti et pene innumera alia pietatis exercitia prodierunt, favore prosequere.

Digitized by Google

THRENI

DE COMPASSIONE ET PLANCTU PIISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ

THRENOS PRIMUS.

Actio gratiarum pro mœrore, quo Cor beatæ semper Virginis Mariæ afficiebatur, quando Filius ejus ipsi Passionem suam revelans, eidem valedixit.

AMANTISSIMA sanctissimaque Virgo Maria, nobilissima Domina mea, dignissima et electissima Dei Genitrix ; utinam exsurgant nunc in laudem, amorem et compassionem tui omnes vires cordis et corporis mei, pro amarissima et dolorosissima innocentissimi Cordis et animæ tuæ compassione et afflictione, quas in dulcissimi Filii tui Passione sustinuisti ! Primo, quando instante Passionis suæ tempore, a te mei gratia recessurus, ignominiosissimæ ac amarissimæ Passionis et martyrii sui transitum seriemque tibi revelans, verbis consolatoriis tibi dulciter valedixit.

Heu, quis tunc mœror, quis dolor et angustia invasit te, dulcissima Domina et Mater mea, Virgo Maria, cum unicum solatium et omne Cordis tui oblectamentum ob tam nefandissimum me peccatorem, derelinquere cogebaris ! Heu, in quantis te lamentis et lacrymis, flens ipse, ut reor, dimisit ! Quis dubitare possit gladium doloris devotissimum et piissimum Cor tuum continue transverberasse, dum tota illa die incessanter et dolorose ruminares, uti dilectissimus Filius tuus, quem mensibus novem tuo gestaras sub pectore, contumeliis variis et injuriis afficiendus, doloribus et angustiis multiplicibus submergendus, amarissima et turpissima morte occidendus esset ? Nihil est ambiguum, quin, si non divina fuisses bonitate servata roborataque, Cor tuum dulcissimum et amantissimum præ dolore diruptum fuisset : quandoquidem plena eras Spiritu Sancto, ex cujus inspiratione et illuminatione perfectius intellexisti, quidquid Prophetarum eloquia de Filii tui Passione prædixerant, quam ipsi Prophetæ, qui ex eodem Spiritu verba ore tenus protulerunt : nihilominus, ex Filii tui narratione accepisti Passionis mortisque suæ seriem et dilucidam cognitionem. Verumtamen, uti Christus Filius tuus ultro se Patri obtulit hostiam vivam pro salute mea cunctorumque mortalium, ita et tu, Virgo beatissima, dulcissimaque Mater mea, Maria, Filium tuum obtulisti pro mea ac totius humani generis salute, gratius tibi reputans magis tuo destitui solatio, quam meam cunctorumque hominum impedire salutem. Attamen flagrantissimus tuus erga Christum amor, præ vehementia et ardore nimio se intus cohibere nequibat, quantumvis divinæ conformis esses voluntati ad carendum Filio tuo, sed ut intus Cor tuum virgineum exussit, consumpsit, liquefecit : ita foras ferventes indesinentesque ubertim excussit lacrymas, vividum tuum colorem obfuscavit, atque innumera eademque altissima incontinenter extorsit suspiria, rapiens et abstrahens te totam in dilectum Filium, transformansque te in Passionem ejus, quam corde incessanter revolvisti. Pro hoc mœ-

Digitized by Google

rore te benedico milliesque saluto, dulcissima Domina et Mater piissima, Virgo Maria. Amen.

Pro gratia et amicitia beatæ semper Virginis Mariæ, itidem pro continua sua defensione, directione et auxilio, pro secura denique morte, precatio.

Ad pedes tuæ sanctitatis, o benedictissima Dei Genitrix Virgo Maria, supplex veniam peto, quod meæ salutis causa compelleris amittere unicum dilectumque tuum Filium. Ego, ego, inquam, pessimus peccator, causa sum acerbissimi hujus tui doloris et angustiæ, hujus tristissimæ separationis et amissionis Filii tui; ob peccata siquidem mea vadit Filius tuus in mortem. In ejus igitur locum rursus nunc me vilissimum peccatorem tibi offero. Sed licet, o dulcissima et piissima Mater, nefandissimus et corruptissimus per omnia sim peccator, nec dignus vocari filius tuus, licet esse cupiam, tamen in me, quæso, honora pretiosissimum sanguinem Filii tui, et per misericordiam virginei Cordis tui, ex nequissimo servo me fidelem effice filium talem, qualem secundum placidissimam purissimi Cordis tui voluntatem me esse desideras.

Rogo te iterum atque iterum, dulcissima Maria, piissima Mater, suscipias me in tui amorem, in gratiam, in custodiam tuam. Est omihi Mater et Domina! Protegas et liberes me ab omni peccato! Custodias, regas, teneas, possideas atque castissimo tui amore me vulneres! Et ut totum quod peto dicam, perficias me secundum virginei Cordis tui beneplacitum, ut tibi ac Filio tuo placentissimus et jugiter fidelissimus inveniar.

Adesto etiam, o Virgo sanctissima, et esto misero mihi peccatori in mortis hora piissima auxiliatrix adversus omnes nequitias et insidias diabolicæ fraudis, ne te aut Filium tuum amittam, sed æternaliter tecum inter filios tuos permaneam, et in te et Filio tuo perenniter gaudeam. Amen.

THRENOS SECUNDUS.

Actio gratiarum pro mœstitia, qua Cor virgineum beatæ Mariæ correptum fuit, dum in spiritu cognovit et postea ex relatione discipulorum accepit, ut sibi a Filio antea prædictum fuit, ipsum ad mortem usque contristari, sanguineumque sudare sudorem.

Benedicta in æternum et ultra, o gloriosa Dei Genitrix, benignissima Domina, semper Virgo Maria, repræsento nunc in conspectu tuo virgineo acerbissimum illum dolorem et tristitiam, qua Cor tuum maternum concussum fuit, dum in spiritu cognovisti, uti et antea prædulcissimus Filius tuus procul dubio tibi quoque prædixerat, ipsum, cœna cum discipulis habita et hymno dicto, eundo ad montem Oliveti, incipere contristari et mœstum esse, pavere etiam et tædere, ac ex interni doloris et angustiæ vehementia extrinsecus membris omnibus miserabiliter contremiscere, nimirum ob gravia multipliciaque peccata nostra, ob obstinatam malitiam, ob ingentem ingratitudinem, infidelitatem nostram, quodque in tam multis perituram prævideret Passionem suam. Quoniam vero ex nimia nostri dilectione, bonitate sua in se cuncta mundi peccata expianda receperat, quæ omnia per divinam sapientiam suam clare perspiciens; simulque contemptum et injuriam, quæ per hæc cœlesti Patri suo irrogarentur, aspiciens: tantum pro illis ultro sibi pro nobis assumpsit dolorem et mœrorem, quantum, salva vita naturali, ferre potuit, ac si ipse ea perpetrasset, quantumque justitia exigere videbatur; imo qui totius mundi peccatis etiam præponderabant.

Luc. xxii, 39. *Matth.* xxvi, 37. *Marc.* xiv, 33.

Enimvero non solum vires sui corporis omnes excedebant, sed etiam interiores animæ absumebant medullas, eamque ad mortem usque angebant. Quos mortis angores, secretissimis, fidissimis, maximeque dilectis illis amicis suis et per ipsos omnibus nobis, maximam suam erga nos

Digitized by Google

nimirum charitatem insinuare volens et misericordiam, quos duntaxat in hortum secum assumpserat, confitebatur, Petro, inquam, Jacobo et Joanni, ut quibus gloriam divinitatis suæ in Transfiguratione ostenderat, etiam doloris sui in Passione acerbitatem demonstraret, dicens: *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

Matth. XXVI, 37. *Ibid.* XVII, 1. *Marc.* XIV, 34.

En benedicta Deipara Virgo, dulcissima Mater et Domina nostra, unice dilecti Filii tui erga nos vilissimos peccatores, scelestos et immorigeros prævaricatores, tam immensum et supereminentem amorem ac misericordiam, tam inæstimabilem ac stupendam fidelitatem et dignationem, quæ eum vicerunt, ut non modo ex te nostra pro salute nasceretur, verum etiam quæ compulerunt et pertraxerunt ut in mortem pro peccatis nostris sese ultro offerret; nam nihil nobis ipsum nasci profuisset, nisi redemisset! Et quia ipse Splendor est paternæ gloriæ et Dei Sapientia, in quo voluntas Patris velut in speculo purissimo semper relucet, ideoque perspicue agnovit non nisi placandum Patrem cœlestem nostrumque juste solvendum debitum, quam per acerbos dolores, preces humiles, asperam pœnitentiam et tolerantiam passionum afflictionumque. Ideo namque præ nimio insuper fervore, quo æstuabat, operandi salutem nostram, et zelo divinæ justitiæ, antequam accederent ad eum hostes sui, ipse dulcissimus Filius tuus sibimet gravem nimis imposuit crucem; nec solum ultro ivit postea hostibus obviam, sed etiam ad mortem usque, seipsum pro nobis excruciavit, priusquam illi eum contingerent, et longe ante quam externam illi mortem inferrent, ipse sibi internam per gravissimum mœrorem inflixit: et ut summatim dicam, in seipso totum fidelissime perfecit, quidquid sibi erat possibile; solumque hæc facienda reliquit inimicis suis, quæ ipse in se exsequi non poterat. Ad quæ singula et universa non voluntarie modo, sed ardentissime etiam, sese resignavit et obtulit.

Sap. VII, 26. *Hebr.* I, 3.

Verumtamen, dum prævideret et interius in speculo divinitatis suæ contemplaretur, idque tam perfecte ac si præsentes sentiret, horribiles ac immanes cruciatus omnes, quos jam jamque perpessurus erat, et quia revera homo erat instar aliorum passibilis, tenera ac nobilis complexio ejus, supra quam ullus capiat humanus intellectus, tam vehementer exhorruit, ut extrinsecus non modo membris omnibus contremisceret, sed etiam intrinsecus ad mortem usque tristaretur, atque præ acerbitate ac magnitudine mœroris et angustiæ, ex omnibus membris suis aquam simul et sanguinem sudaret, et quidem ubertim, adeo ut terram cui prostratus orans incumbebat, copiose irrigaret.

O quis tunc mœror, quis dolor, quæ angustia dulcissimum Cor tuum corripuit, o benedicta Dei Genitrix Virgo Maria, dum, hora eadem qua dilectus Filius tuus his torrebatur angoribus, quamque tibi antea prædixerat, corde doloroso, pia compassione sedulo ac indesinenter hæc eadem revolvisti, quæ procul dubio, longe clarius et perfectius spiritu cognovisti, utpote quæ plena eras Spiritu Sancto! Pro hoc mœrore atque dolore Cordis tui, Domina ac Mater mea amabilissima, Virgo Maria, te benedico et millies saluto: Ave, benignissima, dulcissima ac electissima Dei Genitrix Virgo Maria. Amen.

Pro peccatorum contritione, remissione et satisfactione, pro abnegatione propriæ voluntatis omniumque inordinatorum affectuum: denique pro recta, simplici ac deiformi intentione, precatio.

O GLORIOSISSIMA Dei Genitrix, omniumque creaturarum dignissima, ab æterno præelecta, omnium virtutum et gratiarum plenitudine copiosissime atque incomparabiliter superfusa, Domina mea superdulcissima, Virgo Maria, obsecro te per gravem illam tristitiam et mœstitudinem tuam, quam ob agoniam et mœrorem dilecti Filii tui sensisti et sustinuisti, impetra mihi eisdem amarissimis lacrymis tuis, eisdem

Digitized by Google

doloribus et angustiis tuis ab eodem charissimo Nato tuo, ut veram mihi pro peccatis meis infundat contritionem, cor meum lapideum emolliat ad compunctionem, accendat ad devotionem, oculis meis tribuat lacrymarum abundantiam, ut nocte ac die plangam injuriam ac contumelias, quas ipsi Creatori, Patri ac Benefactori meo irrogavi, plorem innumera peccata, quibus ipsum Dominum Deum et Salvatorem meum offendi.

Impetra, quæso, benignissima Domina, fidelissima advocata nostra, ne mihi retribuat secundum demerita mea, sed secundum infinitam misericordiam suam, nec intret in judicium cum me servo suo : sed statue, obsecro, piissima Mater, hunc dolorem et mœrorem tuum in unione amarissimæ Passionis suæ inter judicium suum et animam meam atque peccata mea. Et quidquid merentur iniquitates meæ, excuset hoc dolorosissima Passio ejus et acerbissimi dolores tui, diluatque pretiosus sanguis ejus. Det quoque mihi clementissimus Filius tuus per intercedentem gratiam tuam, ut sic abnegem propriam voluntatem meam, adeoque me nihili faciam, et submittam subter ipsum Dominum Deum meum et creaturas omnes, ex solo puroque sui amore, ut in fundo meo non solum agnoscam, sed etiam sentiam vilissimum me et indignissimum esse creaturarum omnium : sicque voluntate sim resignatus et electionis expers, ac si mihi nunquam fuisset voluntas. Confortetque infirmitatem meam per potentiam suam, ut sensualitatem et rebellem ac immortificatam naturam meam, omnesque inordinatos ad quamlibet rem mundi hujus affectus penitus vincam edomemque perfecteque me avertam ab omnibus quæ maculare possint cor meum, et aliquod inter me et amorem suum medium efficere, quo tam pure tam fervide ipsum et te diligam, quam unquam mortali possibile est creaturæ.

Obsecro te denique, dulcissima et piissima Mater Virgo Maria, per omnem amorem et pietatem tuam erga nos, impetra mihi a Filio tuo deiformem in singulis intentionem, ut in omni conversatione, cunctisque operibus meis nihil quæram, nihil appetam, nihil spectem sive intendam, nisi placere ipsi et tibi, vos honorare, et quidquid vobis placitum est exsequi, ex omni vos diligere corde meo ; semperque in hoc diligenter incumbere, ut amori vestro qualemcumque dilectionis rependam vicem. Amen.

THRENOS TERTIUS.

Actio gratiarum pro mœstitudine et dolore, quo Cor beatæ Virginis Mariæ ob traditionem dulcissimi Filii sui coangustatum fuit.

Clementissima Mater ac castissima semper Virgo, Dei Genitrix, Maria dilectissima, recordare nunc tristitiæ illius ac doloris quo maternum atque virgineum Cor tuum premebatur, dum spiritu cognovisti et vidisti, uti perfidus, improbus et infidelis ille proditor Judas Iscariotes diabolica stipatus caterva hominum impiorum, instar leonum rugientium, uti rabidi canes furientium, sanguinem Filii tui sitientium, appropinquarit, quærens dolose et fraudulenter tradere eum in manus sævissimorum hostium suorum, qui cum laternis, gladiis, fustibus et ingenti armorum strepitu ipsum tanquam latronem venerant comprehendere. O quam tunc hilariter atque velociter a terra, cui pronus incumbebat, ab oratione qua ferventissime pro nobis Patrem deprecabatur, surrexit, sudore adhuc madidus sanguineo dulcissimus Filius tuus, benedicta Dei Genitrix Virgo Maria, pleno cum affectu et ardenti amore benignissime eis pergens obviam!

Matth. xxvi, 47. *Luc.* xxii, 47. *Joann.* xviii, 3.

O quam male affecta erant adhuc omnia illius membra, ex tremore et ingenti angustia, quam ibi perpessus fuerat ! Quam inflammata erat gratissima facies ejus ex fervore orationis, sanguineo perfusa sudore ! Quam oculi ejus lacrymis adhuc intumuerant et abundabant! O quam mansuete, quam amanter, quam sitibunde

Digitized by Google

atque celerrime processit eis, hostibus nimirum suis perinde ut amicis fidelissimis obviam, ad mortem ceu ad nuptias properans : adeo jam jam liquefactus et exustus in agonia sua igne amoris desiderioque salutis nostræ, ut nec exspectare saltem potuisset, donec inimici ejus eum alloquerentur ; sed sicut salutatur amicus in via, ita eos prior est allocutus, dicens : *Quem quæritis ?*

Joann. XVIII, 4.

Cum adhuc procul abessent hostes ejus, ad mortem usque tristabatur, ex nimia angustia sudabat sanguinem, a Patre imminentem Passionem transferri precabatur : jam quando in oculis sunt inimici ejus, homines sanguinarii instar crudelium luporum, rugentium et sævientium, quo innocentem ejus fundant sanguinem, nihil timens, nihil trepidans, absque ullo metu, sponte illis procedit obviam : adeo nimirum amore nostri absorptus, ita ejus fortitudine devictus, ut jam sitibundus calicem acciperet, quem paulo ante tantopere exhorruerat, et per charitatem animatus, ut gigas imperterritus summo modo exultaret ad currendam viam salutis nostræ, qui paulo ante ingenti horrore mortis correptus, extrinsecus membris omnibus contremuerat.

Ps. XVIII, 6.

Matth. XXVI, 37.

Excitatis itaque discipulis suis, Juda traditore, cane illo ingratissimo, cum comitatu non modico crudelissimorum ac sacrilegorum hostium jam appropinquante, cum eos unico verbo potentiæ suæ ad terram semel postravisset, post hoc iterum eis surgendi faciens potestatem, et quasi a morte suscitans, benigne se tradidit in manus eorum, verbis prius amicabilibus aggressus Judam traditorem suum, qui spurcissimo ore suo pleno malitia et dolo, non veritus osculum petere sacri oris Filii tui : quem nihilominus, haud secus quam fratrem, dulci osculo excepit, dicens : *Amice, ad quid venisti ? Juda, osculo Filium hominis tradis?* Adeone triginta me argenteis viliorem habes ? Cur declinavit ad avaritiam cor tuum, et me sempiternum ac perenne bonum reliquisti, vilissimo me pretio vendens? Quare me dereliquisti fontem aquæ vivæ, et conjunctus es servis diaboli ? Itane de te meritus, serve Juda ? Ad teipsum, quæso, intro convertere, in teipsum paulisper descende, redi ad cor tuum, vide quo deveneris, adverte quid feceris; etiamnum patet tibi gratia mea ; tantum cum dolore ad me revertere, et ego suscipiam te.

Joann. XVIII, 6.

Marc. XIV, 45.

Matth. XXVI, 50.

Luc. XXII, 5.

Jer. II, 13.

O quantum ex hoc suavissimus atque amantissimus doluit Filius tuus, quod proprius discipulus fraudulenter osculo se traderet, qui apostolatus eum titulo honoravit, in deliciis enutrivit, et tanquam proprium filium suum sollicite instituit : cujus insuper lavans pedes, curvavit ipsi genua sua, Corpore dehinc et Sanguine suo eum reficiens !

Joann. XIII, 5.

O mœstissima Mater, quam crudeliter et acerbe sævit procul dubio in corde quoque tuo hac nocte gladius Simeonis, dum cognovisti, quæ plena eras Spiritu Sancto, cum et Filius tuus hæc omnia pariter tibi prædixerit uti tam dolose et fraudulenter simulator ille pessimus sub prætextu amicitiæ, osculo Filium tuum salutans, putansque suam eum latere infidelitatem, tradiderit in manibus impiorum et crudelissimorum hominum, sola pellectus cupiditate pecuniolæ, quam sibi sublatam doluit ex unguenti pretiosi effusione : quod, mera invidia avaritiaque tabescens, periisse conquerebatur, eo quod non venditum per eum, datum fuisset pauperibus pretium ejus ; dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat et loculos habens, ea quæ mittebantur portans, voluit ex pretio unguenti, uti autem procul dubio sæpe solebat, decimas sibi suffurari. Ideoque factum sibi damnum recompensare volens, statim abiit et locutus est cum principibus sacerdotum et magistratibus, quemadmodum illum traderet eis, atque inquit : *Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam ? At illi gavisi sunt, et pacti sunt pecuniam illi dare, constitueruntque ei triginta argenteos. Et spopondit. Et exinde quærebat opportunitatem, ut traderet eum sine turbis.* Quod detestabile cri-

Luc. II, 35.

Matth. XXVI, 49.

Marc. XIV, 4.

Joann. XII, 6.

Luc. XXII, 4.

Matth. XXVI, 15.

Luc. XXII, 6.

Digitized by Google

men diabolica conceptum suggestione, modo opere impudenter nimis scelestus ille complens, dulcissimum Filium tuum, Magistrum, Dominum et Deum suum, commodam sibi nactus opportunitatem temporis et loci, tradidit in manibus crudelissimorum hominum.

O quantopere, inquam, execrandum hoc facinus Cor tuum virgineum afflixit! quam præterea te contristavit, quod nefandissimus et scelerosus ille proditor, adeo vilem æstimaret et faceret Filium tuum dulcissimum, summum perenne et inæstimabile illud bonum, quem omnino innoxium sciebat, atque sola ex invidia in eum conspirasse Judæos : ut etiam in arbitrium ementium poneret pretium, accepturus quidquid illi dare vellent. Pro hac mœstitia et dolore tuo, pro omnibus itidem miserandis suspiriis, amarissimis lacrymis et flebilibus vocibus tuis te benedico, milliesque saluto : Ave, sanctissima, felicissima et in æternum benedicta Dei Genitrix, dulcissima Virgo Maria. Amen.

Pro charitate, misericordia et compassione erga omnes, præcipue ad inimicos, pro item mititate et patientia in adversis, precatio.

O REVERENDISSIMA Virgo ac Mater Dei dignissima, utinam tuis intervenientibus precibus ac meritis, omnibus tuis mœstitudinibus atque doloribus, cunctis miserandis suspiriis et calidis lacrymis impetres mihi a dilecto Filio tuo, qui te, nihil unquam negans, honorat, ut omnem in me exurat et exstinguat amaritudinem, malevolentiam, rancorem, displicentiam et odium, infundatque mihi ex Corde suo dulcissimo atque mitissimo perfectam charitatem, pietatem, misericordiam et compassionem ad omnes, præsertim inimicos, persecutores aut me calumniantes, ut illos pie supportem, illis ignoscam, nihil eis imputem, nunquam me eis acerbum, durum aut iracundum, sed jugiter levem, dulcem et benignum exhibeam : omnibusque ipsius exemplo bona pro malis rependam, omnesque ardentissimo amore diligam, quo vel sic incomprehensibili mansuetudini, admirandæ benignitati, humilitati ineffabili et immensæ bonitati Filii tui in ferocem, improbum et infidelem discipulum, proditorem suum, aliqua ex parte respondeam meque conformem. Insuper, o inclyta creaturarumque omnium excellentissima, Dei Mater, clementissima Virgo Maria, præserva et tu me, quæso te humiliter, suppliciter affectuosissimeque, ne repentina ira aut ulciscendi passio in quibusvis casibus adversis, ad reddendam increpationem aut ultionem, vel ad murmurationem seu indignationem impatientiamve me inflammet : sed statim recordatio amarissimæ Passionis Filii tui ipsiusque patientissimæ benignitatis, ad voluntariam me roboret patientiam, cum desiderio adhuc graviora pro sui tuique amore sustinendi, ut omnia adversa, injurias, increpationes, sive juste sive injuste mihi illatas, patienti animo de manu ejus humiliter suscipiam, et illum amicum fideliorem mihi ex animo credam, qui durius me arguit et premit, beneficiis quoque et obsequiis singularibus eum placare et reconciliare, perfectiusque diligere studeam. Amen.

THRENOS QUARTUS.

Actio gratiarum pro mœrore atque dolore a benedicta Dei Genitrice semper Virgine Maria, ob ferocissimam captionem, immanissimam ad terram prostrationem, crudelissimamque Filii ligationem, ob scandalum denique in fide et fugam discipulorum, perpesso.

DIGNISSIMA Dei Genitrix, fidelissima ac dilectissima nostrum omnium Mater et advocata, in æternum benedicta Virgo Maria, en intimo cum mœrore commemoro ac repræsento afflictissimo Cordi tuo virgineo tristissimæque animæ tuæ injuriosam illam ac crudelissimam Filii tui captivationem, qua ab inimicis suis, sacrilegas

Matth. XXVI, 57. *Joann.* XVIII, 24.

Digitized by Google

in eum manus injicientibus, feraliter ac atrociter est captus, multisque injuriis et contumeliis affectus. Alius enim illi pilos capitis, alius barbæ vellebat ; hic pectori, ille collo manus injecit ; iste in faciem, alius in collum, atque alius in caput sanctissimum pugnos impingebat. Memor præterea sis, quia unico verbo supinos eos paulo ante dejecerat in terram : nimio ideo furore ac rabie perciti et ipsum vicissim continuo immitissime supinum jactabant in terram, insidiantesque pectori ejus, in amabilem ac sacratissimam faciem, et in os ejus venerandum tot ingerebant phlegmata, calcantes insuper pectus, et ejus latera pedibus contundentes, ut intercluso halitu, suffocatus exspirasset, nisi divinitatis fuisset potentia conservatus.

Heu, quot ad hæc blasphemias in innocentissimam ac virtuosissimam vitam, in majestatemque ipsam divinam ; quot contumelias et exprobrationes ; quot fœda probrosaque cognomina dulcis ac mitissimus Filius tuus audire procul dubio coactus fuit ! O quam turpiter quamque misere Dominum gloriæ tractaverunt canes illi spurcissimi ! O quis cogitare sufficiat quantam ferocitatem, nequitiam, afflictionem, contemptum et ignominiam lupi illi rapacissimi amabili et innocenti Filio tuo, Domino meo, irrogarint ? Fecerunt in eum omnia quæcumque voluerunt.

Quis vero jam æstimare satis possit quænam canes illi rabidi et famelici leones in agnum innoxium machinati sint, si fecere quidquid illis placuit ? Credo quidem quod mens nulla capere, quod nullius cor perscrutari possit, te dempta, dulcissima Matre, quæ plena eras Spiritu Sancto, quam inhumaniter benignissimum Filium tuum tractaverint, utpote tamdiu quæsitum et exspectatum ad mortem, cuique tot jam minas intulerant, quemque in sua jam habebant potestate. Quidquid diu ante ferocitatis, malitiæ, invidentiæ et contemptus mente conceperant, jam totum simul in ipsum absque dubio effuderunt ; quamvis autem quidquid fallaci ac tyrannico corde conceperant in ipsum exercerent, nec tamen sitis eorum sanguinaria explebatur, plusque multo affectu et desiderio quam opere faciebant. Virulentus enim eorum animus quo plus nequitiæ malitiæve evomebat, eo magis ardebat fraudem fallaciamque moliri.

Post hæc, dum multis et innumeris probris et cruciatibus in eum desævissent, licet suæ in ipsum necdum satisfecissent malitiæ, manus ejus benedictas primo funibus durissime colligabant ; deinde collo ejus gravem catenam ferream injecerunt ; tertio fune circumcomplectuntur corpus ejus circa lumbos, usque adeo sedulo multipliciterque eum vincientes, ne manus eorum evaderet, admoniti a Juda, ut caute eum *Marc.* XIV. 44. ducerent : quia veluti magus consuevisset ex intuentium oculis disparere, tum quia insigniter sceleratum et mortis reum volebant significare. Neque enim omnes capti ligabantur, sed ii tantum qui crimina sola morte expianda commiserant, cujusmodi æstimabant, volebantque æstimari innocentem et dulcissimum Filium tuum, cui nulla unquam peccati macula adhæsit : ideoque tot ei vincula adjiciunt. Etenim, dulcissima Mater, cum tam crudeliter vinciretur, et a canibus illis rabidis tam inhumaniter tractaretur, tam turpiter deformaretur, discipuli ejus, filii ejus, amici ejus quos post te, dilectissimam sibi Matrem, in mundo habebat charissimos, nimio timore, cuncta hæc doloroso corde cernentes, perterriti, ipsum, omnes in fugam *Matth.* conversi, reliquerunt inter leones famelicos XXVI, 56. et lupos sævissimos, qui non aliter atque *Marc.* XIV, 50. canes rabidi eum discerpere et dilaniare æstuabant. Licet vero ipsis non eguerit, nec ob recessionem fugamque eorum optato aliquo sit privatus solatio : attamen quia eos intime fidelissimeque semper amavit, ac velut filios proprios sollicite custodivit sapienterque instituit, doluit non modice pro eorum scandalo et infirmitate : compatiebatur eorum tristitiæ et desolationi, et quam prædixerat illis, dispersioni. Cognovit enim multis eos angustiis et pres-

Digitized by Google

suris circumseptos, in via pergentes plorare et ululare ut orphani, ut oves errantes absque pastore.

Et procul dubio ingens eos circumdedit dolor et erubescentia, cum in fundum suum sese recipientes et ad cor reversi, secum pensarunt, quemnam reliquissent, et a quo se separassent : quod nimirum amabilem Magistrum et fidelissimum Dominum suum tam infideliter deseruissent in maxima necessitate constitutum. Ipsi vero, ut satis credibile est, ubertim fuderunt lacrymas, fortiter sua tutudere pectora, dicentes: Cur te deseruimus? Quomodo tam turpiter a te recessimus? Cur tibi non adhæsimus? Cur non ad mortem usque, uti dixeramus, tibi adstitimus ? Multo nobis melius erat tecum mori, quam sine te vivere ; et similia.

Matth. XXVI, 56. *Marc.* XIV, 50.

Quid autem te fecisse et perpessam esse credendum erit, o mœstissima Mater dulcissimaque Virgo Maria ? O cujus cogitare cor poterit quantam etiam nocte hac tristissima tu perpessa sis crucem et afflictionem, qua dilectus Filius, unicum solamen Cordis tui, manibus est traditus hominum impiorum, a propriis relictus discipulis et hominibus universis inter furentes illos et rabidos canes ? O benedicta et suavissima Mater, quam acerba, quam tristis ista tibi nox fuit ! O quam tristia verba, quam miserandos gemitus, quam ignita ad Patrem cœlestem in cœlum suspiria edidisti ! Quam fervido ac devoto corde cœlestem Patrem rogasti pro Filio tuo, totum illum offerens et commendans eidem ! O quam mœstissime ac ferventer, o quam dulciter ac desideratissime, corde et spiritu totaliter ad Filium ingenti ex compassione ubertim flens et ejulans amarissime te convertisti, dicens : O Jesu, Fili mi, Fili mi, dulcissime Jesu ! quis te mihi eripuit ? Quis matrem a tam charo separavit pignore ? Utquid non video te, lumen desiderabile oculorum meorum ? Quis det mihi, Jesu, Fili mi, ut ego pro te patiar, pro te moriar ? O Jesu, unicum cordis mei solatium, cur non tecum vi in mortem? cur non confestim te secuta sum abeuntem ? O dulcis Jesu, bone Fili, ubinam hodie pernoctas ? in cujus es manibus ? quidnam modo pateris ? O si furentes illi canes suam in me crudelitatem evomere vellent, tantum ut tu illæsus abires! O Jesu, spes mea, vita mea, dimidium animæ meæ, dulcedo et consolatio mea, cur non ipsa pro te mortem excepi, ne viderem in te tantum dolorem cordis mei ? Multo quidem mihi dulcius esset mori, quam in tantis angustiis videre te, dulcissimum unicum meum. Hoc similique modo, benedicta et dulcissima Mater, teipsam tota illa nocte, flendo, gemendo, querendo, lamentando exhausisti; et sicut dilectus Filius tuus omni illa nocte nunquam fuit absque cruce, ita neque tu uno quidem momento diri fuisti expers. Pro quo dolore simul ac mœrore te benedico milliesque te dulciter saluto: Ave, dilectissima Mater et benignissima Domina mea, Virgo Maria. Amen.

II. *Reg.* XVIII, 33.

Pro superbiæ, vanæ gloriæ et omnis arrogantiæ exstirpatione, propriæque vilitatis et nihileitatis agnitione, pro sancto sui odio, denique pro profundissima humilitatis, mititatis ac patientiæ infusione, precatio.

O POTENTISSIMA cœlorum Regina, o gloriosissima et beatissima imperatrix Angelorum, o clementissima medicina, restauratio et subsidium omnium miserorum, dignissima Deipara, Virgo Maria ! En, ut Rex regum et Dominus dominantium, Deus majestatis et æternæ gloriæ, non modo velut servus servorum, sed etiam judex ipse creaturarum omnium, velut reus et iniquus fieri dignatus est, instar sceleratissimi latronis, cum laternis, gladiis, fustibus et ingenti armorum strepitu ab hominibus usque adeo vilissimis et scelerosis se exquiri, comprehendi multipliciterque ligari permisit. En, quam profunde se dejecit Majestas divina, quo nos exaltaret; quam humiliter ac mansuete cunctis his, ut agnus innocens, se submisit nefandis hostibus suis, quo nostram expiaret super-

Apoc. XIX, 16.

Digitized by Google

biam, nostram inobedientiam aboleret.

Et ecce miser ego et vilis peccator, quem vicibus innumeris propria damnat conscientia, in oculis hominum justus et virtutis studiosus haberi cupio, præ nimiaque mei complacentia et arrogantia erubesco humiliari, culpam agnoscere, aut veniam petere, et quasi de vitando scandalo ab hujusmodi abstinendum mihi persuadeo. Ideoque nunquam vera ac stabili tranquillitate, pace et cordis quiete fruor, quia profunda Filii tui nondum imbutus sum humilitate : siquidem ipsa omnem tristitiam cordisque dolorem expellit ; ipsa pœnam omnem prope nullam ducit ; ipsa contumeliam pro gloria computat ; ipsa desiderat sui contemptum ; ipsa sitit in omnibus Dei beneplacitum. Ast ego miser et infelix, quam, proh pudor et dolor ! dulcissima Domina, superbus non modo et impatiens, sed etiam, heu, quam sævus et vindictæ sum appetens ! Unico verbo ad iram, ad contumeliosa verba et ad mei ultionem expetendam commoveor. O quoties insuper prætereo proximos seu fratres meos, eis loqui contemnens, aspero torvoque vultu, ferocibus ac minacibus oculis eosdem intuens ; sicque eos tali indignatione ac aspernatione mea, ad odium invidiamque provocans, animas eorum perdo, quos amicabili aspectu, suavi verbo, benigno et humili obsequio placare et ad charitatem commovere possem !

Quapropter nunc ad te, o unicum peccanti humano generi a Deo provisum recurro refugium, meæ deplorans casum miseriæ et reatum delinquentiæ, tuæ deprecans auxilium gratiæ et respectum misericordiæ, quatenus reflexis ad me tuæ pietatis oculis, indignum filium et miserum peccatorem non despicias : sed, o Domina et Mater misericordissima, audias, obsecro, supplicis tui preces humiles quamvis tepidas, easque in unione omnium sanctissimarum et ferventissimarum precum tuarum, dilecto tuo repræsentans Filio, tuis intervenientibus meritis gloriosis, exauditas refer.

Precor itaque te, miserorum adjutrix potentissima, reorum advocata promptissima, desperatorum spes unica, Domina ac Mater mea benignissima, Virgo Maria, impetra mihi a dulci Filio tuo Jesu Christo suæ divinæ gratiæ lumen, quo lucide cognoscam, detesterque ex animo propriam vilitatem, pravitatem, miseriam, instabilitatem nihileitatemque meam, et e regione contempler et diligam immensam ejus bonitatem, suæ infinitæ majestatis dignitatem, denique stupendam et ineffabilem ejus humiliationem.

Revolvam, inquam, corde sedulo immensa ejus et innumera eaque gratuita, in me licet immeritum, ingratum et infidelem hostem suum, collata beneficia. Attendam ad hæc jugiter, quantam paupertatem, pœnam et contumeliam pro tam vili terræ vermiculo et sordido pulvere tanta sustinuerit Majestas : et quanta e diverso facinora, quantam ingratitudinem, quantum contemptum rependerim ego. Sicque sancto, discreto et jugi mei succensus odio, omni tempore, sub omnibus creaturis, corde et animo, et quoties expedierit, opere me profundissime humiliem, odiam et annihilem, et ab omnibus hominibus velut turpissimum lutum platearum contemni et conculcari ferventissimo cupiam desiderio, gaudensque accipiam omne opprobrium, contemptum et humiliationem meiipsius; nil aliter de me sentiens, quam de vilissimo peccatore, et hujus mundi omnium hominum infimo atque novissimo. Quam peccatis meis cunctis me indignum fecerim, sicuti revera esse confiteor, beneficiis, donis et gratiis, quæ a Deo recepi aut recipere potui, aut recipere adhuc possem; simulque juste commeruerim pœnas, adversitates et supplicia, quæ mihi possent unquam accidere ; etiamsi totus terrarum orbis a summo cœli cardine usque ad infimum inferni centrum exsurgat in me et pugnet contra me : ut ita tandem, benignissima Domina, per auxilium divinæ gratiæ, tua gloriosa mihi intercessione promeritæ, ex contemplatione sedula amaris-

Digitized by Google

simæ Passionis et mansuetissimæ patientiæ Filii tui, impatientiæ, rancoris, invidiæ, suspicionis et iracundiæ ille spiritus in me præfocetur, dissipetur, elidatur et exturbetur : ut jugiter sine querimonia inoffensus ac imperturbatus perseverem, quibuscumque etiam afficiar contumeliis, opprobriis et injuriis, etiamsi ad extremum mors mihi infligatur : utpote resignatus in omnibus Deo, sicuti verum decet humilem, de cujus manu omnia nude et immediate accipiam, quæcumque mihi eveniant et a quocumque homine vel creatura.

Nihil horum omnium alienæ culpæ, sed propriæ adscribam, non humanum affectum, sed divinum erga me beneplacitum et providentiam attendens, cujus voluntas in æternum est laudabilis, benedicta, sancta, justa, nobis optima et utilissima, cum in Deum nulla unquam cadat iniquitas aut malitia : qui plus in immensum et ineffabiliter nos diligit, melius nobis vult et optat, potest, scit et facit, quam ipsi nobis, nec possit præ immensa, infinita, purissima et superexcellenti bonitate sua male aut infideliter agere, seu quod nostra adversetur saluti quid tribuere, si saltem ei confideremus. Cui fidissimo Patri, fac, precor, o benedicta inventrix gratiæ, per prærogativam quam meruisti, per misericordiam quam peperisti, me in omni vita, in omni eventu, et in æternum conformem per omnia, voluntate nimirum, amore, intentione et desiderio inveniri, quo dulcissimus Deus meus me semper vacantem inveniat, obtemperantem, patientem, et instrumentum operationi suæ aptissimum, quo quidquid operari divinæ suæ placuerit majestati, pro omni desiderio et beneplacito deifici Cordis sui possit in tempore et æternitate. Eia ergo, Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, dulcissima Maria, impetra mihi a dilecto Filio tuo, qui te suam Genitricem honorans, nihil negat unquam, continuam et indesinentem gratiam ejus, ut beneplacitum suum ubique et in omnibus vigilanter observem, clare cognoscam, fideliter et indefatigabiliter adimpleam. Quæcumque illi displicent, utputa peccata, vitia et oblectamenta carnis ac sensuum, summa aversione fugiam, et indesinenter sine ulla tergiversatione mortificem ; quæ vero placita ipsi sunt, ardentissima alacritate perficiam ; adversa omnia et gravamina interna et externa dulci ac fortissima æquanimitate perferam : omnia accidentia cum præcordiali gratitudine de manu Dei suscipiens, in supremam ejus laudem et honorem cuncta fidelissime expendam, traham et convertam. Amen.

THRENOS QUINTUS.

Actio gratiarum pro cruciatu et angustia piissimi Cordis Deiparæ et intemeratæ Virginis Mariæ, qua æstuabat, dum prædilectus Natus ejus post truculentam sui captivationem crudelissime ligatus, multis injuriis Annæ principi sacerdotum adduceretur, horribili alapæ ibidem cæderetur, et a discipulo suo ter negaretur.

Electissima Dei Mater, suavissima ac gratiosissima Sponsa Spiritus Sancti, amabilissima Domina mea in æternum benedicta, recordare mœroris atque tristitiæ, qua virgineum Cor tuum sauciabatur, dum desiderabile lumen oculorum tuorum, dum unicum Cordis tui solatium, Filius tuus prædilectus post duram ac atrocem sui captivationem ignominiose, injuriose crudeliterque nimis instar latronis scelestissimi in tenebris duceretur, Annæ, sacerdotum principi, præsentandus.

Heu, Mater dilectissima, quis enarrare, imo quis intellectu comprehendere sufficiet, quas molestias, quas injurias, quantam crudelitatem, quem denique contemptum, in hac illi via indesinenter intulerint ? Quoties armatis manibus et fustibus verberarint, quoties blasphemaverint, quoties veneranda eum protraxerint barba, quoties atrocissime vinctum et ligatum, uno huc, altero illuc retrahente, tertio pedibus a tergo protrudente, miserabiliter ceciderit ? Quam bestialiter atque inhumaniter eum

Digitized by Google

pedibus calcarint? Et resurgere non potuit, quia vinctis nimirum post tergum manibus suis, super terram instar putridi cadaveris eum traxerunt funibus et catena collo ejus alligata; quantopere demum impii illi et lascivi nebulones properarint, trahentes eum et verberibus impellentes, ut eum quam citius principi adducerent sacerdotum. Hoc modo non secus qui latro (imo nunquam latro aut scelestus quispiam tam crudeliter et inhumaniter tractatus est, tam turpiter deformatus, ut Christus Jesus tuus et Dei vivi Filius, cui tamen nulla unquam peccati macula adhæsit) quispiam et morti obnoxius aut homo sceleratus coram Anna pontifice violenter protractus, tandem statuitur multis falsis criminationibus accusatus.

Sed, o Virgo benedicta et Mater mœstissima, recordare quam humiliter potens ille
I. *Pet.* II, 23. Dominus steterit illuc vinctus et consputus, demissis oculis, virgineo suffusus pudore, amicabili aspectu, coram vilissimo ac inflato peccatore. O quomodo Cor tuum maternum compassione et mœrore flagrabat, dum verecundum, humillimum innocentissimumque Filium tuum, in cujus ore nunquam dolus, nunquam in opere illius inventa est injustitia, ad sanguinarium, superbum ac tumidum illum sacerdotum principem adeo miserabiliter et ignominiose adductum cognovisti, ab eodem discutien-
Joann. XVIII, 19. dum, interrogandum judicandumque! Qui eum de discipulis et doctrina ejus fallaciter percontatus, aliquam ex verbis ejus ipsum condemnandi occasionem capere nitebatur, sicuti sæpius cæteris conspirantibus
Matth. XXII, 15. Pharisæis antea non modo per ministros eum in sermone reprehendere, quo necis ejus quamdam nanciscerentur ansam, verum etiam apprehendere et occidere cona-
Joann. VII, 30. tus fuit; sed nondum venerat hora ejus. Jam vero adest, o Mater Dei piissima, hora illa et potestas tenebrarum, qua in-
Luc. XXII, 53. vidi et maligni Pharisæi suam in eum explerent sitim et ferocitatem. Eapropter fraudulenti modo princeps hic sacerdotum tum exorsus est interrogare, quo eum neci traderet, si quidpiam contra legem aut locum sanctum respondisset. At Jesus, Filius tuus Deique sapientia, fraudem intelligens pontificis, prudenter et verecunde eidem respondens, ad auditores, quibus licentius crederet, eum remisit, dicens: *Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Judæi conveniunt. Quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt, quid locutus sum ipsis; ecce hi sciunt, quæ dixerim ego. Hæc autem cum dixisset, unus assistens ministrorum,* homo impius et perfrictæ frontis, horribilem *dedit Jesu alapam, dicens: Sic respondes pontifici? Respondit ei Jesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me cædis?* *Joann.* XVIII, 20-24.

En incomparabilem mansuetudinem innocentissimi agni Filii tui, Mater benignissima et humillima! Numquid mandavit igni, ut de cœlo descendens cremaret vilissimum hunc nebulonem? Aut terræ jussit sese aperire, et hunc blasphemum deglutiendo vivum dejicere in infernum? Imo ne ullam se excusandi aut ulciscendi occasionem, cum tamen usque adeo injustissime cæderetur, quæsivit. Non enim faciem in rugas contraxit, non ira excanduit, nec ad contumelias linguam laxavit, sed gravem hanc ignominiam læto ac liberalissimo pro me animo patientissime sustinuit. Quis nimiam hanc ejus benignitatem et patientiam absque lacrymis commemorare poterit, quod gratiosam faciem suam, in quam Angeli desiderant prospicere, tam crudeliter
I *Petr.* I, 12. a vilissimo scurra verberari permisit? Obduratus ego, impius et crudelis peccator, qui lapideum, imo ferreum pectus circumfero; quo præ nimia pressura vertam cor meum, prorsus ignoro, ubi recolo gravem hanc ignominiam: violentam, inquam, hanc alapam a tam pessimo adulatore et nebulone Domino et Deo meo illatam, dumque admirandam hanc ejus mente pertracto mansuetudinem et benignitatem. Quanto magis virgineum ac maternum Cor tuum longe piissimum ac amantissimum præ dolore et mœrore in te contremuit,

Digitized by Google

præ compassione æstuavit et liquefactum fuit, dum vehementem, sonoram ac gravem hanc alapam auribus cordis susciperes, in spiritu cognosceres, ac mente tristissime meditareris; ad cujus illationem et concussum ipsi sanguinem e naribus emanasse, dentes motos, sacrilegæ manus vestigia in benedicta Filii tui maxilla permansisse, gratiosam faciem ejus rubore ac calore suffusam intumuisse creditur, et satis id quidem est credibile. Adjunxit autem hisce sese intensissimis cruciatibus et mœstitudinibus tuis, Cordique tuo insilivit, o pientissima Virgo, o fidelissima et tristissima Mater, alius acutissimi et dirissimi doloris gladius, ex infirmitate ac lapsu strenuissimi Apostolorum principis prosilientis: qui licet a suavissimo suo ac amantissimo fuisset Magistro præmonitus, attamen timore victus, coram vilissima ostiaria non modo confiteri erubuit, verum etiam Deum ac Dominum suum usque adeo turpiter ac infideliter cum juramento ac sui execratione et anathematizatione ter negavit. O quam cuncta Filii tui viscera compassione et misericordia quoque mota fuere, ob infirmitatem et lapsum prædilecti discipuli, ob vulnerationem ac mortem membri sui! Non minori utique vulnus hoc eum affecit dolore, quam si ipse illud in seipso accepisset; et quanto major Cor ejus piissimum mœror invasit, tanto eum citius ex Satanæ eripuit potestate, in quam prolapsus fuerat, rursus erigens eum per prævenientem gratiam suam, ideoque eum citissime et illico gratiæ suæ oculis respiciens, permisit radios divinæ lucis suæ micare in obscurum fundum illius. Quos ut a Christo suscepit continuo quoque secutus est, tactui et inspirationi spiritus morem gerens, faciensque quod ab illo facere monebatur: quandoquidem, ut ait Scriptura, postquam eum tertio negasset et gallus cecinisset, *recordatus verbi Domini, quod dixerat: Priusquam gallus cantet, ter me negabis, egressus est, et flevit amare.* Egressus est extra consortium peccatorum per quos ad casum et culpam pertractus erat: in cœtu namque Apostolorum haudquaquam negavit eum; *Et flevit amare*: ad se reversus in suumque se fundum recipiens, tactus fuit dolore cordis intrinsecus, culpam et infidelitatem suam agnoscens atque lugens acerbe, lamentis pœnitentiæ ipsum reconciliare studens. O quali cum dolore ac gemitu talem, o amantissima et fidelissima Domina, lapsum licet per infirmitatem ex divina permissione commissum, mente revolvisti! Quam sunt insuper omnia mœrore et compassione materna tua viscera concussa, super præcharissimo Filio tuo, ab uno discipulorum suorum vendito et tradito, ab hoc trina vice negato, ab omnibus denique inter lictores crudelissimos solo relicto, qui sine cessatione, contumeliis, injuriis, blasphemiis eum affecerunt! Pro hoc mœroris et doloris gladio, o fidelissima Mater, te benedico milliesque saluto: Ave, electissima Dei Genitrix, Virgo Maria. Amen.

Matth. xxvi, 69. *Marc.* xiv, 66. *Luc.* xxii, 56. *Joann.* xviii, 17.

Matth. xxvi, 75. *Marc.* xiv, 72. *Luc.* xxii, 60.

Pia et affectiva deploratio multiplicis in Religione commissæ inobedientiæ et pro humili et simplici hilarique Superioribus exhibenda obedientia, denique pro mitissima patientia in omni objurgatione, paupertate et dolore, precatio.

O Sanctorum omnium sanctissima, post Deum singulare privilegium sanctitatis, summi Regis Mater et Filia, Virgo in æternum benedicta Maria! En in augmentum gaudii sempiternæque dulcedinis tuæ, Cordi tuo virgineo purissimo repræsento ineffabilem mansuetudinem, patientiam singularem, obedientiam humillimam et incomparabilem prædilecti Nati tui, Christi Jesu Domini nostri, quam tortoribus et hostibus suis exhibuit, adeo in eum ferocissimis. Siquidem non restitit, dum caperetur, non murmuravit, dum ligaretur, non recalcitravit, dum duceretur, non maledixit, dum traheretur, non comminabatur, dum pedibus tereretur et conculcaretur, non

Digitized by Google

se vindicavit, dum injuriis afficeretur, non ulciscebatur, dum adeo injustissime alapa cæderetur: sed percussorem suum lenitate verborum et allocutione maluit placare benigna, quam uti vindicta: *Si male,* inquiens, *locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me cædis?* Quid hac responsione benignius, quid benignitate hac dulcius? Præter hæc in ferocissima captione, in atrocissima ligatione, in crudelissima et ignominiosissima sui, tanquam scelerosi latronis, deductione, patientissimum non modo, verum etiam in cunctis injuriis et convitiis furiosissimæ eorum voluntati morigerum se et obedientissimum exhibuit, erga Patrem suum cœlestem gratissimus perseveravit, pro qualibet injuria ipsis quoque præcordialiter compassus est. O Mater pietatis, o mundi spes et gloria, o peccatorum venia, clementissima Domina, Virgo Maria, quid miser ego, quid irreformatus, vitiosissimus et inobediens ad hæc respondebo? En Rex gloriæ, qui totum mundum verbo creavit et regit, cujus potentiæ nemo potest resistere, quam humilis, quam obediens, quam parvus, quam infirmus, quam despectus propter me fieri voluit! Ubi jam sunt illa millia millium cœlorum agmina coram eo in facies suas procidentia, ipsum adorantia, benedicentia, landantia et sine intermissione dicentia: *Sanctus, Sanctus, Sanctus?* Nimirum, o amabilissima Domina, nox est hæc amaritudinis, tempus mœroris, et hora tenebrarum! Et hanc tamen tam horribilem et tristem noctem propter me sponte aggressus est, tantam confusionem et ignominiam, tantum contemptum et oppproprium, tot pœnas et injurias propter me benigne hilariterque sustinuit, quo patientiam mihi et humilem obedientiam commendaret. Ast quid infelix ego, o Mater sanctitatis, o Virgo Deo plena, dicam ad hæc, qui non modo pro his ne ullas quidem gratias, sed insuper tot offensiones, tot transgressiones præceptorum Dei et legum Statutorumque meorum retribui, cum tamen Ordini et Superioribus meis in omnibus simpliciter obediturum me voverim? Heu, quoties Superiorum meorum voluntatem cognoscens, nisi juberer aut monerer acquiescere seu satisfacere, renui! Heu, quoties jussus et monitus falso me excusavi, plura ficte allegavi, et jussa dissimulavi! Quoties ad hæc obstinata voluntate cogitando mihi statui, nolle me in hoc vel illo obedire, etiamsi juberer! Sicque ex sola voluntate mala, peccati inobedientiæ innumeris vicibus reum me feci, antequam delinquendi præberetur occasio: insuper quoties leviter, et quasi sine cura aut timore, seu fortasse sæpenumero per contemptum Regulam meam trangressus sum et Prælati jussa non curavi! Heu, quoties non modo, proh dolor! Statuta mea contempsi aut jussum Prælati; verum etiam sæpe impugnavi et in faciem Superioribus meis per contemptum restiti; sicque Christum Deum meum, et benedictum Filium tuum in ministris et vicariis suis, instar furentium Judæorum, immundis sputis conspui, et alapis immitibus faciem ejus cecidi! Denique quoties fortassis alios etiam ne obedirent averti atque instigavi, aut si quos obedientes conspexi, irrisi, persecutus sum et contempsi! Hoccine est imitari seseque conformare humillimo obedientissimoque Filio tuo? qui tametsi Deus æternus et immensus, tibi non modo et nutricio patri suo in templo, et per omnem vitam subditus fuit et in omnibus subjectus, verum etiam furentibus inimicis suis, ut agnus mansuetissimus, per omnia obedivit. Siccine etiam solemnem meam professionem et votum obediendi Deo, Ordini et Superioribus meis actu adimplebo? Hacne via ad Christum regem meum in eam, in qua nunc est, gloriam perveniam? Haudquaquam. Si voti transgressio gravius est crimen quam perjurium; heu me, quoties perjurum effectum me pertimesco, quoties justissimum et infallibilem judicem me enormiter offendisse formido, quot irremediabilia damnationis lamenta prævaricatione virtutis obedientiæ mihi comparasse metuo! Heu me igitur infelicem, qui inde damnari vehementer ti-

Joann. XVIII, 23.

Is. VI, 3. *Apoc.* IV, 8.

Luc. II, 51.

Digitized by Google

meo, unde etiam debueram gloriosissime coronari! Scio equidem et scivi, aliud nil monastica exornare opera, quam humilem simplicemque obedientiam : quandoquidem eadem fere omnia nullam aliunde habent virtutis speciem, nisi quæ ex obedientia fiunt ; quæ etiam quidquid ex suo genere malum non est, bonum facit, corona ac præmio dignum. Sine hac etiam procul dubio cuncta sordida sunt et fœtentia Deo opera mea, quantumcumque maxima et præclara, utpote infecta propriæ voluntatis lepra. Simpliciter in omnibus obediturum me Deo vicariisque Dei voto et juramento tam solemni addixi, resignans et offerens me totum et omnem voluntatem, sensum, intellectum et judicium proprium ipsi et Vicariis ejus. Væ, væ, itaque, væ misero mihi ignavo et ingrato homini, qui non saltem usque adeo infructuose in sacra Religione tempus meum pretiosissimum transegi, occasiones merendi neglexi, tanto meritorum thesauro memet spoliavi, verum etiam tot innumera et præclara opera, quia propria concepta et peracta voluntate, non perdidi modo, sed etiam per hæc pœnam et confusionem merui, gratiam et amicitiam Dei amisi, per inobedientiam et ignaviam meam ejus mihi iram conciliavi : cum omni pene momento, omni loco ac in omni re in immensum meritum meum augere, majorem Dei gratiam, dona ejus et charismata mihi conciliare perfacile potuissem ! Quapropter, o gloriosissima Virgo Maria, Mater Dei, spes pauperum, refugium peccatorum, misericordissima Domina et advocata nostra, præ omnibus Sanctis humilius te peccatoribus inclinans, ad te confugio, protege fugientem a facie justi et tremendi Judicis, salva in te confidentem, o Mater pietatis ! Respice me oculis misericordiæ, et averte a me calamitosam hanc, quæ me invenit et submersit, infelicitatem.

Cum omni ergo militia cœlestis exercitus, funde preces pro me misero peccatore, et omnes cordis mei tenebras orando subtrahe. Divinæ gratiæ lumen misericorditer infunde, et me per semitas simplicis et humilis obedientiæ clementer dirige, ut saltem toto hoc residuo vitæ meæ tempore, cuncta quæ jubebor omittere sive cavere sive agere, per sanctam et simplicem obedientiam obtemperando expleam, ipsamque obedientiam propter Deum faciam. Fac igitur, o Virgo generosa, Mater Dei gloriosa, sanctam obedientiam et perfectam mei abnegationem perficere, ex hoc propriam voluntatem omnino me relinquere et abdicare, nihil ex propria voluntate, sed quod Superioris fuerit jussum arbitrio eligere. Ita enim certo certius fiet a peccato me semper fore liberum in conscientia tranquillum, mundum, hilarem et pacificum. Fac etiam me proprium sensum contemnere, consilium proprium abjicere, nihil nisi quod Superior meus præscripserit aut definierit, bonum æstimare, de ejus consilio nihil hæsitare, ejus voluntati nihil præferre, contra ejus judicium nunquam disputare, ejus jussa non discutere, mandatorum ejus rationem non expetere, in obediendo non discernere, hoc est, ubi velim et ubi non velim obedire, non eligere, fructum aut utilitatem præcepti non discutere, sed obedientiæ meritum attendere, voluntatem jubentis etiam prævenire, quod causam habeat jubens rationabilem non ambigere. Ita denique facito, o fons gratiæ et Mater misericordiæ, me meo Præsidenti sive Magistro exhibere, ut non timeat sed audeat, quæ mihi dicenda sunt dicere, quæ jubenda jubere, et arguere quæ arguenda sunt : ne per impatientiam et iracundiam, meritum et proficiendi occasionem mihi surripiam et eruditionis fructu me privem, dum eum ea tacere oporteat, ne per amaritudinem deterior fiam, ex quibus melior fieri debueram. Sed, o præfulgida cœlorum Regina, tuorum prærogativis meritorum cunctis cœli civibus sanctitate gloriosior et potentior, tuis mihi sanctissimis impetra precibus, ut ex desiderio conformitatis crucifixæ vitæ et mortis Christi Jesu Filii tui, toto affectu et omni insuper conatu meo stupendam ejus patientiam et man-

Digitized by Google

suetudinem imitari studeam, qua omnes objurgationes et reprehensiones, paupertatem et contumeliam, pœnam et dolorem de manu paternæ providentiæ ejus æquali et grato animo suscipiam, et majoribus malis me dignissimum agnoscens graviora semper pati desiderem, et cuncta benigno patientissimoque animo longanimiter usque in finem sufferam. Amen.

THRENOS SEXTUS.

Actio gratiarum pro immensi doloris et mœstitiæ acerbitate, qua sacratissimum et piissimum Cor Deiparæ Virginis Mariæ conscissum fuit, dum inhumaniter et ferocissime ligatus tanquam maleficus, nocte media crudeliter et ignominiosissime ab Anna ad Caipham duceretur Christus natus ejus, ibique iniquis et impuris mendaciis accusaretur, et blasphemiæ incusatus mortis reus damnaretur.

Fidelissima Deipara Virgo Materque mœstissima, Domina mea superdulcissima Maria, en Cordi tuo materno et longe piissimo repræsento miserandam illam, lugubrem et ignominiosam processionem, deductionemque Filii tui, qua procul dubio majori crudelitate, impetu, furore et contumelia ad Caipham deductus est quam ante ad Annam. Siquidem paulisper jam in Annæ domo quieverant, viresque resumpserant, et insuper siti ferventissima præstolantes erant Filii tui adventum et adductionem in Caiphæ domum, in qua congregati erant Scribæ, seniores, Pharisæi et principes sacerdotum, acuta inter se conquærentes consilia, falsos excitantes testes, ut Agnum innoxium et Justum neci traderent. Ideoque crudelissimi hi Judæorum ministri cum ipsis repræsentare concitatissime properarunt, pedibus eum protrudentes, necnon barba veneranda, crinibus funibusque quibus circumvinctus erat, protrahentes, humi ob præproperam eorum festinationem sæpius prolabentem propellentes, fustibus armatisque manibus inhumaniter cædentes, et quidquid demum molestiæ, contumeliæ, irrisionis et injuriæ excogitare in via poterant, in ipsum abunde congerentes.

Matth. xxvi, 57. *Marc.* xiv, 53. *Luc.* xxii, 54.

Tali cum crudelitate, benedicta Mater, superdulcissimum Filium tuum ad Caipham adduxerunt. Ast dum adesse nuntiaretur prædilectus Natus tuus, quis effari queat seu comprehendere, quam sæva eorum pectora ira succenderit? Dum vero, eum viderent, quam torvo nimis in eum aspectu intenderint, quam rabidi illi canes in eum frenduerint; quam superbe in eum ut facinorosum, convitiati fuerint; quam tumide eum, ut omnium vilissimum, contempserint; quam denique exultarint et superbissimi illi gloriati fuerint, ipsum usque adeo humiliatum, probris et contumeliis affectum, modo vinctum et in eorum manibus conclusum! Incontinenter itaque, ira æstuantes, ferociter eum rapiunt, superbeque per gyrum se collocantes, in medium statuunt, lividis eum oculis intuentes, et ante omnem sermonem alium, ipsum de doctrina sua et miraculis objurgantes, reprehendentes, exprobrantes et contemnentes, multisque eum procul dubio probrosis et sceleratorum nominibus agnominantes.

O quam miserabile hoc cogitare, superdulcissima Domina! At quanto tibi erat miserabilius et dolorosius in spiritu cuncta clare cognoscenti, videre Dominum Deum tuum, et hunc unicum Filium tuum, cujus est omne judicium, adeo despectum, adeo vilem et facinorosum habitum, solum inter tot stare lupos longe ferocissimos, inter tot tumidos et sceleratos peccatores discutiendum atque judicandum, qui aliud nil moliebantur, quam ex præordinatis falsis testibus, atque maligno præhabito consilio, quidpiam dignum pœna mortis quærere et invenire, quod ei coram præside Pilato opponerent, quoque eum morti adjudicari expostularent, et ad hoc quasi juste compellerent! O cruenta sitis Judæorum, o malitiosa invidia, quomodo in eis rationem obcæcasti, intellectui densas offudisti te-

Digitized by Google

nebras, justitiam pervertisti, veritatem exstinxisti, conscientiæ repressisti judicium, religionem ac stimulos! Ast vice hac eos licet furiaveris, nequaquam præ-
Marc. XIV, 56. valuisti. Non enim, ait Scriptura, invenerunt, etiam cum multi falsi testes accessissent, quidpiam morte dignum, cui fidere possent, quoque fingerent se juste eum neci tradere, ut eorum celaretur invidia, velaretur dolus et malitia. Ideo namque falsum quærunt testimonium, quia verum non habuerunt : neque enim falsum quæ-rerent, si accusationis quid, quod mali haberet speciem, ipse in se habuisset. Tunc ira et impatientia ex sede sua raptus expulsusque iniquus ille pontifex, motu corporis mentis indicans insaniam, humilem et innocentem Filium tuum ad omnia illa iniqua et impura mendacia, blasphemias et falsitates, quas in ipsum congerebant silentem, ad aliam se fraudem versipellis convertit, ad respondendum eum provocans, non quo veritatem discat, seu excusationis ei locum tribuat, sed ut respondentem in verbis capiat et convincat, unde calumniari accusareque eum possit,
Matth. XXVI, 62. dicens : *Nihil respondes ad ea, quæ isti adversum te testificantur?* At sapientissimus Filius tuus tacebat, nec quidquam respondit, sciens quod quidquid dixisset, fuissent calumniaturi.

Tunc versutus et impius ille pontifex et sanguinarius canis, ad alium dolum se convertens denuo stansque Domino Jesu in
Marc. XIV, 61-64. *Luc.* XXII, 66, 70. faciem, truculentus et furore plenus : *Adjuro*, inquit, *te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei.* Audiens vero Jesus compellari divinum nomen suum, ne illud videretur contemnere, ob ejus honorem et Patris sui reverentiam, humiliter sapienterque illi veritatem confitebatur, dicens : *Tu dicis, quia ego sum. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua dicens : Blasphemavit, quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam. Quid vobis videtur?* At rabidi illi canes et cruentæ bestiæ uno ore clamabant omnes, dicentes : *Reus est mortis.* O judicium iniquum, o injusta sententia, o crudelis damnatio, o judices perversi! Nemone in tanta vestrum multitudine repertus est, qui odium hoc execrandum, inauditam, malitiosam et pestiferam hanc invidentiam, nefandam hanc injustitiam argueret, innocentiam tutaretur, iniquis reclamaret, et pro Agno innoxio et Justo loqueretur? Nemo sane. O dolorosa et mœstissima Maria, quam acerbissimi doloris gladio Cor tuum piissimum secuit injustum hoc judicium! Et cujus non exhorreat et in lacrymas proruat cor, dum attendit furibundam hanc Judæorum iracundiam et invidentiam in innocentem Filium Dei, qui non ob aliud aliquid eum odio habuerunt, quam propter veritatem et justitiam, quam ipse constantissime tenebat loquendo, docendo, vivendo? Ipsi vero quia impii, injusti, superbi, avari, ambitiosi atque dolosi erant, quare sæpe eos dure Christus arguebat, volebant, et omni conabantur studio eum morti tradere, ne degeneres ipsi arbitrati improperia sustinerent. Quam ad hæc, afflictissima et benedicta Mater, te mœstitiis et doloribus sauciaverunt immanes et innumeræ contumeliæ, irrisiones et injuriæ, quas in sui ad Caiphæ domum deductione abunde in ipsum congesserunt; quam cruciabiliter te quoque iniquorum illorum judicum truculenti aspectus, insanus furor, cruenta sitis, injuriosæ exprobrationes, malitiosæ insultationes, falsissimæ accusationes afflixerunt! Enimvero quidquid persecutionis et afflictionis a Judæis Unicus tuus perpessus est, id omne ejus tu, piissima Mater, intrinsecus per compassionem pertulisti : ejus namque crux tua, et tua illius. Pro omni autem acerbissimo hoc dolore et Cordis tui mœrore, Domina mea, amabilissima Virgo Maria, te benedico et millies saluto : Ave, piissima Mater misericordiæ, fons gratiæ et forma sanctitatis, Virgo generosa et inclyta cœli Regina, Maria, omni gratia plena. Amen.

Deploratio multiplicis admissæ superbiæ, doli atque mendacii, et pro veræ, pro-

Digitized by Google

fundæ ac perfectæ humilitatis, necnon pro justæ ac immutabilis veritatis infusione, precatio.

O Sanctorum omnium sanctissima ac gloriosissima, sed præ cunctis humillima, o cœlorum Regina potentissima, sed desolatis omnibus Mater et consolatrix piissima, o mundi spes et gloria, gratiæ pincerna clementissima, beatissima Deipara Virgo Maria, post Deum salus et unicum meum refugium ! En doloroso et contrito corde, in æstuanti quoque desiderio cum uberrimis tibi lacrymis confiteor nigerrimam fœdissimamque superbiam meam, quam toties et pene vicibus innumeris, pluribus me præstare credidi, necnon animo ac opere prætuli in verbo, scientia, divitiis, honoribus, fortitudine, corporis elegantia seu spiritualibus charismatibus, alios omnes corde despiciens, nihilque mei respectu esse judicans, a cunctis me videri, in ore omnium volutari, ab universis commendari, a nemine diffamari, a cunctis honorari, a nemine contemni, plus mea quam aliorum verba ponderari, ab omnibus cognosci, quo eis, Deus faxit, possem proficere, exoptans. Si vero corripere, exasperare, incusare, detrahere, seu quacumque ratione me molestare quis unquam attentavit, hunc contumeliis insequi, rancore et rabie in eum fremere, ejus consortium devitare, de hoc pro omni posse ulcisci me non erubui nec pertimui. Ad hæc præ nimia cordis mei ambitione et fastu, propriam culpam fateri et recognoscere usque adeo toties dedignatus sum, propria commissa facinora confessori pandere veritus sum, vilia exsequi opera sum detestatus, inferioribus mihi associare me sum abominatus : ne in aliorum oculis seu cordibus vilis vel facinorosus reputarer, ne plurimum ambito honore privarer, ne denique ab aliis, sicut formidabam, contemptui et despectui haberer. Ideoque multa sæpenumero mala et inhonesta perpetrare refugi, ex timore potius et pudore mali nominis et famæ, quam ex vitii odio, ne in aliorum inciderem despectum, feci. Et instar hypocritarum Judæorum occultam malitiam et iniquitatem persæpe celans et tegens, foris coram hominibus quadam innocentiæ sanctitate me vestivi, quo propriæ flagrantiam opinionis respergerem, favoremque hominum venarer. Si autem me præire quempiam seu præferri conspexi, in hunc livore et odio exarsi, ipsiusque prosperitatem, invidia marcescens, et opera ejus perverti, eidem detraxi, deque infortunio ejus exultans aut meis sublatum oculis, aut neci traditum exoptavi. Quid itaque differo, in quo pravitate minor sum, quid minus infernalium tormentorum merui præ impiis et ambitiosis his Pharisæis ? Insuper, quod summo cum dolore cordis et mœrore confiteor, o benignissima ac clementissima Domina, conscius mihi sum humiliterque recognosco, neutiquam me meritum fuisse, scienter ex levitate ac deliberatione toties mentiri, veritatem negare, mendacium defendere, dolo proximum circumvenire et fallere, et quod perniciosius est, frequentissime exultasse necnon gloriatum esse, me tali hunc illumve ratione, hoc est, fallacia et fraude fefellisse, taliter, ne confunderer neve punirer, memet extricasse : tali quoque modo Christum Deum meum pro temporalis cujusdam commodi emolumento seu lucro, necnon ob modicam, juste tamen meritam, effugiendam confusionem seu pœnam, vendidi, prodidi et abnegavi. Ipse siquidem veritas est, justitia et charitas, a qua, heu toties, adeo declinavi, quam, heu toties, sprevi et enormiter violavi. Ea propter infelix ego te exoratam velim, o Mater pietatis, omnium mœrentium consolatrix, o dulce refrigerium, objurgatrix peccantium, ut pro me Christum interpellas, virgineis eum tuis uberibus castissimisque visceribus places, me illi reconcilies et excuses, plenam mihi tantorum et tot scelerum indulgentiam implores, profundam tuam humilitatem, sinceram dilectionem, omnemque tuam perfectionem, eidem in horum et omnium criminum

Digitized by Google

meorum emendationem, in cunctorumque defectuum meorum supplementum offeras, veræ pœnitentiæ et contritionis gratiam exores, ut quidquid ambitione, hypocrisi, dolo et mendacio, delectationis assensu, seu quocumque modo in ipsum peccavi, pœnitentiæ acerbitate corrigam, calidisque lacrymarum undis diluam.

Ast ad evadenda deinceps tanta tamque mortifera et perniciosa animæ pericula seu vulnera, munias me, quæso, piissima Domina, et dotes tua profunda, vera et perfecta humilitate, qua omnem exhibitam mihi gloriam contemnam, nec exhibendam appetam, sed semper, ne mihi exhibeatur aliqua, timeam, et si exhibita fuerit, me-
I. *Tim.* II, 17. dullitus contrister, cum nimirum soli Deo debeatur et adscribendus sit omnis honor et gloria.

Nemini me quoque comparem, nec majori, nec minori, nec æquali, imo neminem me inferiorem et viliorem credam, neminem omnino spernam aut judicem, nemini succenseam, neminem contristem neque lædam, me solum ex corde despiciam, ab omnibus etiam despici ferventer appetam, gaudensque omnem despectum suscipiam, jugiter propriam fragilitatem, miseriam immensamque vilitatem attendens, qua non solum usque adeo vilis sum et sordeo præ multitudine et fœditate peccatorum et vitiorum meorum in Dei conspectu omniumque cœlestium civium, sed etiam quam vilis esse possem hodieque essem, quam insuper vilis fuissem et fierem assidue, nisi pius et amantissimus Deus violenter me a peccatis retraxisset, clementerque continue præservaret, tentationes occasionesque subtraheret, cum ego, sicut et quilibet hominum, ex propria fragilitate ad abyssum et voraginem vitiorum dispositus sim, minimamque tentationem vincere, minimumque opus bonum per me facere, sine speciali Christi auxilio, nequeam : sed indesinenter in gravissima ruerem facinora, Dei in me gratiam præpedirem, effugarem, eademque indignum me efficerem.

Hæc, quæso, dulcissima Domina, omni momento sint in continua cogitatione mea, ne amplius intumescam, mihi complaceam, supra alios me efferam. Postremo te ex intimis cordis mei deprecor, o sacra puerpera, o cœlica Regina potentissima, o Domina et advocata nostra, tantam mihi gloriosis tuis precibus impetres, quæso, gratiæ largitatem, qua nec pro favore alicujus, nec pro utilitate propria, nec pro amissione rerum aut corporis, veritatem relinquam, transgrediar, seu pro veritate mendacium palam loquar ; imo eam libere pronuntiem, libere defendam, in aliis non dissimulem neque palliam, verbaque mea semel dicta, nisi propter causam necessariam, ex facili non permutem. Amen.

THRENOS SEPTIMUS.

Actio gratiarum pro immenso acerbissimoque mœrore ac pressura, qua piissimum Cor sacratissimæ Virginis distendebatur, dum indesinenter tota nocte in Caiphæ domo tam indignis tractaretur modis Christus prædilectus Deus natus ejus.

Generosa gratiosaque Sponsa Spiritus Sancti, illibata Mater, intemerata Virgo Maria, dolorosa et mœstissima Domina, cujus sibi cor a lacrymis temperare queat, Dominum gloriæ, cœli Regem, Creatorem ac Patrem suum turpiter tractari videns, uti nocte hac absque ulla respiratione a nequissimis est satellitibus Judæorumque ministris inhumaniter excruciatus ? Quanto magis Mater ejus tu longe piissima amantissimaque, incomprehensibilibus es pressuris et mœroribus excruciata, uberrimis ferventissimisque lacrymis irrigata, æstuanti compassione exusta et pene consumpta, quæ lucide universa in spiritu vidisti, quæque haud longe ante ex dilecti Filii enarratione singula circa eum gerenda ab ipsoque perferenda accepisti ? Et quamvis corpore necdum te præsentem offerre quires, noctis præpedita caligine

Digitized by Google

urbisque occlusione, corde tamen ac spiritu illic coram fuisti, illatam omnem illi afflictionem et contumeliam non modo corde doloroso contuendo ; ast eamdem in anima cum ipso sufferendo. Nil enim doloris seu molestiæ, te inspiciente, cognoscente vel percipiente, illatum est illi, quin anima tua per mirabilem quemdam introque trahentem amorem in illius degens corpore, simul inde cruciaretur intensissime.

Admoneo itaque te tristissimi acerbissimique doloris, quo sauciabaris, dum tota illa nocte mortis reum uno omnium ore proclamatum, innocentem tuum Filium Judæi illi sævissimi eorumque ministri inhumaniter, ac nulla ipsi vel respirandi nedum quiescendi concessa facultate, vexarent. Dum unus quidem sputa in faciem ejus et putentia phlegmata ex imo extracta pectore in os ejus benedictum et vere suavissimum ejiceret, idque sæpius intemperanti quadam crudelitate facerent, adeo ut eum pene suffocarent et exstinguerent nisi in gravi hac angustia illius eum divinitas ad majora perferenda supplicia conservasset.

Dum etiam unus in caput, alius in collum pugnas ingereret ; hic crinibus, ille barba traheret ; quidam vero ex ingenita malitia speciosissimam illius faciem crudeliter unguibus lacerarent, et in tam miserandam permutarent speciem, ut vel saxeum potuisset pectus ad miserationem compassionemque permovere. Adeo namque gratiosa illius facies ex plagis intumuerat, sputis obsita, sanguine rubricata, unguibus lacerata, ut pene hominis nullam haberet speciem. Atque ita patientissimo Domino, quidquid molestiæ, contumeliæ ac cruciatus diabolico suo poterant corde concipere, irrogabant. Attamen nec ita quidem sitis eorum exstincta est.

Is. LIII, 2.

Posteaquam enim omne in illum suæ acerbitatis virus evomuerant, prorsusque jam defatigati erant viribusque defecerant, suis eum ministris tradiderunt, ut id quod reliquum erat noctis in illius custodia et vexatione expenderent, et ipsi membra sua quieti dedere. Cæterum exhausto nimiumque lasso et excruciato Domino, nulla quies vel respirandi facultas data est : sed postquam illis nequissimis traditus est satellitibus, ad ipsius crudelem vexationem a Judæis nimirum muneribus inductis, simul unanimiter in eum ceu leones ferocissimi in agnum irruentes, omnem ipsi quoque malitiam et furorem suum in eum absque ulla discretione compassioneque evomuerunt, qui etiam dulcissimam faciem ejus sordidissimo panno obvelaverunt, ne qua scilicet benignitate vel misericordia erga eum moverentur, sed omnem suam crudelitatem in eum pro voto effunderent.

Itaque jam tunc absque ulla misericordia crudelissime alii faciem ejus palmis pugnisque cædebant, alii in collum ejus percutiebant, simulque irridicule dicebant : *Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit ?* Atque hoc modo ludibria in ipsum per totam exercuerunt noctem.

Matth. XXVI, 68. *Marc.* XIV, 65.

O Mater dulcissima, o mœstissima Domina, quantis in angustiis et afflictionibus dulcis Filius tuus, cœli gaudium et tuum, erat ! Quam procul dubio præ dolore etiam pene scissum fuit Cor tuum, dum in Filium Dei, in spem, solatium et unicum amorem tuum, tanta impios illos crudelitate debacchari mentis oculis conspexisti ! O quam ardenti cum amore lupis illis rapacibus te desiderantissime tradidisses, si coram illic adfuisses, ut cruentam suam in te exsatiassent sitim, quo dulcem Natum tuum missum fecissent ! Verum non minus eo in anima tua sustinuisti, cum per compassionem cuncta in corde pertuleris, quæ in corpore ille sustinebat. Pro omni hoc virginei Cordis tui dolore ac mœstitia, o fidelissima Mater, te benedico milliesque saluto : Ave, electissima Dei Mater, Virgo Maria, gratia plena. Amen.

Pia humilisque deploratio frequentis, ejusque indignæ communicationis Corporis

Digitized by Google

Christi, atque pro digna ac debita præparatione et fructuosa susceptione ejusdem, precatio.

Heu, Mater mea dulcissima! heu dolorosa ac mœstissima Domina, cur adeo ferreum ac lapideum cor habeo ego, quod compassione ac dolore non scinditur? Cur præ dolore non tabescit anima mea, quandoquidem tam immanium causa est dolorum pessima vita mea? Ego alapis cecidi, ego colaphizavi, ego blasphemavi, conspui et conculcavi Filium tuum : nimirum cum agnum ipsum immaculatum, Dominum Deum, Creatorem meum in tam immundum ac impræparatum cordis et corporis mei hospitium suscipere toties præsumpsi, de universis et singulis peccatis a me et occasione mei commissis, et bonis omissis contra ipsum et proximum meum, et contra meipsum, non solum ita cordialiter contritus, neque tam plene et distincte confessus, neque per condignam pœnitentiam emendatus, sicut potui et esse debui. Ac insuper post sui susceptionem tam faciliter, toties adeoque sæpe graviter denuo recidivus, ut canis ad vomitum redii, veteribus nova accumulando peccata.

Prov. xxvi, 11. II. *Petr.* II, 22.

O me miserum et stultum, o impudentem et ingratum, quam cito quoque me ab ipso ad alia converti, quam cito ipsum expuli, nec ad manendum sibi in me locum permisi! O miranda ad hæc et stupenda cordis mei cæcitas et duritia ingemiscenda! In abundantia namque maxima spiritualium divitiarum tam longo tempore pauperrimus exstiti ; in copia tantarum deliciarum ideo miser fui ; in redundantia gratiarum egenus remansi ; ad mensam deliciosam quotidie invitatus fui, et vacuus et macie confectus inde recessi! O insensibilitas animæ meæ, liquorem balsamiticum, mellitum, deliciosum ac suavissimum in ore habui, nec flagrantiam ejus sensi : quandoquidem me cum debita reverentia et devotione, ad tam sacrosanctum Mysterium nunquam disposui, nunquam tanto cum affectu et desiderio recepi et honoravi, ut potui et debui, curis mundanis et vanitatibus superfluis me denuo involvens, de suscepto hospite dignissimo modicum curavi, imo sordidis cogitationibus conscientiam meam, quam ipse inhabitare cupivit, polluendo, in ejus sæpius faciem conspui! Per contumeliosa verba, irrisiones, detractiones, murmurationes et erga suos Vicarios, meos Prælatos, inobedientiam, pugnis eum, alapis colaphisque cecidi. Flens igitur doleo, quod hucusque ad sacrosanctum hoc Mysterium intellectum habui tam excæcatum, et affectum tam induratum, eo quod nimis superficialiter reverendum hoc ministerium peregi, nimis tædiose, negligenter, irreverenter me circa tremendum hoc Sacramentum habui, frequenterque nimis dissimulavi, ac si Deus meus præsens non fuisset aut præsentem eum minime advertissem.

Sed nunc expansis manibus et erectis in cœlum luminibus ad te, o rosa præfulgida cœlicæ amœnitatis, ad te unicam post Deum, pauperum spem, peccatorumque refugium, ad te, inquam, o gloriosissima et misericordissima Deipara Virgo Maria, convertens me supplex veniam peto, quod gloriosum et benedictum Filium tuum tam indigne non modo tractavi et suscepi, verum etiam tam probrose et contumeliose expuli per reiterata multiplicia peccata, immundorum me spirituum denuo mancipans dominio, obsecrans te, per omnem virginei Cordis sacratissimæque animæ tuæ erga Deum amorem, atque ipsius in te omnem divinam suam charitatem et filialem affectum, potenter exores eum, ut ad hujus sacratissimi frequentationem cor meum ferventissimo accendat desiderio, et quotiescumque ad sui susceptionem sua me dignatio admiserit tuis intervenientibus meritis, in gratiæ suæ paradisum me recipiat, in calido suo sanguine me lavet, in pretiosa sua morte me vivificet, cunctis suis virtutibus et meritis exornet, animæ meæ fundum ipse sibi dignissime præparet, in quo suscipi jugiterque habitare dignetur, in tanta charitate, quanta seipsum in

Digitized by Google

ultima cœna suscepit, pro supplenda omni indigna susceptione mea, et fructuosum in me faciat suum adventum, liberetque me omnibus diebus vitæ meæ ab omni nocibili tentatione, uniat et sibi connectat me et omnia opera ac desideria mea, quo nunquam separer a dulcissima sua dilectione et clarissima pulcherrimi vultus sui visione; sed merear in ipso florere et regnare nunc et in perpetuum. Amen.

THRENOS OCTAVUS.

Actio gratiarum pro vario dolore ac mœstitudine, cui immergebatur piissimum Cor beatæ Virginis, dum amabilem Filium suum, vultu ex plagis tumido ac livido, sanguine obducto, phlegmatibus repleto, unguium laceratione dissecto, a Caipha ad Pilatum crudeliter et ignominiose deduci conspexit, coramque eo multipliciter et falso incusari audivit.

Humillima et mœstissima Domina, pudicissima Virgo, tristissimi plena doloris, omnem humanam afflictionem et pressuram exsuperantis, suavissima Mater et unice mihi post Deum dilecta : dum satis superque Cor tuum longe piissimum tota illa acerbissima nocte pupugisset et conscidisset diri doloris gladius, necnon flendo, gemendo, querendo, lamentando satis et pene te jam exhausisses, mane admodum cum aurora prodire et dies lucescere incepit cum tuis Jerosolymam procul dubio ascendisti, quo ad conspectum Filii tui, cujus æstuabas amore et affligebaris Passione, pervenires, si ejus ex intuitu acerbus ejus dolor pauxillum forsitan demulceretur seu alleviaretur. Quamvis ambiguum non sit, te totam cum omni facultate tua in gratissimam resignasse Dei voluntatem, paratam omnem ferre pressuram, afflictiones et gravissimos cruciatus, quæ ex ejus Passione tibi possent accidere: imo prorsus verisimile est, tanto te erga Deum et cunctos homines flagrasse amore, adeoque animarum salutem sitiisse, quod et ipsa libentissime crucis subiisses mortem, si ita visum fuisset omnipotenti Deo. Sed hoc fieri non debuit, ideoque tantam intrinsecus crucem ac dolorem sustinuisti, quantam absque cordis diruptione ferre potuisti. Dum autem, o decus paradisi, o cœli gaudium, lamentabiliter primo diluculo ab amicis tuis per viam illam deducereris, omnes illos ceu mœstissima cantrix lugubri voce tua simul ad lacrymas commovens, recordare quam hoc triste tibi iter fuerit. Quo enim propius accedebas ad urbem, eo altius tuis doloribus immergebaris. Tamdiu autem gressu qualicumque potuisti, flens ivisti, donec in civitatem ad Caiphæ domum pervenires. Sed heu, o dulcissima Domina mea, o dilecta mea, dum amarissimis tuis medendum fore doloribus fortasse sperasti, ad illum, proh dolor, properasti ac pertigisti locum, ubi gladius doloris exacutus virgineum scidit pectus tuum, et intima confodit animæ tuæ, doloremque addidit dolori. Comperisti quippe illos sanguinarios canes et cruentas bestias, et pestifera invidia et cruenta siti, quæ nullam eis permittebant requiem, illuc mane admodum confluxisse numero multo plures, quam in primo erant concilio congregati : imo convenire omnes, qui arduis in rebus ad concilium accersiri soliti erant, quorum ingens admodum erat multitudo, ut nimirum omnes simul aut Jesum natum tuum damnarent, aut prælatam nocte damnationem confirmarent. Itaque dum in suum eum adducerent concilium, denuo examinarunt, an se Christum et Dei Filium diceret; quod ubi non negaret, ita vociferati sunt : *Quid adhuc egemus testibus?* ipsi nos audivimus ex ore ejus. Tum vero ita ligatum et turpiter deformem ad Pilatum adduxerunt, ab illo incircumciso cane morti adjudicandum. *Joann.* XVIII, 24. *Matth.* XXVI, 65. *Marc.* XIV, 63.

Memento nunc, benedicta Christi Mater, doloris et compassionis, qua æstuabas ac replebaris, dum sævos illos canes ac truculentas bestias Dominum Deum tuum et hunc unicum Filium tuum vinctum, miserabiliter deformatum, cunctisque quæ ex-

Digitized by Google

cogitari poterant, condemnationis indiciis denotatum, ac si unus omnium sceleratissimus latro fuisset, ad hominem profanum et ethnicum adducere conspiceres ab eo judicandum. O quis cogitare queat, quæ probra, convitia, afflictiones, molestias, contemptus mitissimo agno in via illa irrogarint! Ubi vero jam ad Pilatum ventum est, una eum omnes falso accusare audisti, multa in ipsum mendacia congerentes et in primis horrido clamore ferocique verborum strepitu obtinere nitentes, quod veritate ac jure nequibant. Quandoquidem exiens ad eos Pilatus, dum, quam adversus eum afferrent accusationem, sciscitaretur, haud secus quam rabidi canes una edidere latratum, dicentes : *Si non esset hic malefactor, non tradidissemus eum tibi.* Ast Pilatus, audito hoc verbo, sciensque quod per invidiam eum tradidissent, percitus respondit : *Accipite ergo eum vos, et secundum legem vestram judicate eum.* Quasi dicat : citra cognitionem causæ seu criminis, nequeo et nolo quemquam ego judicare ; si vobis sufficere debet, quod ipsi eum examinastis, perficite ergo quod cœpistis et punite illum; neque enim ego sum vobis necessarius. Tum cruenta eorum non exsatiata siti, instar rugientium leonum exclamaverunt, falsiter accusantes eum atque dicentes : *Invenimus eum subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari Cæsari, et dicentem se Christum regem.*

Joann. xviii, 30, 31.

Luc. xxiii, 2.

Audi, benignissima Domina, et quidem non absque acerbo mœrore audisti efficta, evidentia falsissimaque eorum mendacia. Numquid non ipsis dolosis Judæis respondit jussitque aliquando dulcis Natus tuus, dicens : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo ?* Numquid non etiam jussit Petro dare didrachma pro ipso et pro se ? Ideoque objectionem hanc quasi apertum eorum mendacium parvipendens Pilatus, transilivit : quem audisse forte contigit, quod hypocritis illis de censu Cæsari dando ipse respondit. Deinde : *Invenimus,* inquiunt, *subvertentem gentem nostram* ab observantia nimirum legis Moysis. Numquid non et ipsum hoc a veritate prorsus alienum fuit ? Quippe qui publice confessus est : *Non veni solvere legem, sed implere*, quam etiam tecum ad mortem usque servavit. Postremo, *dicentem se Christum regem esse,* inquiunt, hoc est, volentem sibi Judæorum regnum usurpare. Quod et falsum esse ex eo liquet, quia cum quæreretur a populo volente eum in regem eligere, sciens fugit ab eis. De hoc autem tertio, quod contra Romanum imperium Pilatus vergere cernebat (nam id a Judæis regiam abstulit dignitatem) se periclitari timens, si non diligenter quæreret de crimine læsæ majestatis : ideo prætorium introiit, ut Filium tuum magis pacifice et exquisite examinaret, accersitumque eum quæsivit dicens : *Tu rex es Judæorum ?*

Matth. v, 17.

Joann. vi, 15.

Ibid. xviii, 33.

Dum vero innocens et mitissimus Filius tuus veritatem ipsi confiteretur, se quidem regem, sed non esse de hoc mundo regnum suum, quod vel Romanos offendere queat vel Judæos, neque temporale hoc regnum se affectare : dumque Pilatus sciret quod per invidiam tradidissent eum, exivit ad eos, ipsum a mortis tam noxa quam sententia pronuntians prorsus esse alienum. Quapropter vehementius perciti Judæi instabant gravioribus accusationibus : *Commovit,* inquiunt, *universum populum, docens a Galilæa usque huc.* O virulenta invidia, o iniqui et mendaces Judæi, qui præsidem sinistre informare nituntur, ut illum commovisse putet populum, fecisse seditionem docuisseque iniquam eruditionem, sicut illi Galilæi, quorum sanguinem miscuerat ipse Pilatus cum sacrificiis eorum, quo sic quoque in odium Filii tui traheretur. Sed nihili pendit, imo hoc falsum habuit, sciens nimirum quod de tributo responderit, sciens præterea quod calumnia et non veritate incusaretur. *Audiens vero Galilæum, inquisivit si homo Galilæus esset. Et ut cognovit quod de Herodis esset potestate, misit ad illum,* gaudens de occasione nacta, qua seipso judicando liberaret, quem innocentem videbat, et per alienam invidiam gravari. Recordare nunc

Matth. xxvii, 18.

Luc. xxiii, 5.

Ibid. xiii, 1.

Matth. xxii, 21.

Luc. xxiii, 6.

Matth. xxii, 21.

Ibid. xvii, 26.

Digitized by Google

Mater dulcissima, quam liquefactum sit intra te tunc Cor tuum, haud secus quam cera ab ignis ardore, præ nimio mœrore et dolore quo æstuabas, dum coram Pilato stare cerneres, ut agnum innocentem ac mitissimum, Regem gloriæ, mellifluum Filium tuum humili verecundia, demissis oculis, manibus ligatis, miserabili ac deformi ex sputis et verberibus facie, sitibundo affectu et desiderio acerbum potandi calicem, et paternam exsequendi voluntatem, os suum benedictum ad sese purgandum et excusandum non aperientem : immites vero illos ac impios Judæos terribilibus in eum oculis, torvoque aspectu intendentes, dentibusque suis frendentes, et instar leonum rugientes ac horridos edentes clamores falsissimarum accusationum; dum denique cerneres hinc atque inde ejus stipata latera tortoribus ferocissimis, judicis sententiam æstuanti, rabido ac cruento animo exspectantibus, crucifigere eum et enecare paratissimis : quam tum tota pene in lacrymas resoluta es ! Quis, Mater mœstissima, continuos acerrimosque illos capiat dolores et cruciatus, quos sensisti, dum tanta cum ignominia et crudelitate Dominus majestatis, cui omnis debetur honor et gloria, de judice ad judicem per civitatem, quæ plena erat populo, in conspectu omnium deduceretur, instar latronis omnium sceleratissimi? Pro omni autem hoc dolore et tristitia tua benedico te milliesque saluto. Amen.

Is. LIII, 7. *Act.* VIII, 32. I. *Tim.* I, 17.

Pro columbina simplicitate, pia compassione fraternaque charitate jugiter gerenda circa delinquentiam proximorum, et pro sui sedula atque severa observatione et examine, precatio.

O DOMINA misericordissima, cœli, terræ et omnium abyssorum Regina potentissima, Mater æterni Dei Verbi et Virgo purissima Maria, tuis mihi, quæso, dignare beatis precibus a dilecto Filio tuo impetrare, ut pactum hoc atque firmum propositum, quod hodie tecum et cum ipso inco, inviolabiliter ad extremum usque vitæ meæ finem sua opitulante gratia conservem, ut videlicet neminem unquam judicem seu spernam, de nemine male unquam sentiam. Quæcumque etiam suspiciones noxiæ inciderint, nihil tamen unquam definiam, nihil pro certo asseram, aut tanquam verum judicem. Quodcumque etiam malum videro vel audiero, nullo modo ea propter in quempiam amaricer aut murmurem, sed amantissimo compatientissimoque corde orationem pro eo Deo offeram.

Fac, obsecro, Genitrix gloriosa ac benedicta Domina, ut simplici oculo omnia aspiciam, in n eliorem partem cuncta interpreter, intentionem, si actum nequivero, excusem ; putem ignorantia, subreptione, casu seu occulta Dei dispensatione, ad majorem sibi conquirendam humilitatem et profectum proximi, cecidisse seu labi permissum : ne injuste seu temere quempiam judicando, tanti me sceleris reum efficiam, quantum illum deliquisse judico; cum ignorem quid divina gratia operetur in homine, aut per quæ a peccato excusabilis esse possit : neve ob temeritatem ac injustitiam meam in idem, vel eo gravius peccatum, justo suo judicio me Deus labi permittat.

Præsta itaque, o sanctissima Dei Genitrix, ut circa aliena peccata atque defectus cæcus sim, surdus et mutus, ut aliena non discutiam, de aliorum conscientiis me non intromittam, me vero vigili custodia observem, cunctaque opera mea severe judicem, nil indiscussum, non reprehensum, non judicatum præterire sinam, et quidquid perperam dictum, factum aut neglectum comperero, calidis undis lacrymarum diluam, majori cum fervore firmiorique proposito post quemlibet lapsum resurgam, ac constanti animo cœptum propositum, te ducente me ac protegente, prosequar, quod in Dei amore proximique dilectione jugiter proficiam ac stabiliter permaneam, atque ad felicem vitæ terminum pertingam. Amen.

Digitized by Google

THRENOS NONUS.

Actio gratiarum pro diri doloris vulnere, quo conficiebatur Cor maternum, dum truculenter et contumeliose ut sceleratus et morti reus a Pilato ad Herodem, ab eodemque veste alba ut delirus irrisus, denuo ad Pilatum contemptibiliter duceretur.

INTEGERRIMA et immaculata Virgo Maria, suavissima et sacratissima sponsa Spiritus Sancti, felicissima et piissima Dei Genitrix, Domina ac Mater mea præcharissima, recordare nunc, quæso, acerbi doloris et præcordialissimæ compassionis, quibus Cor tuum devotissimum piissimumque ineffabiliter sauciabatur, dum ardenti furia, virulento livore, cruentaque siti impiissimorum ac crudelium Judæorum a Pilato non restincta, immani furore raperetur ab eis, pluribus ac gravioribus injuriis obrueretur, truculenter et ignominiose instar scelestissimi malefici per civitatem in omnium conspectu, qui sine numero ad paschalem So-
Luc. XX:II, 7. lemnitatem undequaque confluxerant, ad Herodem fastu turgidum deduceretur, unicum Cordis tui solatium, Jesus dulcis Filius tuus.

O quantopere iniqui illi Judæi ira ac livore exagitati, haud secus atque rabidi canes, cum dilecto Filio tuo tum festinarunt, ardentia sua pectora restinguere cruentamque suam exsatiare sitim gestientes, aliis multis eorum ministris et lictoribus, scilicet eum interim injuriis et molestiis in via afficientibus, probra et innumeras contumelias a tergo illius in ipsum congerentibus, donec tandem ad tumidum et curiosum Herodem eum laboriose pertraxissent, ubi nihilo secius fallaces et sanguinarii illi Judæi obstinatissime eum accusarunt, et condemnarunt eisdem, quibus apud Pilatum usi fuerant, criminationibus. Inter quos Agnus ipse mansuetissimus humiliter tacuit, quamvis uno se potuisset defendisse verbo, atque omnes accusatores, si voluisset, confutasse, utpote paratus mori pro salute miserorum. Ea propter superbo quoque Herodi non nisi vano ac curioso animo miraculum aliquod ab eo videre cupienti, multisque eum sermonibus interroganti, nihil respondit, non ejus modo, sed cujuscumque recusans gratiam hominis, per quem sua potuisset Passio impediri, sicuti modo verisimiliter potuisset : si enim blande prudenterque illi loqui voluisset, aut in ejus conspectu miraculum fecisset, non modo regis adeptus gratiam, sed etiam liber abire fuisset permissus.

Tunc Herodes turbatus, non solum cum indignatione mansuetissimum et innocentem Filium tuum a se repulit, et cum omni exercitu suo contumeliis affecit : sed etiam veste alba ceu fatuum induit, quo hoc ipso *Luc.* XXIII, cunctos simul homines ad eum illudendum 11. provocaret; atque hac tanta cum ignominia et confusione ad Pilatum eum remisit. At quis eum, qui te tunc circumdedit et invasit dolorem comprehendere queat, quando ipsum ita ab Herode turpiter illusum et despectum, a vilissimis servis et carnificibus illis velut fatuum irrideri, et ingenti cum contemptione abjici, armatis manibus et fustibus cædi, pedibus contundi et protrudi, vestibus ac funibus trahi et aliis innumeris convitiis et injuriis obrui, adeo denique crudeliter et ignominiose deduci conspexisti, aut ex aliorum saltem relatu percepisti? Si enim virginea te honestas ac verecundia præpedivit seu inhibuit, per omnes vicos et plateas ipsum de judice ad judicem toties protractum continue sequi, non potuit tamen fieri, ut quid de ipso ageretur nescires ; ideoque cuncta aut ab ore aliorum accepisti, aut corporalibus oculis, dum non obstante turba, licuit, aut mentis oculis conspexisti.

Dum autem, o reverenda et benedicta Domina, amantissimum Filium tuum, Angelorum Dominum et Regem universorum, invidi illi et impiissimi Judæi clamoribus et derisionibus omnes vicos implentes, ardentemque suum, neque a Pilato neque ab Herode pro votis suis exstinctum, furorem in ipsum crudeliter effundentes, turpiter

Digitized by Google

truculenterque ad præsidem reduxissent, denuo suas in eum accusationes intenderunt, quo mortem illi afferrent, rursumque horrendis clamoribus Pilatum obruere et ad judicandum condemnandumque Jesum excitare moliebantur, quandoquidem nullam rationem, æquitatem vel causam mortis adversus eum proferre poterant, sicuti et de seipso et Herode palam illis confitebatur præses ipse. Sciebat namque injustos et immites illos Judæos sola invidia adductos, ut insontem ac omnimodo innoxium neci dari appeterent.

Matth. XXVII, 18. *Marc.* XV, 10.

Proinde, quia neque per Herodem, quamvis contrarium, se de ipso judicando exemerat ac eruerat, neque furiosi illi Judæi ratione placari poterant, sciscitatus est ex eis (nihil intentatum relinquens, quo innocentem Filium tuum liberaret) si eum pro concesso ipsis privilegio, ad paschalis solemnitatis honorem dimitti vellent, nequiorem ac magis flagitiosum, quem inter omnes vinctos habuit, simul cum ipso populo proponens, sperans a turba Jesum ipsi flagitioso longe anteponendum atque vita donandum. Si enim magis exosum ac pestiferum habuisset, haud dubie cum ipso eligendum improbandumve proposuisset, quo sibi de injusto judicio et innocenti Filio tuo, de iniqua morte præcaveret ac subveniret. Sed sanguinariis illis canibus, scilicet sacerdotum principibus et senioribus, mendaciis suis populo persuadentibus, ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent, omnium una voce exortus clamor est : *Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam.*

Joann. XVIII, 40.

Tunc quæsivit eos Pilatus, dicens : *Quid ergo vultis faciam regi Judæorum ? At illi* fremitu horrisono *succlamabant, dicentes : Crucifige, crucifige eum. Ille autem tertio dixit ad eos : Quid enim mali fecit ? Nullam causam mortis invenio in eo ; corripiam ergo illum et dimittam. At illi instabant vocibus magnis, postulantes ut crucifigeretur. Et invalescebant voces eorum.*

Marc. XV, 12.

Luc. XXIII, 21-23.

Quis dubitare possit, o Maria Mater Jesu fidelissima, acerbissime gladium doloris devotissimum piissimumque Cor tuum transverberasse, cum horribiles hos ac ferocissimos clamores audisti ? Tot doloris et angustiæ sævissimi Judæi animam tuam confixere aculeis et vulneribus, quot invido ac maligno corde depromebant ac vociferabantur verba crudelia. Omnem autem illum intensissimum mœrorem ac pressuram, quæ Cor tuum virgineum tunc constringebat, supra modum excessit dolor iste acerbus, quem ingens cæcitas et insatiabilis Judæorum ferocitas atque infelix illa promutatio, perversaque ipsorum tibi ingratitudo incussit : dum lupum præ agno, scelestum ac odibilem nebulonem, præ justo ac innocente Filio tuo, impium denique et latronem, præ vitæ auctore eos non modo eligere, Filiumque tuum reprobare conspiceres et audires : verum etiam tanquam latrone viliorem, sceleratiorem et vita habitum indigniorem ad mortem crucis eumdem ab ipsis postulari cognosceres.

Pro quo dolore ac mœrore, cunctisque illis amarissimis lacrymis, quibus uberrime, dum benedictus uteri tui Unigenitus ad vilissimum crucis suspendium peteretur, irrigabaris, benedico te milliesque saluto : Ave, gloriosissima Maria. Amen.

Pro assidua diligentique linguæ custodia ob innumera inde affluentia animæ pericula, necnon pro sedula dulcique collocutione animæ cum Christo.

O MEA unica singularisque post Deum spes et fiducia, benedicta Deipara Virgo Maria, audi dignanter et pie exaudi supplicis et indigni famuli tui preces, quas Cordi tuo purissimo ac materno, per melliſluum longeque piissimum Cor superdulcissimi Filii tui humiliter fiducialiterque repræsento et offero, deprecans te quam mihi est possibile affectuosissime, per omnem virginei Cordis tui pietatem et amorem, ut non confundas faciem meam, neque mihi præstes repulsam : sed ob honorem et fructum dolorosissimæ mortis prædulcissimi Filii tui, ob ejusque arden-

Digitized by Google

tissimum ac immensum salutis meæ affectum et desiderium, supplicationem meam apud Deum Patrem per ipsum fideliter promoveas, et exaudiri procures. Obsecro perinde te, benignissima suavissimaque Mater, ut hanc mihi divinam gloriosis ac sacratissimis tuis meritis promerearis gratiam, qua nunquam linguam meam ad loquendum nisi in Dei honorem et laudem, aut pro beneplacito suo, proximique ædificatione solvam: quo ab omni detractione, murmuratione, derisione, vanitate, scurrilitate, et ab omni illicito ac otioso sermone concludatur et refrenetur, quo purum et incontaminatum pariter fiat cor meum et conservetur, ne unquam in verbo aliquo proximi charitatem lædam, fraternam concordiam dissipem, cordis compunctionem atque devotionem in me extenuem seu annihilem, Dei in me præsentiam contristem aut a me fugem, conscientiæ tranquillitate me spoliem, tentationum ac perturbationum procellis me involvam, corruptis me judiciis inficiam, neve suspicionibus angar et crucier, ira et rancore exæstuem, displicentia et invidia tabescam et absumar. Sed, o benedicta Dei Mater et advocata nostra piissima, impetra mihi linguam mutam ad omnia mundana, vana, mala et otiosa; dum vero charitas seu obedientia me loqui compulerit, nil nisi necessarium ac præmeditatum, idque paucissimis, quam possim, verbis eloquar. Suavius ex hoc, quæso, efficias mihi, Deo loqui quam hominibus, ipsius internæ allocutioni aurem et cor mundum jugiter præparare, et pro posse exhibere, quo ab ipso sæpius merear benigne visitari, sapienter erudiri, vere compungi, in dulcissimas contritionis et amoris lacrymas resolvi, perfectius illuminari, suo divino amore magis inflammari, gratiosissimis donis suis suaviter refici, contemplationis suæ dulcedine inebriari, ipsique purius semper uniri, uti tandem totus liber et expeditus ab omnibus, nudis brachiis amoris ipsum amplectar et perenniter in ipso, ipseque in me quiescere possit. Amen.

THRENOS DECIMUS.

Actio gratiarum pro acerbi doloris gladio, qui piissimam Deiparæ Virginis animam dire lancinabat, dum innocentissimus ejus Filius inverecunde ac inhoneste denudaretur, inclementer ad columnam ligaretur, inhumaniterque undique flagellis, virgis et scorpionibus dilaceraretur.

Lucidissima maris stella, dulcissima mundi Domina, reorum advocata potentissima, miserorum adjutrix et consolatrix promptissima, desperatorum spes unica, Mater Jesu amabilissima Virgo Maria! heu quam horribili innocentissima anima tua tunc transvulnerabatur dolore; heu quam incogitabilis te tunc invasit et corripuit pressura et angustia, dum ad furiosam improbitatem, virulentum livorem cruentamque impiissimorum Judæorum sitim, ut spem præses habebat, restinguendam, quo immeritam et innocentem justi et innoxii Filii tui mortem appetere desinerent, rabidis illis canibus ac immitissimis tortoribus facultas ab ipso dabatur et potestas, sævam in agno mitissimo, in dulcissimo, inquam, Filio tuo explendi malitiam suam, purissimum nimirum, nobilissimum et virgineum corpus ejus discerpendi, regiumque ejus fundendi cruorem! Quis mortalium præter te, o Virgo beatissima, cognoscere vel credere, quanto minus explicare poterit, quam crudelis et exacutus diri doloris gladius animam tuam tunc ferierit ac lacerarit, dum furibundi illi satellites atque lictores, agnum mansuetissimum rapientes, vestibus illi ferociter detractis, tam inverecunde coram omni populo denudarent, adeo crudeliter ad columnam vincirent; quod caro illius ob nimiam suæ naturæ mollitiem ac teneritudinem funes, quibus vinciebatur, prorsus operiret, et sanguis ex digitorum unguibus erumperet; ea de causa tam ferociter eum vincientes, ne ex eorum manibus elaberetur: quandoquidem maleficum et impostorem eum habebant, uti a perfido *Marc.* XIV. 46.

Digitized by Google

traditore Juda præmoniti fuerant ? Ast quis dicendo consequi possit, quam immenso et impatibili dolore et tristitia circumseptum fuerat et confectum maternum Cor tuum, si coram intueri tibi concessum fuit, dum immites illi carnifices velut ferocissimi leones elegantissimum sacratissimumque ejus corpus tam inhumaniter flagellis dilacerarent, undique vulneribus scorpionibus inflictis, exararent et discinderent, validis et crebris verberibus venas aperirent, costas, carne sanctissima uncis ferreis flagellis innexis avulsa, nudarent ; adeoque inhumanis discerperent cruciatibus, ut omne ejus corpus ceu excoriatum videretur et non nisi sanguinem videre esset et vulnera, cunctisque aspectu esset horribilis : quod propheticum illud quoque testatum reddidit : *A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas.*

Joann. XIX, 1.

Is. 1, 6.

Mirum est valde, o præexcellentissima Domina, quomodo perditissimi illi homines sic potuerunt crudeliter speciosissimum omnium mortalium, Filium inquam tuum, dilaniare ; sic absque ulla compassione tacentem, humilem, patientem ut agnum mitem ac mansuetum affligere et vulneribus conscindere, ut non prius desinerent, quam verberando defatiscerentur; prioribus vero lassis et pausantibus, alii recentes vilissimi nebulones et crudelissimi, utpote ad hoc feroces electi, succederent, qui suam non minus quam priores in ipsum evomerent crudelitatem, aliis virgis recentibus et nodatis flagellis reliquam corporis partem miserabiliter laniando. Quandoquidem prorsus verisimile est, eos multoties virgas et flagella in ipsum attrivisse, partesque virgarum et flagellorum nodos ejus sacratissimæ carni fixas inhæsisse et permansisse.

O quam immisericorditer et miserabiliter vilissimi illi scurræ vel pecunia inducti a Judæis, aut ex sua volentes malitia eisdem complacere, superdulcissimum tuum Filium, sacratissima Virgo, lacerarunt, et adeo inhumanis affecere doloribus, ut ob naturæ et complexionis excellentiam ac teneritudinem quilibet ictus Cor illius procul dubio penetraret ! Quam intolerabili quoque dolore et angustia Cor tuum virgineum conscidit et materna viscera laceravit crudelissima hæc prædilecti Nati flagellatio, pretiosissimi cruoris sui tam abundans effusio, et indignissima impiorum pedibus ejusdem conculcatio : sui denique coram tot impudicis hominibus inhonesta et inverecunda nudatio ; quam gravissimam ignominiam incomprehensibiliter honestissimum Cor ejus affligere certo certius sciebas, cum cunctis aliis virginibus, quarum nonnullæ hac ignominia leviorem mortem, quamvis atrocissimam, tulere, pudicitior ipse foret, castior ac verecundior.

Pro omni autem hoc dolore tuo et mœrore; quibus ob præmemorata excruciata fuisti, perenni gratiarum actione benedico et laudo te, milliesque saluto : Ave, dignissima Dei Mater, gratia plena. Amen.

Oblatio pro peccatis cunctisque negligentiis et defectibus satisfactoria ; item resignatio sui totius in Christi gratiosissimam voluntatem.

O SACRATISSIMA dignissimaque christifera Virgo Maria, pietate plenissima, en miser ego et vilis peccator, omni qua possum humilitate tuis advolutus vestigiis, intimo de peccatis meis omnibus dolore, altis suspiriis, acerba contritione lacrymisque ferventibus usque in cœlum clamo confiteorque, me reum et causam esse tam immanium dolorum tuorum et superdulcissimi Filii tui, tot livorosorum et profundorum vulnerum suorum, tanti sacri sui cruoris profluvii, tam inhumanissimæ, miserabilissimæ conscissionis nobilissimi tenerrimique corporis sui ; eidemque per virgineum Cor tuum in unione omnis tui erga eum affectus et amoris, infinitas ago gratias pro fervido et immenso hoc suo in me amore, quo exsolvere, diluere et expiare superabunde acerbissima hac sua Passione dignatus est, quidquid ullo tempore er-

Digitized by Google

ga divinam justitiam suam ego deliqui, nec non resarcire atque supereffluentissime supplere, quidquid unquam in meritis et virtutum actibus neglexi. Vincit enim plane Passio ejus cunctorum etiam mortalium peccata universa, divitiæque meritorum ejus tam immensæ ac infinitæ sunt, ut cunctis vitiis et negligentiis omnium etiam hominum præponderent. Ideoque ex his altissimis haurio rivulis, et ex supereminentissimis meritis tuis, quidquid unquam mihi deesse perspexero, atque in omnis debiti mei exsolutionem divinæ Majestati per vos offero.

Et nunc pleno te ac benedictum Filium tuum ferventer amandi, cunctaque, quæ me a vestro possint amore abstrahere, evitandi affectu et desiderio vos accedo, paratissimus omnem gratissimam vestram exsequi voluntatem. En enim toto vitæ meæ tempore ac in æternum omnium virium mearum facultate vestræ exoptans delectationi vicem rependere et facere satis, offero totum me vobis, corpus, animam, cor, sensus, memoriam, intellectum, voluntatem, et quidquid possum; paratus sustinere, quidquid me pati et facere voletis in tempore et æternitate in carendo et accipiendo, dimittendo ac patiendo, unice hoc ex intimis meis præcordiis suppliciter expostulans, ut præstetis mihi tam amare vos medullitus, ut ipsi a me amari vultis: nec non fulgentissimo divinæ gratiæ splendore fundum animæ meæ totum perlustretis, quo quid in conspectu vestro beneplacitum sit jugiter agnoscens, omni hora meipsum perfectius exeam, relinquam, vobisque conformem, quo unus vobiscum effici tandem merear spiritus, intellectu et affectu, voluntate et amore: atque totus a vobis possideri, regi, dirigi dulciterque quiescere et in vobis obdormire, spiritumque meum fiducialiter et exultanter vobis reddere possim. Amen.

THRENOS UNDECIMUS.

Actio gratiarum pro immenso dolore, quo beatissima Deipara Virgo discruciabatur, dum dire flagellis cæsus et cruentatus, atque a columna absolutus coram tota militum cohorte, spinea corona, chlamyde coccinea, arundine et aliis contumeliis illuderetur innocentissimus Filius ejus.

Maria, Virgo dulcissima, Genitrix Dei dignissima, Domina et Advocata nostra clementissima ac fidelissima, supplici cum laude benedico gratiasque ago tibi pro amarissimi doloris et compassionis gladio, qui materna præcordia tua sævissime perfodit et dissecavit, dum immites illas belluas crudeliter jam benedictum fructum uteri tui dilaniatum vulneribusque adeo conscissum, ut nulla pars in omni illius corpore salva permansisset, essetque corpus ejus nonnisi vulnus ubertim promanens; ita ut cunctis esset aspectu horribilis, a columna absolutum, nudum ac sanguine fluentem, adeo ut singula quæque vestigia roseo suo signaret cruore, plenum doloribus, ut præ debilitate virium vix stare posset, præ frigore tremebundum, in prætorium adducere, totamque militum cohortem ad eum congregare vidisti, ut nimirum omnes interessent spectaculo ac ludo, quem cum eo agere contendebant sicque majori pateret ipse confusione, ludibrio et contemptui. At quis, Mater clementissima, dicendo consequi poterit seu mente comprehendere, quam immenso et impatibili dolore atque tristitia circumseptum tunc fuerit et confectum maternum Cor tuum, quamque totum pene in lacrymas resolutum, ac præ intolerabili angustia fere disruptum, dum inhumaniter adeo, et supra, quam ipsis Pilatus commiserat, superdulcissimum Filium tuum discerptum tam adhuc crudeliter tractari conspiceres, chlamyde coccinea derisorie pro regia purpura amiciri, coronam e spinis contextam loco regii diadematis sancto illius capiti imprimi; arundinem ei sceptri vice in manus dari, flexisque genibus ridicule adorari: immitissimos autem canes illos, omni hac sacri cruoris ex dilacerato corpore excruciatoque capite ejus

Matth. xxvii, 28. *Marc.* xv, 17. *Joann.* xix, 2.

Digitized by Google

effusione, immani quoque hoc cruciatu, stupenda denique ejus patientia nedum exsatiari, verum rabidos eorum animos magis ad malitiam inflammari, cerneres : ita ut deformem Filii tui faciem omni decore et specie destitutam, utpote ex verberibus, plagis et injuriis, quibus ea nocte affecta erat, tumidam, unguium lacerationibus divulsam, necnon sputis et phlegmatibus commixtam in eam fluentibus, jamque concretis, turpiter defœdatam, denuo conspuerent ea, rapta e manu ejus arundine horribiliter caput ejus sacratissimum crebris ictibus contunderent, quibus spinarum aculei peracuti admodum et rigidi ipsas venas, nervos et ossa capitis penetrantes, sacro ejus cerebro et vertici altius infigebantur adeo, ut hæc pœna etiam Cor illius attingeret, et sanguinem ejus pretiosum ubertim per faciem, per collum, perque capillos defluentem elicerent et exprimerent. Heu, quantas ad hæc contumelias et contemptus, quantas blasphemias et molestias, quam truces vultus, quam verba minacia inter pœnas has inexplicabiles ac immensos cruciatus Agno tuo mitissimo irrogarunt! Heu, dulcissima misericordiæ Regina, cum quanta animæ tuæ tristitia, cum quanto sanctarum lacrymarum profluvio considerabas prædilecti Nati tui tam stupendam mansuetudinem, patientiam et charitatem, ita ut ne semel quidem faciem suam ab eorum verberibus et sputis averteret, neque unquam os suum benedictum ad maledicendum vel murmurandum aperiret, nec manus pro sui ultione vel defensione extenderet, nec vultum
Is. L, 6. ad iram seu indignationem mutaret : sed benigne adeo totum corpus suum tortoribus exponeret, omnem in se obstinatam illorum malitiam, crudelemque tyrannidem expleri sinens! Quæ igitur mens digne dicere, aut quis intellectus capere sufficiet desolationum illarum tuarum pondus et mensuram, quibus maternum Cor tuum tunc opprimebatur ? Nam ex maternali compassione et naturali affectu omnium dolorum ac vulnerum ejus particeps per omnem modum semper effecta fuisti. Pro quibus omnibus pressuris tuis et mœroribus te benedico milliesque saluto : Ave, benignissima Mater pietatis et indulgentiæ, gratia plena. Amen.

Humilis et dolorosa confessio nostræ impatientiæ, cæcitatis et ingratitudinis in tribulationibus Dei munere exhibitis ; itidem pro vitiorum horum emendatione contrariarumque virtutum largitione.

Væ, væ nefando mihi peccatori, væ impio et sceleroso transgressori, qui tantorum Domini mei cruciatuum et opprobriorum, tantorum etiam dolorum et angustiarum tuarum, Mater amantissima, causa existens, vobis non compatior! Et *II. Tim.* si non condoleo, quomodo conregnabo? II, 12. Quomodo Christi capitis mei me membrum et tuum filium comprobabo, dum ejus dolorem et opprobrium non sentio nec participo; dum tibi non collacrymor nec condoleo? Imo cur, proh dolor, in flagellis et tribulationibus aliquando mihi obvenientibus ita impatientem, reclamantem, in querelas et murmurationes indignabunde erumpentem me invenio? Cur non potius amantissimo ac fidelissimo Patri pro qualibet adversitate præcordiales et juges refero gratias, cum præclarius et pretiosius, post seipsum, donum fidelibus amicis suis in hac vita largiri non possit; cumque iste sit annulus pretiosus quo sibi Deus animam humilem et patientem suaviter et amabiliter desponset, et ad potiora dona suscipienda, sublimiterque transformandam ipsam dignissime præparet et adornet? Numquid non inhumanis et incomparabilibus doloribus et angustiis suis sibi vicem aliquam rependi etiam quam fidelissime promeruit? Annon ob innumera et irremunerabilia gratuita collata beneficia dignus etiam est, pro quo nonnihil sustineam? Quid, cum inferni tormenta vicibus innumeris commerui, numquid non eorum loco patientissimo corde omnia libenter sufferam? Heu, immensa mea cæcitas, quæ

Digitized by Google

hæc minime advertit! Heu, quod non considero et indesinenter pertracto, non nisi per crucem calicemque adversitatis ad æternitatis gloriam perveniri ; quodque
II. Cor. IV, 17. *momentanea et levis tribulatio hujus vitæ supra modum in sublimi pondus æternæ gloriæ operetur in nobis!* Heu mihi, quod ita cæcatus fui, ut immensum hunc pium paternumque amorem attendere nequiverim, quo munus hoc præclarissimum, tribulationem et adversitatem, signum evidentissimum appropinquantis gratiæ suæ, toties mihi donare amanter disposuit et largitus est : ideoque ingratus, tardus et æger pressuram quamlibet non patienti et hilari animo, sed tepido et invito corde suscepi, imo sæpius subterfugi et evadere quæsivi, spolians memetipsum gratiæ suæ fructu, quem indubitanter per has mihi impartiri statuerat!

Quapropter, o fons misericordiæ, fons salutis et gratiæ, piissima christifera Virgo Maria, spes et refugium meum desideratissimum et securissimum post Deum, te cum omnibus piissimis et ferventissimis lacrymis tuis obsecro fiducialissime affectuosissimeque, ut in recompensationem et supplementum omnis negligentiæ ingratitudinis et impatientiæ meæ, et in gratiarum actionem amarissimæ et innocentissimæ Passionis Fili tui, eidem prætendere et offerre digneris omnes acerbissimos dolores, intensissimos mœrores, amarissimas lacrymas, maternam compassionem, mitissimam patientiam, humillimam resignationem, perfectissimam charitatem tuam, et universa simul gloriosa merita tua, quibus etiam hanc mihi promerearis gratiam, ut postmodum omnis amantissima Dei voluntas mihi fiat desideratissima, ut quidquid dehinc, sua ordinante paterna fidelitate et providentia, mihi adversi obvenerit, patienter æquanimiterque cum alacritate, dulcedine, gratiarum actione, et cordis devotione patiar : nil amari turbulentive admittens aut circumferens adversus eos, qui molestiæ quidpiam unquam mihi amodo irrogaverint ; quin potius singulari eos dilectione et obsequio honorem et remunerem tanquam meos purgatores et fidelissimos coadjutores regni Dei promerendi ; de sola manu Domini cuncta desideranter suscipiens cum perfecta animi resignatione et præcordiali gratitudine, continue fideliterque perpendens, quam amanti, quam pio et benigno corde ad utilitatem meam hoc me præclaro donarit munere, quatenus sic benigne, humiliter et profunda cum gratitudine, ejus me postmodum submittam subdamque paternæ correctioni et flagellis, ut ab æternæ gehennæ flagellis sua misericordia et gloriosa tua intercessione liberer, et immarcescibili gloria atque honore tecum in cœlis æternaliter coroner. Amen.

THRENOS DUODECIMUS.

Actio gratiarum pro mœrorum et pressurarum abysso, qua demergebatur sacratissimum Cor Deiparæ Virginis Mariæ, dum a præside populo spectandus exhiberetur, adeo dire excruciatus dilectus unicus ejus, a sævissimaque plebe feroci animo ad ignominiosum crucis supplicium expostularetur, et mortis sententia a Pilato damnatus, Judæorum manibus crucifigendus traderetur.

Nobilissima cœlorum Regina, gloriosissima mundi Domina, beatissima christifera Virgo Maria : quam inæstimabilis et acerbus procul omni dubio dolor et angustia apprehendit atque concussit materna viscera tua ; quam amarissimus te mœror circumdedit et invasit, dum tam inhumaniter tractatum, tam miserandum in modum vulneribus conscissum et sauciatum, ex omni corporis parte sanguinem manantem, et præ frigore tremebundum unicum Dilectum tuum a præside produci populo spectandum, vidisti! Ast quamvis Pilatus spectaret, se furibundam eorum iracundiam sedaturum, sanguinariamque sitim restincturum, si eum pœnis tam im-

Digitized by Google

mitibus correptum, ignominia et illusione tam gravissima et crudelissima affectum, tam miserabiliter lacerum, si denique innocentem eum et nil male meritum, sed sola improbitate et eorum invidia traditum, tam dire tamen præter fas et æquitatem castigatum, ipsis produceret et exhiberet, sævam inquam eorum tyrannidem, inclementiam et odium in charitate jam transiturum cum nec latro vel scelestus quispiam suis pro facinoribus unquam tam indigne tractatus sit : sed, proh dolor, dulcissima Domina, ferreum eorum pectus non modo tam immanis cruciatibus neutiquam emolliri, verum ad majorem etiam excandescere livorem et invidentiam conspexisti, adeo ut feroci animo, incomposito et horribili sonitu vociferarentur : *Tolle, tolle, crucifige eum; Sanguis ejus sit super nos et super filios nostros.* O quanto tunc dolore et pressura piissimum maternumque Cor tuum verba hæc crudelissima, animo tam invido ac maligno deprompta, consciderunt et laceraverunt ! Quam insuper pene tota mœrore et angustia tabuisti et examinata es, dum videres Pilatum nil valere neque proficere, quidquid vel diceret, vel faceret pro Filio tuo liberando : eorum autem insaniam ac furorem magis ac magis increscere, necnon Pilato, si absolutum Filium tuum vita ac libertate donaret inimicitiam Cæsaris amissionemque minare principatus !

Joann. XIX, 15. *Matth.* XXVII, 25. *Luc.* XXIII, 23.

Et quis tam durus et impius invenietur, qui clamores illos horribiles, inauditam hanc invidentiam et execrandum Judæorum odium audiens, non ingemiscat, et sine compassione prætereat ? Quis sævissimis et sanguinariis his canibus non succenseat ? Quanto magis Mater ejus, tu dulcissima, præ creaturis omnibus abundantius ejus amore perfusa et absorpta, doloribus morte amarioribus tunc repleta distendebaris. His autem sese appulit, totam te absorbens et operiens, immensus et amarissimus alius dolorum torrens ; dum in Auctorem vitæ, in normam justitiæ, sine cujuscumque criminis demerito, nefariam et injustissimam mortis sententiam ferre præsidem audires, virum autem homicidam et seditiosæ vitæ ad vitam reservare et libertate donare. O quam injustum judicium ! O crudelis nimis et iniqua damnatio ! O judex perverse, jam dudum nullam in eo causam invenisti, et nunc eum morti ignominiosissimæ, ut ferocientis populi captes favorem, adjudicas ! Licet laves manus, quamvis excuses te coram hominibus, licet feceris timore Cæsaris, quamvis Judæorum importunitate coactus, non es tamen a scelere penitus immunis, excusatus et liber. Melius tibi fuisset perdere principatum honoris, quam ad crucis mortem condemnare, quem justum sciebas. Sed quid arbitraris, sacratissima Virgo, aut formidas rabidos illos et sanguinarios canes Agno tuo mitissimo irrogaturos, jam judicis obtento consensu, qui tanta attentare ausi sunt injussu præsidis ? Nimirum quidquid malitiæ concipere poterunt, in ipsum exercebunt ; acerbissima, ignominiosissima, maxime cruciabili et contemptibili morte, quam quidem excogitare quiverint, ipsum afficient, quandoquidem impiissimis manibus ac crudelissimæ illorum voluntati traditus est. O quis sibi temperet lacrymis, reminiscens amabilem Dominum, agnum innocentem cruentis traditum esse manibus Judæorum, ut suam in eo explerent voluntatem, ut eum crucifigerent et pro voto suo interficerent ? Et tu, dolorosa et mœstissima Domina, Jesu Mater amabilissima, numquid non præ nimio Cordis tui cruciatu ac terrore latæ sententiæ manibus et brachiis laxatis exanimis in terram corruisti et defecisti ? Equidem non mirum. Cum nequaquam mirum fuisset, si in multa esset tunc frusta præ dolore divisum et ruptum maternum Cor tuum. Sed, suavissima et benedicta Domina, vix primis labris attigisti ac degustasti dolorum, quæ hac Filii tui Passione pro nobis tibi absorbendæ sunt amaritudines : pro his autem benedico, laudo, superexalto te milliesque salu-

Luc. XXIII, 25. *Joann.* XIX. 1. *Matth.* XXVII, 26. *Luc.* XXIII, 25.

Digitized by Google

to : Ave, fidelissima et amantissima Mater Dei cœlica Maria, gratia plena. Amen.

Pro indelebili profundissimaque impressione imaginis Passionis Christi, et dulcissimæ Matris ejus ; pro præcordiali compassione, pro perfectaque dilectione et plena sui reconciliatione.

Ps. XLIV, 3. *Is.* LIII, 2. VENI, o anima mea, et interno cum dolore vide, quanta tibi sponsus cœlestis Deus et Pater tuus fecerit ! Aspice, ut Rex gloriæ pro sceleribus tuis vulneratus sit, ut pulcherrimus et speciosissimus inter filios hominum ita deturpatus, ita deformis et absque specie effectus est ! Respice, quantis pro te angoribus et despectibus subjectus sit æterni Patris Unigenitus ! Vide, si dolor ullus hisce possit doloribus æquiparari. Quid ultra ab eo exigis ? Quod si et ista non sufficiunt, plura adhuc pati paratus est. En, pro peccatis tuis libens etiam mortem excipiet, sanguinemque suum ad extremam usque guttulam effundi patietur. Sed et Cor ipsum tui causa confodi sinet, ut ipsum tibi patefaciat, et effluentissimum prorsusque immensum, quo te ab initio complexus est, suum declaret amorem. Quid nunc, anima mea, pro iis rependis ? Quid pro charitate tanta retribuis ? Num duro et frigido corde, absque compassione præteribis ? Si qua ergo in te sint pietatis viscera, tota compassione concutere et collacrymare amantissimo sponso tuo, cui præ intemperantia flagrantissimi amoris sui non suffecit, se totum pro te expendere ; quin dulcissimam Genitricem suam, ob augmento redemptionis et salutis tuæ innumeris acutissimisque immanium dolorum gladiis voluerit transfigi et dilacerari.

Ubi est igitur nunc erga eam quoque compassio tua, ubi dilectio, ubinam ingratitudo ? O in lacrymas erumpant cuncta membra et omnes venæ meæ, colliquescat præ dolore cor meum, totumque resolvatur in lacrymas, quod execrandis meis sceleribus tam crudeliter descerpserim, tam dire coronaverim te Deum et Creatorem meum ; quod tot tamque amarissimis mœroribus te meam dulcissimam quoque Dominam ac Matrem dulcissimam perfuderim. Humiliter etiam coram te sacratissima Virgine prostratus, intime deprecor et supplici ter exposco penetrativæ compunctionis et compassionis gratiam, ut illam miserabilem benignissimi vultus et sacratissimi corporis Filii formam, qualem habuisse a te visus est, dum velut abominabilis leprosus, confusibiliter populo spectandus produceretur, necnon miserandam et tristissimam illam tuam habitudinem, desolationem et angustiam, qua eum cernens constringebaris et afficiebaris, cordi meo tam perspicaciter imprimas, et tam ardenter infigas, ut amodo omne mundanum et curiosum ab oculis meis pereat, omne carnale et libidinosum penitus intereat, omne vile et amarum propter vos dulcescat et placeat : gravissimus mœror vester intimis cordis mei infusus, malas et impuras affectiones meas compescat, vincat et exurat ; indicibilis dolor vester quotidianas meas molestias mitiget ac mulceat ; angores et tristitiæ vestræ salubri contritione efficaciter me vulnerent ; piissimæ lacrymæ vestræ me reconcilient, et in gratia Dei Patris in omne ævum confirment et conservent ; gloriosa, infinita, et sacratissima merita vestra omnia neglecta mea resarciant ; excellentissimæ virtutes vestræ dignissimæ me exornent, effectus charitatis vestræ tam potenter in intimis meis transfusus prævaleat, ut totum me penetrando jugiter distillet per omnes motus, vires, sensus corporis et animæ meæ, sicque totum me inflammet, purget, in ipsam meam originem, Deum rapiat, absorbeat et uniat. Amen.

THRENOS TERTIUS DECIMUS.

Actio gratiarum pro gravi mœroris cruce, qua pressum angebatur amantissimum Cor christiferæ Virginis, dum innocenter ignominiosæ morti adjudicatus, latroni-

Digitized by Google

bus associatus, gravissima Crucis mole pressus, vilissime et ferociter tractaretur, et ad Calvariam educeretur, dulcissimus Natus ejus.

O VIRGO virginum signifera, o feminarum omnium pulcherrima, super omnes Sanctos excellentius magnificanda, diligentiusque amanda Dei Genitrix, dignissima Maria : recordare immensi prorsus et profundissimi dolorum et mœstitiarum pelagi, quod Cor tuum longe piissimum circumvallavit et operuit, dum ad ignominiosam mortem damnatum, mellifluum Natum tuum multa cum festinatione et ferocitate rapi a furiosis illis carnificibus conspexisti, introque propelli, ubi eum purpurea veste nudatum, suis eum denuo vestibus induerunt ad illius majorem ignominiam et dedecus, ut tanto melius in habitu proprio agnosceretur, cum ex facie jam non posset agnosci, utpote consputus, cæsus, lividus et cruentatus, nullam habens hominis speciem.

Matth. xxvii, 31.

Sed quis, putas, mœstissima Domina, dolor cordis, et corporis accreverit benedicto Filio tuo, dum chlamys illa rubea concreto et indurato sanguine vulneribus ejus inhærens et agglutinata ipsi extraheretur, dum etiam nudus et frigore tremens in oculis impudicorum hominum se deridentium vestes suas passim disjectas colligeret atque stans indueret ! Equidem non dubito, ex vestium hac mutatione ejus vulnera acerbissime recruduisse et renovata fuisse. Verisimile est quoque spineam coronam a capite ejus avulsam, eo quod inconsutili tunicæ tuæ reinduendæ impedimento esset, denuo incredibili cum tormento sancto ejus capiti ipsos impressisse. Interea, ut quod propriis fortasse oculis conspexisti, alii satellites molem Crucis, stratum mortis suæ ipsi præpararunt, quod sacris illius humeris imposuerunt in grandem sui confusionem, ut suum ferret dedecus, essetque cunctis hominibus contemptui ludibrioque, illiusque memoria penitus ex hominum cordibus deleretur.

At quis secum satis poterit expendere, quantus te dolor et angustia prægravarit : dum unicum solamen Cordis tui, quem tam incomprehensibili complectebaris amore, videres inter damnatos latrones annumeratum, Judæorum hoc provocante invidia, omnibus eum modis infamari cupientium, quo suam famam protegerent, et justitiæ zelo cuncta egisse judicarentur, quæ in ipsum essent machinati : dum etiam contuereris gravi eum Crucis trabe, longitudine pedum quindecim, onustum, miserabiliter derelictum, sub Crucis onere curvum atque depressum, gemebundum ac totum infirmum sæpius deficere, et in terram præ nimio angore pronum corruere, fustibus et malleis dire cædi et sauciari, duris funibus, quibus eum constrixerant, trahi, pedibus impelli et protrudi, blasphemiis, calumniis, convitiis, derisionibus et innumeris afflictionibus affici et vexari : dum aspiceres etiam gratissimum vultum ejus, quem toties intima cum devotione amplexa fueras, tam turpiter deformem et misere affectum phlegmatibus et sanguine fœdatum, venerandumque caput ejus horribili corona spinea crudelissime compunctum : dum denique cerneres ipsum ex omnibus illis gravissimis pœnis et molestiis quas tota nocte illa et die perpessus erat, adeo debilem et lassum effectum, ut totus exhaustus et viribus esset destitutus jam ad hæc cogi etiam tam longo ferre itinere ingentem illam Crucis molem ora præacuta cruentis humeris impositam et impressam, quæ grande ei inflixit vulnus, ex multis vulneribus unum profundissimum efficiens tantoque afficiens dolore, ut cruciatus hic etiam Cor ejus penetraret? Quandoquidem Crux prolixior erat et ponderosior, quam totam in humeros recipere posset; ideoque pars extrema cum immensa Cordis angustia et gravissimo labore a tergo per lapides et alia protracta grandem et horridum excitabat strepitum incredibili eum dolore afficiens. Nam suo pondere ora præacuta cutem, carnem, nervos venasque penetrando et atterendo

Digitized by Google

resolvebat, cruoremque uberrime elidens et emanans, omnem illam longissimam viam cruentabat.

O quam vehemens et indicibilis tunc dolor et tristitia te corripuit, dum cruorem hunc sacratissimum impiorum illorum totiusque et innumerabilis confluentis plebis pedibus conculcari es contuita ; dum insuper cerneres sanguinarios illos canes et tyrannos tam immodice ejus accelerare mortem, retrorsum dire stimulantes et calcibus protrudentes, antrorsum fortiter attrahentes, hinc et inde pluries agitantes, et sine ulla miseratione inhumanis verberibus afficientes, ac si bestiam præ manibus habuissent : qui cum viderent se nec verberando, nec trahendo, nec propellendo eum jam omnimodo viribus destitutum, ulterius promovere posse, alium post eum ferre Crucem compulerunt ; non quidem aliqua inducti compassione, sed ut tanto celerius eum neci darent, quia ferventer nimis ejus sitiebant sanguinem : timentes quoque, ne forte in itinere sub manibus eorum animam efflaret, priusquam omnem in eum malitiam sævitiamque suam exercuissent.

Matth. xxvii, 32. *Marc.* xv, 21. *Luc.* xxiii, 26.

O benedicta Domina, quam immenso amarissimi doloris flumine tuum piissimum oppleverat animum gravissima hæc Filio tuo irrogata ignominia, dum tam confusive, tam crudeliter tamque vilissime tractaretur, et cum ponderoso Crucis ligno tanquam socius furum et princeps latronum educeretur extra urbem celeberrimam, in qua multis antea signis et doctrinis gloriose emicuerat ! O quam libentissime et desideranter nimium tibi, si licuisset aut potuisses, gravissimum hoc Crucis pondus et opprobrium pro eo sustulisses ! Quam etiam citissime pro eo mortem ipsam subiisses, si hoc ei placuisse cognovisses ! Sed quod corpore pro eo ferre nequibas, mente fidelissime pertulisti : nemini enim amatorum sic ad cor introiit dolor ejus, sicut amanti animæ tuæ, quæ præ omnibus electis et Dei filiis ipsum ferventius amavit, ideoque amplius compassa est et afflicta. Pro universo autem hoc mœrore tuo et Cordis dolore laudo, benedico et gratias ago tibi, milliesque saluto. Amen.

Pro hilari, fideli perseverantique bajulatione Crucis tribulationum cum Christo, et pro plena perfectaque egressione extra seipsum omnemque creaturam.

O MISERATRIX miserorum, o dulcis consolatio afflictorum, o promptissima in omni necessitate adjutrix pupillorum, gloriosa cœlorum Regina, Virgo Maria ! etiamsi ex acerbissimo ob Filii tui flagellationem, coronationem et iniquam ad mortem condemnationem concepto dolore, pene exhausta et viribus esses destituta, nihilominus ob flagrantissimum tuum erga eum amorem, viribus resumptis, forti perseverantique animo fideliter, licet mœstissime et cum inestimabili spiritus angustia eum subsecuta es, et ad mortem usque adhæsisti, cunctas quoque ejus passiones et miserias in te perfectissime transformasti profundissimeque impressisti : fac gloriosis tuis meritis ac precibus, o serenissima Virgo, me pariter sponte cum Nato tuo hilariterque in humeros levare crucem pœnitentiæ et tribulationis, atque eamdem fideliter ac perseveranter ferre post ipsum. Primitus autem cum eo plene perfecteque fac me exire non modo tumultus, turbationes et frequentiam hominum, verum etiam omnimodo meipsum, extra omnem nimirum proprietatem, sensualitatem, et extra omnem illicitum erga creaturas amorem : denique libera ac tranquilla mente extra omnem quoque internam et spiritalem consolationem et sensibilem gratiam ; necnon extra omnia in quibus meipsum quæro plus quam nudum Dei honorem, dilectionem et voluntatem. Porro sic Dei gratia tuoque pio juvamine totaliter me, et omne quod pure Deus non est, egressus, hilariter in humeros suscipiam, fideliterque portem Crucem Domini quarumcumque afflictionum ipso permittente mihi occurrentium, undecumque veniant, sive ab homi-

Digitized by Google

nibus, sive a maligno spiritu, sive a culpis et defectibus propriis, cuncta libenti animo ingentique cum gratitudine de manu Domini excipiam, voluntarium me vivumque instrumentum exhibeam, sine ulla optione totum ipsi me offerens et resignans, quo quidquid sibi visum fuerit, necnon quidquid ab æterno mecum agere in perpetuum constituit et præordinavit in me et de me, perfectissime ad æternam gloriam suam compleatur, ut cum dilecto Nato tuo gratum Deo Patri jam sacrificium, ipsiusque immenso erga me amori pro modulo meo respondeam, abnegando nimirum et resignando penitus memetipsum, ac eidem in me operandi plenam faciendo copiam et potestatem.

Quapropter ex totis animæ meæ medullis obsecro te benedicta et potentissima inventrix gratiæ, præfulgida cœli Regina, impetra mihi fidelissimam constantiam et fortitudinem, constantissimamque fidelitatem, qua ad extremum usque spiritum nunquam me Deo amantissimo subducam aut subtraham, nunquam ab eo recedam neque in cruce, neque in morte, nec in afflictione qualicumque : imo nec a cruce unquam absolvi petam, sed pati eam ferventissime desiderem, quoad Domino visum fuerit : sed neque terrenam ullam nec spiritalem quæram consolationem, quæ mihi crucem aut mollire possit aut minuere. Denique nullam aliam hinc mercedem appetam, nisi ut ad Dei cedat honorem, gloriam et laudem, atque illi soli placeam. Amen.

THRENOS QUARTUS DECIMUS.

Actio gratiarum pro acerrimo ac multiplici mœstitia, quæ mitissima christiferæ Virginis anima contorta fuit, ob furiosam et inverecundam nudationem, rigidissimam super Crucem extensionem, crudelissimam manuum et pedum perforationem unici Filii sui.

Pientissima ac benignissima Domina, purissima et sacratissima Deipara Virgo, totius pietatis et misericordiæ visceribus plena, repræsento nunc cum multis piissimis animæ meæ lacrymis et singultibus Cordi tuo virgineo inexplicabilem illum acerbumque dolorem, quo velut amarissimo absinthio inebriata fuisti, dum indicibili cum tristitia et angustia ad ignominiosum supplicii locum Filium laboriosissime præ debilitate virium subsecuta aut potius concomitantium piarum mulierum manibus velut pene mortua provecta, aut sæpius adjuta, eidem lasso et exhausto sceleratos illos carnifices vinum acidum et corruptum myrrha felleque permixtum præbere conspexisti, cum in derisionem, tum in ejus majorem afflictionem et cruciatum, quo lividi et furiosi illi canes, quam essent in eum amaro ac virulento corde, manifeste prodebant, quando ne unum quidem membrum in eo impunitum relinquere desudabant. Eia, dulcissima Virgo, quomodo amaricatum est tuncos Cordis tui suavissimum, cum apponeretur ori ejus poculum hoc acerbissimum ! Quanta mœroris et angustiæ totam te quoque illico corripuit acerbitas, dum tanta cum rabie et inclementia a crudelissimis illis canibus sibi vestes vulneribus agglutinatas abstrahi, ad cutem usque ignominiose detegi, et omni circumspectante plebe in conspectu acerrimorum hostium et illusorum suorum cum magno ibidem eum stare rubore et tremore coram intuita es, omnium factum opprobrium et abjectionem! O quam gravi tunc virgineum Cor tuum mordebatur dolore; o quot sanctarum lacrymarum fontes profuderunt pudicissimi oculi tui, dum benedictam et sanctissimam carnem illam, quam ita dulciter de Spiritu Sancto concepisti, et novem mensibus in utero aluisti, et tam delectabiliter lacte virginali potasti, et tam crebro in tuo castissimo reclinasti sinu, amplexans et genas deosculans labiaque labiis imprimens; dum eam, in quam jam, si fortasse illum antea nudum non vidisti, aut si vulgi pressura præpedita etiamnum fuisti, in Cruce es visu contemplata, vulneribus adeo scatentem, adeo

Matth. xxvii, 34.

Luc. i, 35.

Digitized by Google

sanguine pollutam, adeo lividam, adeo laceratam et deformatam, nunc quoque in oculis impudicissimorum ipsum deridentium et blasphemantium detectam adeoque nudatam, ut ne quidem illi adesset quo verenda sua sancta contegeret.

O quam immensus quoque tunc hisce tuis mœroribus affluxit angustiarum et dolorum impetus, dum oculis tuis, ut pie creditur, etiam carnalibus cerneres dulcissimo Nato tuo in frigida petra residenti, ferocissimorum leonum manibus concluso, innumeris blasphemiis, exprobrationibus et injuriis exposito, frigore quoque obrigescenti, stratum mortis præparari, cum rapidissimo furore raptum, dorsotenus et supinum immitissime in illud dejici, tam rigorose toto corpore in longum latumque distrahi et distendi, ut membrorum ejus compages dissolverentur, omniaque ejus ossa dinumerari possent : dum etiam videres crassis obtusisque clavis manus ejus ac pedes durissimo Crucis ligno crudeliter immobiliterque adstringi et affigi.

Psalm. xxi, 18.

At si vilis plebeculæ aliorumque impiorum Judæorum concursu impetuoso, a tristi et immani hoc spectaculo seclusa propulsave fuisti, etiamsi prophetiæ spiritum plenissime super omnes antiqui temporis vates haberes, cunctaque clare in spiritu contemplareris; nihilo secius, quamvis a remoto etiam fortasse flens et mœrens sedisti, clamitationes furentium et malignantium super nudato et prostrato Filio tuo, sed et crebros validosque malleorum ictus audisti.

Memento autem, benignissima Domina, quomodo dissecabatur Cor tuum dulcissimum, quomodo distendebantur ac dilacerabantur castissima materna viscera tua, quando dilecti Nati tui brachia tam crudeliter in Crucis patibulo sine culpa sunt extensa! O qualiter tinniebant ambæ aures tuæ sanctissimæ de clangore malleorum, in plagas dulcissimi Filii tui grassantium, maternumque Cor tuum acutissimis dolorum clavis perfodientium! O quot pietatis fluctus ex pudicissimis oculis, o quot amaritudinis singultus ex purissimo pectore elicuere iniquæ illorum sanguinariorum canum insultationes, feroces latratus, subsannantia innumera verba et blasphemiæ! Pro universis his mœroribus, angustiis, desolationibus ferventissimisque lacrymis et singultibus tuis, o Virgo dolorosa, o Mater lacrymosa, o amorosa Maria, benedico, laudo, et superexalto te milliesque saluto : Ave, piissima Virgo Maria, gratia plena. Amen.

Pro viscerosa compassione erga crucifixum Deum et mœstissimam Matrem ejus; item pro innovatione seu reformatione veteris hominis, per sui, in omnibus quæ extra Deum sunt, abnegationem et resignationem.

O COLUMBA mansuetissima, o Domina mœstissima, o Mater Dei sanctissima, tam enormiter Filii tui doloribus et plagis vulnerata et afflicta, tam acerrimo intimæ compassionis gladio amplius, quam si proprio passa fuisses in corpore, profundissime sauciata et transfixa : rogo te per misericordiam Dei et amaritudinem dulcissimi Cordis tui, vicissim hanc misericordissimam in me exerceas crudelitatem, quippe quæ propter me vilissimum, immanes hos cruciatus cum unico Filio tuo fidelissime sustinuisti, ut tua et prædulcissimi Nati tui vulnera, dolores et mœstitiæ, cordis mei penetralia salutaris contritionis et compassionis vulneribus sauciet, indesinenterque crucient : ferrei crassi obtusique ejus clavi, timore et amore inseparabiliter ipsius Cruci tam valide, tamque strenua imitatione me affigant, ut amodo de hoc mundo nil mihi sapiat, nil me afficiat, nil alliceat, nil cor meum detineat, nisi Filius tuus et hic crucifixus, quo in vera devotione et profunda cordis gratitudine, in amara contritione et viscerosa compassione sedulo rememorem miseriam Domini Dei mei, et diem amaram, qua eum languor amoris nostri superavit et usque ad mortem perduxit, ut ad quamcumque

Digitized by Google

exhibendam ei dilectionis vicissitudinem per quotidianam, assiduam ferventemque mei abnegationem et resignationem, veterem meum et corruptum hominem, cum omnibus concupiscentiis et vitiis suis crucifigam cum ipso atque mortificem, quo morte hac salubri spiritus vivificetur et in novitatem vitæ, in splendorem virtutum, cœlestium rore gratiarum traductus, pristinæ baptismalis innocentiæ atque originalis justitiæ conformitati et decori restitutus, per ejus sacratissimæ Passionis meritum et salutiferæ Resurrectionis potentiam, in corpore glorificato cum eodem resurgere possit in gloriam et vitam sempiternam. Amen.

THRENOS QUINTUS DECIMUS.

Actio gratiarum pro mœstissimo dolore, quo correpta fuit Dei dilectissima Mater dum, cum Crucis mole elevaretur, induorum latronum medio suspenderetur! virulento malignoque corde, ore sacrilego blasphemaretur, exprobraretur, illuderetur, dum pro his cœlestem Patrem deprecaretur, et latroni regnum suum polliceretur benedictus Natus ejus.

Quietissima ac placidissima Virgo, suavissima supersanctissimi Spiritus sponsa, gratissima et pretiosissima omnium altissimo Deo holocausti victima, doloris gladio, non uno hoc duntaxat Passionis tempore, neque solo hoc Calvariæ et supplicii loco, transfixa ac immolata, amorisque igne conflagrata atque consumpta : verum etiam quoties talem esse Passionem unico Cordis tui solatio irrogandam ferendamque per prophetiæ spiritum, quo exuberantissime imbuta fuisti, in Corde tuo purissimo præcogitasti, toties anima tua sanctissima horribili acerbissimi doloris cuspide confixa est et lanceata, æstuque compassionis concremata. At nunc incomprehensibilioris multoque acerbioris doloris lancea punctim conscissum est maternum Cor tuum, dum sub piissimo ac pudicissimo conspectu tuo, supra omnem populum omnibus blasphemandus ac irridendus exhiberetur desiderabile illud lumen oculorum tuorum, dimidium animæ tuæ, prædilectus, inquam, et unicus Natus tuus tam immaniter excruciatus, adeo immitissime discerptus, adeo crudeliter distractus et patibulo confixus, adeo denique deformatus, ut hominis præ se non ferret imaginem, quem cum sceleratis reputatum, inter duos latrones medium, ceu eorum principem, tanto cum furore tamque ignominiose suspendi cernebas. O quis tunc mœror, quæ mortis angustia ingrediebatur operiebatque faciem Cordis tui! O quot pietatis fluctus perfluebant tunc piissimum vultum tuum ! Quot denique amaritudinis et angustiæ vehementes singultus suspirabat purissimum tunc pectus tuum ! Et quomodo fieri potuit, o mœstissima Mater, ne præ doloris tui immensa magnitudine longe piissimum Cor tuum in mille scissuras frustatim scinderetur, cum cruentum et immane hoc spectaculum tuo materno prætendebatur conspectui? Quæ enim pœna, aut quis dolor major effici aut cuique exhiberi potest, quam dilectum filium et quidem unicum, in præsentia suæ matris sine culpa interfici? Haud dubie nisi divinitatis suæ virtute continuisset humanum Cor tuum crucifixus Natus tuus, non sola hac vice, sed compluries medium præ intemperanti concepto dolore crepuisset.

Sed heu, nondum terminatus est dolor tuus, o prædulcissima Virgo! Ecce enim o martyrum cunctorum excellentissima martyr, quale tibi crudele supplicium immineat ac construatur a perfidis, ingratissimis ferocissimisque Judæis, qui immenso hoc inauditoque Filii tui cruciatu adhuc inexpleti, anguino ac furibundo suo pectore instar furentium canum horribiles latratus sonare atque edere exordiuntur! Et modo sacrilega sua in eum capita agitantes, modo fœda in eum sputa evomentes, blasphemiis impetunt; modo etiam beneficiorum improperationibus, aliisque multis eum contumeliis impudentissime et injuste lacessunt.

Matth. xxvii, 39. *Marc.* xv, 29. *Luc.* xxiii, 35.

Digitized by Google

Sed quæ humana mens sub Deo satis poterit comprehendere, quanto te dolore pupugerint singulatim singula eorum verba subsannantia, tantaque maligni illius populi obstinata crudelitas, dum pro justa ei debita laude ob innumera in eos gratuite profusa beneficia convitium et exprobratio impendentur ? Heu, cum quanta animæ tristitia considerabas quoque cunctis stupendam totoque affectu glorificandam ejus non modo patientiam et mansuetudinem, sed etiam supereminentem ac perfectissimam charitatem, qua non se de ipsis, ut demeruerant, indignatione concitatus vindicavit, sed expansis in Cruce manibus eorum profundam cæcitatem dolens cum pie excusavit, tum Patrem cœlestem devota supplicatione exorans, eis veniam impetravit. Quem etiam præ exuberanti sua pietate ac dulcedine latronem a dextris pendentem, horrendis sceleribus prægravatum, illico suæ divinæ gratiæ splendore illustratum, et toto corde pœnitentem non modo in suam amicitiam suscipere, verum etiam fida oris sui promissione æternæ gloriæ futurum cohæredem certificare audisti.

Blasphemos autem et sacrilegos Judæos longius secedere, eique non amplius tanquam maledicto in ligno pendenti appropinquare contuebaris. Unde, ut æstimo, imo et firmiter credo, te a loco, in quo Filium tuum adeo crudeliter mactatum cum Cruce elevari aspexeras, illico surrexisse et tota dolorosa, tremens et viribus deficiens, Joannis et sororum manibus sustentata, Cruci appropinquasse, quo lucidius ejus contemplareris miseriam et cruciatum.

Ast piissima Mater, cur vadis immolari pro nobis ? Numquid non sufficit nobis Filii tui Passio, nisi crucifigaris et tu ? Non est consuetudo tua, o dulcissima Domina, ad talia spectacula properare. An præ dolore Cor tuum alienatum est a te ? Annon satis horribili et acerbo dolore prægravatum et attritum est maternum Cor tuum ? Quod si substiteris, o fidelissima sed tenerrima Virgo, et heu nimis afflicta, totaque jam viribus exinanita, ausim lacrymabiliter dolorosissimoque corde tibi polliceri, tanto te corripiendam absorbendamque mœrore et pressura, cujus nec unquam similem sustinuisti, cujus etiam nec quod vixeris oblivisci poteris. Pro omni autem tuo in hoc usque tempus perpesso dolore benedico te milliesque saluto. Amen.

Pro jugi devotaque Deo exhibenda cordis et operis gratitudine de liberalissima sua in nos beneficiorum profusione, pro miti et humili omnium adversitatum tolerantia et recta intentione.

O INVENTRIX omnium gratiarum exuberantissima, speculum omnium virtutum clarissimum, Mater cunctorum Christifidelium suavissima, meritis potentissima, miserationibus affluentissima : impetra mihi a Deo omnium creatore, patre tuo amantissimo, sponso dulcissimo, Filio unigenito et omnium Salvatore, ut propter suam immensam bonitatem auferat a me odibile ingratitudinis vitium, atque omnem cordis duritiam et obstinatam malitiam, ut innumera ejus beneficia, scilicet gratuitæ nobilissimæque creationis, fidelissimæ ac liberalissimæ sustentationis, paternæ ac benignissimæ vocationis, clementissimæ redemptionis, reliquaque id genus beneficia continue recolam : quo in summa cordis gratitudine ipsum semper laudem, benedicam atque glorificem, in castissimo cordis jubilo assidue magnificem et adorem, atque ut voluntati ejus perfecte conformis et obediens, ipsi cum devotissima strenuitate jugiter serviam; ut omnia de manu ejus suscipiens, me illi offeram in omne suum gratissimum beneplacitum, cum omnimoda meiipsius abnegatione, usque adeo, ut de temporaneis, quæcumque illa fuerint, neque lugeam neque gaudeam ; ut temporale aliquod neque timeam neque diligam ; ut nec blandis corrumpar, nec adversis concutiar : sed ut in unione et virtute benedictæ Passionis suæ, omnes tribulationes, omnes adversi-

Digitized by Google

tates patienter et libenter tolerem, cum omni semper humilitate et gratiarum actione, atque ut omnis intentio mea, omne studium, omne desiderium, omne denique gaudium meum sit in Deo, et ad Deum meum semper erectum. Amen.

THRENOS SEXTUS DECIMUS.

Actio gratiarum pro gravi et immensa mœroris cruce, qua Dei benedicta Genitrix immaniter comprimebatur, dum Christi vestes in prædam dari, seu forte dividi, dum quoque ipsum tam miserandum in modum distentum, lacerum ac deformatum, undique sacrum cruorem fluere conspiceret.

Reverendissima virtutum Domina, potentissima cœli Regina, tibi famulantium propugnatrix potentissima, omnium in te sperantium fidelissima consolatrix, Virgo plena gratia, feminarum omnium pulcherrima Maria : recordare, quis te innovarit Cordis cruciatus, quis mœror absorbuerit, dum lacrymosa et tristissimi plena doloris, Judæis Crucis patibulum fugientibus, crucifixo Nato appropinquans, conspiceres impios milites Filii tui crucifixores, ejus simplices exiguique pretii vestes, quas tu Mater ejus virginea eidem paraveras manu tam sollicite et exacte, sacrilega cupidine inter se partiri. At dum, o pia Mater, ad dulcissimum Unicum tuum respiceres, tam miserabiliter, tantis in cruciatibus pendentem, omnibus amicis, rebus et solatio destitutum, pœnis omnibus foris et intus obrutum, despoliatum omnibus, quæ illius potuissent mitigasse dolores, et accidentibus ei quæcumque illos poterant exaggerare; dum etiam cerneres principalia illa manuum et pedum ejus vulnera sacratissima, primitus obtusis crassisque clavis obstrusa, nunc autem maximo illo violentoque ponderosæ Crucis in excisam petram impetu et lapsu laxata, dilatata et aperta, sacrum uberrime ac indesinenter manare cruorem ; sed et ex cæteris omnibus, quibus undique purissimum corpus ejus scatebat conscissumque erat, vulneribus, roseos sanguinis rivulos, multis venis ruptis, cunctis quod plagis ob rigidissimam nimis totius corporis distensionem sese continue ampliantibus, decurrere contuebaris, donec omni pene sanguine effuso, ipsum velut testam obarescere videres ; dum denique eumdem pretiosissimum cruorem, cujus una duntaxat guttula præ immensa et prorsus incomparabili ejus nobilitate ad totius mundi redemptionem abunde suffecisset, super terram in fœdissimo et execrabili loco, tanquam mactati pecoris aut scelerati latronis, effusum, ab impiissimis conculcari, et sanguini forte latronum mixtum vilificari aspiceres : quo existimabo te tunc confectam dolore, quo auctam mœrore, qua consumptam pressura et angustia ? Imo quomodo non credam totam te misere contabuisse aut prorsus exanimem in humum corruisse, nisi virtus divina te roborasset ?

Eia, quot tunc sanctarum lacrymarum fontes dicam erupisse ex pudicissimis oculis tuis, quando tot flumina sacrosancti sanguinis manarunt ex profundis vulneribus Salvatoris! Eia, quot pietatis fluctus credam tunc profudisse piissimum vultum tuum, quando tot guttæ sanguinis tam ferventes stillaverunt super velamen capitis tui ! Eia, quibus amarissimæ mœstitudinis singultibus arbitrabor purissimum pectus tuum vexatum, quando et terram sanguine sacrosancto madidam ac opertam, et pallium tuum tot liquoribus pretiosissimis vidisti rubricatum ! O quantopere animo tunc excruciatam rebor, dum vultum quoque ejus divinis radiis fulgidum, qui tibi valde amabilis semper fuit ad aspiciendum, jam inclinatum expallescere et exarescere videres! O Domina, vas sanctitatis et plena totius virtutis, quare non es solitaria in camera tua ? Quare ad Calvariæ locum ivisti? Numquid non istud tibi paulo ante, o Mater prædulcissima, doloroso corde prædixeram; te, inquam, tot dolorum pungendam aculeis, si non te celerrime

Digitized by Google

subduceres? Sed si eum cum discipulis deseruisses, domique, dum hæc atque alia præmemorata pœnosa fiebant, sedisses, duplicatus tibi dolor haud dubie fuisset; quandoquidem deifico individuoque ejus amore possessa, in ipsumque toto transformata, ex ejus præ filiis hominum forma speciosissima, dulcissimo aspectu, mellifluo alloquio, et divinitatis contemplatione, incomprehensibili gaudio et suavitate assidue afficiebaris. Atque ideo nulla poteras neque volebas ratione, quoad viveret, separari ab eo. Præ materno ergo atque divino concepto, ut opinor, consilio, dicebas in Corde tuo purissimo : Sequar eum a longe; stabo et exspectabo mortis sententiam, quam Pilatus feret in dilectum meum, sequar a tergo egredientem de Jerusalem, aspiciam lacrymosis oculis, quomodo ducetur, quomodo spoliabitur; videbo, quomodo perforabunt manus ejus et pedes; considerabo, quomodo eum affigent patibulo, quomodo erigent in ligno : et cum his omnibus peractis secesserint et steterint a longe, non appropinquantes ei tanquam maledicto in ligno pendenti, tunc accedam propius, et stabo juxta Crucem Filii et Domini mei Jesu; amplectar eum brachiis, deosculabor illum labiis, rigabo eum lacrymis. Et quia mori non licet cum eo, infigam tamen oculos meos in suspenso Filio, animam meam dolorum gladiis mactabo et compassionis flamma conflagrabo, si carnem et sanguinem immolare nequivero cum eo. Et si dulci ejus alloquio frui refoverique non potero, exsatiabo interim æstuantem et dolorosum animum meum gemendo, flendo aspectuque compassivo. Intuebor quomodo de hoc mundo exeat, quoniam sola utique novi quomodo in hunc mundum venit; morientem non deseram, quem viventem nunquam dereliqui; Judæorum sævitiam non timebo, utpote paratissima mori cum Filio.

Joann. XIX, 25.

Eia ergo benedicta sis a Domino, o Dei Mater electissima, sponsa Dei amabilissima; et omnis creaturarum universitas te extollat, pro eximia fidelitate, fortitudine et perseverantia, quam Filio dilectissimo indesinenter et in finem usque exhibuisti.

Benedico etiam, laudo et glorifico te pro omnibus irremediabilibus lacrymis tuis, et pro vehementissimo spiritus tui angore et pressura, quibus affecta fuisti ex tam miserabili habitudine et pendentia Unici tui, ex tam copioso sacrosancti sui cruoris perfluvio in terram delapso, milliesque te cum omni affectu te amantium saluto. Amen.

Pro purificatione cordis ab omni vitiosa affectione et amore creaturarum, item pro benigna irrigatione seu communicatione sacrosancti liquoris gratiarumque, ex Christi vulneribus, in omnes Ecclesiæ filios.

O Matrum omnium piissima, o sanctarum omnium sanctissima, o Regis æterni Genitrix dignissima, cujus omnium rerum Conditor, omnium bonorum distributor, gloriosus Filius in tam extremam se demisit ac dejecit inopiam, ut in toto quem condidit orbe nec tantillum possideret, cunctis nimirum nunc spoliatus, quo vel se ignominiose nudatum contegeret, aut æstuantem ac aridissimam naturalem sitim refocillaret, aut ubi caput modice reclinaret, quove eum Mater ejus sacratissima sepulturæ traderet. Qui ad hæc huic mundo a te Virgine pauperrima edendus, ad eumdem involvendum vix vilia linteola aut pannos habenti, in sordido stabulo, hiberno tempore, sibi parvulo et pauperis Matris Filio molestissimo, natus, ante jumentorum ora in angusto præsepio collocatus est, quo frigus gelidissimum suo temperarent anhelitu : ac deinde toto vitæ suæ decursu summa rerum penuria affectus, modo æstu, geluque modo, fame ac siti pressus est, quo beatissimam nobis paupertatem commendatam redderet, ejusque præclara complura in nos exempla transfunderet. Qui denique, quo ferventius avidiusque ea amplexaretur ab omnibus, summum his honorem, qui eum sequendo cunctis renuntiarent, promisit,

Matth. XIX, 29.

Digitized by Google

judiciariam scilicet potestatem, sedem apostolicæ dignitatis : eapropter te, o inundans divinæ misericordiæ torrens, supplici voce ac mente deprecor, accende cor meum flagrantissimo mundi contemptu , æstuanti omnium transitoriarum fastidio, quo nulla unquam illaqueetur, adhæreat, aut inviscetur animus affectusve meus cujuscumque boni terreni cupiditate; sed divini amoris inebriatus dulcedine, omnis in me secularis concupiscentiæ fomes depereat ac absumatur, ne cor terrenarum affectionum pondere prægravatum, aut fæce carnalium delectationum coinquinatum sursum neque ascendere aut sublevari, cœlestiumque puritati propinquare, neve voluntaria assumpta paupertas, æstuante in me mundi creaturarumque amore, violata, non modo infructuosa mihi sit, sed et egestas fiat laboriosa et æterni meritoria supplicii.

Deprecare etiam obnixe, quæso te, o reorum et omnium exulum Advocata fidelissima, unigenitum Filium tuum, ut quinque illa pretiosa sua vulnera, summi amoris signa præcipua, divinæ dulcedinis plena, et in quibus recondita est vitæ nostræ medicina, salutaris gratiæ copia, plenitudo indulgentiæ, latitudo misericordiæ, porta promissæ gloriæ, unde peccator firmam de Dei bonitate concipit fiduciam, ne rea ipsius desperet conscientia : ut eadem, inquam, pie misericorditerque reserat et aperiat, atque vivifico illo sacri cruoris sui liquore universam Ecclesiæ superficiem copiosissime irriget, peccata omnium abluat, tantamque veniæ et gratiæ plenitudinem in omnes fideles vivos et defunctos abundanter diffundat, qua juxta suam quisque vocationem et mensuram in supremam, immensam et infinitam ejus gloriam proficere valeat ac consummari. Amen.

THRENOS SEPTIMUS DECIMUS.

Actio gratiarum pro sævissimo doloris mucrone, quo tota transfigebatur fidissima Christi Parens, dum piissima et consolatoria, sed lamentabili voce, Joannem sui loco in filium eidem assignaret, atque eam illi in matrem commendaret, idem dilectus Filius ejus.

Speciosa, sublimis et serenissima Christi Deipara Virgo, lucidissimus Ecclesiæ splendor, Domina, Mater et Advocata omnium nostrum, cui gratias agit concio læta fidelium justorum : quia quem omnes gratiæ filii compassionis affectum Christo nato tuo jure meritoque exhibere deberent, et ullo unquam tempore possent, eum modo omnem, nostra tu fidissima Parens, eidem superexcellentissime præstitisti, universumque cunctorum defectum supereminenter ac dignissime tu resarcisti, dum inexstinguibili firmitate solidam ac fortissimam fidem, ingentem fidelitatem, invictam patientiam, spem certissimam, et ante omnia intemperantem ac perfectissimam charitatem, imperturbatas sola omnium conservasti, eique obtulisti, omnibus interea fugientibus et nutantibus. Dum etiam omnia Filii tui tormenta, dolores et opprobria in Corde tuo longe piissimo pro nobis adoptivis filiis in supplementum ingratitudinis nostræ et defectus compassionis, qua ei compati affectuose deberemus, tu mitissime ac constanter pertulisti : quandoquidem tota per intimam compassionem cum ipso pariter in Cruce extensa eras et clavis confixa, atque plus centies amarissimi doloris lancea dire ac letaliter transfixa, crucisque morte, ubi immortalis eras, id est in anima, horribiliter perempta. Neque enim aliquid sub tuo aspectu molestiæ seu contumeliæ unico Cordis tui solatio illatum est, quod non immenso sincerissimum animum tuum secuerit angore ac mœrore. Unde factum est, ut tantus illo te tempore inebriarit ac excruciarit dolor, ut Sanctorum omnium passiones longe exsuperarit, quippe qui pene immensus erat, et cunctis plane mortalibus incomprehensibilis, utpote Filii tui cruciatibus correspondens, quem Passionis suæ pon-

Digitized by Google

dere cuncta secundum justitiæ suæ rigorem mundi scelera, quæ innumera sunt et quasi infinita, vincere oportebat, ideoque et infiniti fuit meriti Filii tui Passio : tua quoque compassio etiam quasi immensa fuit : nam quum perpetua Mediatrix Dei et hominis peccatoris adscita et electa, quæ hominum redemptioni cooperarereris, tanta necesse erat animi ægritudine ac mœrore te corripi, cujus merito posses hominibus universis te invocantibus opem ferre, iramque Dei in misericordiam commutare ; et ad hoc ipsum totam te, cum omnibus virtutibus tuis in gratum Deo sacrificium eorum pro salute libentissime obtulisti cum Filio. O ergo dolores tuos inexplicabiles et aquæ incomparabiles ! Quis ergo, Mater piissima, eos effari aut mente saltem concipere digne queat ? Sed amaritudine plena, quid tu fecisti ? Cur Cor tuum virgineum, Cor pietatis et amoris, cur, inquam, conversum est in globum doloris ? Aspicio enim, Mater clementissima, Cor tuum, sed jam non cor, verum myrrham, absinthium et fel video ; quæro Matrem Dei, et ecce invenio sputa, crucem, clavos et vulnera, quia tota conversa es in ista. Sed quare ad Calvariæ locum ivisti, Virgo tota innocens et sancta, simul cum Filio pro indignis peccatoribus immolari ? Quis hoc de te unquam meruit aut digne merebitur ? Quid tibi et cruci, Angelorum Regina, mundi Domina, Dei Mater sacratissima ? Quænam est societas patibuli cum templo Spiritus Sancti ? Quæ participatio despectionis loco cum Dei sacrario ? Cur etiam non te domi retinuit et ab hoc itinere atque loco cohibuit verecundia virginalis, pavor muliebris, horror facinoris, turpitudo loci, multitudo vulgi, detestatio mali ? Cur non retinuit clamoris vehementia, stultorum insania, dæmoniacorum caterva et ingratitudo nostra ? Hæc omnia non considerasti, mœstissima Domina, quia Cor tuum alienatum erat a te præ dolore et amore Filii et omnium nostrum : non eras in te, sed in afflictione vulnerum et in morte Filii unici dilecti ; non considerabat Cor tuum vulgus, sed vulnus, non pressuram, sed fixuram, non clamorem, sed livorem, non horrorem, sed dolorem et amorem. Siquidem anima tua sacratissima veraciter plus fuit in Dilecto, ubi medullitus amabat cum eo patiens, quam animabat : imo vi amoris extra te abstracta et in Dilectum rapta, adeo est ab eo transformata, ut omnino conformem sibi eam redderet et simillimam, crucifixam suam imaginem lucidissime ac plene ipsi imprimendo, ut cum eo pariter sauciata, crucifixa, quasi occisa et omni ex parte dire cruciata jam non in te, sed in Dilecto viveret et ille vicissim in ea, cum omni Passione sua. Quis igitur acerrimos ac prorsus immensos illos capiat dolores et cruciatus, quos senseras, Virgo Mater Dei sanctissima ? Eia ergo benedicta sis et in æternum glorificata, o inclyta Maria, æterni Regis Mater et filia, pro gemina hac individua et incomprehensibili charitate, qua et nos adoptivos filios, et natum tuum primogenitum Dei Filium complecteris tam ferventissime, ut nec eum deserere ob quoscumque gravissimos subeundos cruciatus velis neque possis, nec tibi nostræ salutis gratia ullo pacto parcere ; quinimo sanguinem tuum cruori Filii tui miscere et crucis subire mortem libentissime velis.

Verum etsi nostrum nemo dignas ac debitas tibi persolvat pro hac dilectione, neque unquam etiam possit, grates, en frater noster, dulcissimus Jesus Christus crucifixus, digne pia filialique sua sollicitudine atque excessiva compassione emendabit ac supplebit abunde. Ecce enim, Mater mœstissima, tanto te constringit complectiturque amore, ut quasi omnium intolerabilium pœnarum atque angustiarum suarum oblitus, fidelem tui gerat curam, benignissima allocutione prædilecto suo discipulo Joanni, tanquam fidelissimo provisori, te commendans, et Virgo virgini indissolubili charitatis vinculo sociaris, et alterum, cum illico ejus orbanda esses præsentia, quodammodo filium pro se tibi assignans, qui tuis castissimis congru-

Digitized by Google

eret moribus, et de necessariis vitæ sagaciter provideret.

Sed heu, dolorosa Virgo, quam sævissimus mucro tunc animam tuam penetravit qui procul dubio intima tua omni afflictione et dolore crudelius transverberavit usque ad divisionem animæ et spiritus, dum alteri longe impari resignata et ultimo vale suscepto, videbas dulcissima ejus conversatione te privari et finaliter per mortem ab eo separari. Credo equidem præ intolerabili dolore et angustia te vix vivere tunc potuisse, et nisi divinitus ac miraculose ad satis sufferendum pro futuris filiis tuis vitæ reservata fuisses, aut Cor virgineum tuum præ cruciatus magnitudine crepuisset, aut multoties exanimis ac præmortua humi corruisses. *Hebr.* IV, 12.

Quam ad hæc ingens Filii tui amor tunc totam te accenderit, conflagrarit ac liquefecerit, quando tecum ipsa in Corde tuo devotissimo expendebas et revolvebas, quantam ille tui curam gereret ac sollicitudinem, dum plus tuo per compassionem, quam suo ipsius affligeretur dolore, quis digne existimare sufficiet? Jam enim sæva mors imminens cuncta ejus membra rigida effecerat, sed amore tui totum se, uti potuit, ad te consolandam intendebat: ante omnia autem oculos præmortuos, quos instantis mortis impetus claudebat et impellebat ad defectum, amoris vi apertos ad tui convertebat respectum; labia etiam sua mortis pallore obducta aperiendo, piissima atque consolatoria voce te affabatur.

Sed o admirandum visionis hujus spectaculum! O gemebundum certamen oculorum! O stupendos radios visionis! O sacratissima lumina Matris et Filii! Ad quorum mutuum respectum non immerito solis radius in tenebras est conversus. Eia quam profunde infixus est radius hujus visionis in Corde tuo, o Mater sancta, quo mundi Dominus te jam moriens intueri dignatus est! Ecce jam reddidit tibi amoris sagittam, quam a te missam acceperat; ipse namque per Salomonem dixerat de te: *Vulnerasti Cor meum, soror mea, sponsa, in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.* Tu autem nunc dicere potes: Vulnerasti Cor meum, Fili mi, visione qua me in Cruce respexisti, et colloquio, quod quidem jam moriens mecum habuisti. *Cant.* IV, 9.

Pro hoc autem profundo et immenso tui doloris vulnere, et pro flagrantissimo salutis ac redemptionis nostræ ardore tuo, quo non modo exarsisti una cum Filio humanæ redemptionis officium exequi, verum etiam quo ultra omnes vires tuas tam es fidelissime ei usque in finem congenerata, benedico, laudo, et superexalto te millies-que saluto: Ave, clementissima medicina, restauratio et subsidium omnium miserorum. Amen.

Pro adoptionis gratia, protectione et auxilio Deiparæ Virginis Mariæ toto vitæ decursu et mortis articulo.

O BEATA fiducia, o tutum refugium! Mater Dei effecta est mater nostra; Mater ejus, qui solus salvat, solus damnat, Mater, inquam, ejus, in quo solo speramus et quem solum timemus, nunc testamento irrefragabili et sempiterno, miseris et orphanis nobis in matrem est speciali dilectione delegata. Loquar ergo ad te, Matrem meam clementissimam, ad Dominam meam dulcissimam, cum sim pulvis et cinis: O benedicta christifera Virgo, omni laude dignissima, Domina Angelorum, laus et gloria Sanctorum, pulchra ad intuendum, amabilis ad contemplandum, delectabilis ad amandum, utilis ad audiendum, porta, vita, janua salutis, via reconciliationis, aditus recuperationis; cujus gratiam totis ambio et expeto præcordiis, cujus vitæ et moribus conformari totis adnitar et propono viribus: quam etiam intimis cordis meis desideriis laudare, diligere, omnique studio et obsequio honorare cupio: ad quam, unicam miserorum spem, nunc plenus fiducia confugio, quam in matrem, advocatam et patronam præ cunctis eligo et præopto; cui eapropter meipsum et omnes meas necessitates offero et com- *Genes.* XVIII, 27

Digitized by Google

mendo, nihil de tua pietate et amore hæsitans, quando et teipsam totam nunc pro me in sacrificium immolasti et obtulisti. Etiamsi sanguinem pro me foris non fuderis, intus nihilominus eum ferventissimo amoris atque doloris igne decoxisti ac absumpsisti, ejusque loco profusas obtulisti lacrymas, et contriti cordis afflictique spiritus gemituosos ac amarissimos singultus, instar suavissimi fumi accensi turis, in cœlum direxisti. Quando etiam pia sollicitudine et paterna providentia Jesu morientis Filii tui, in peculiarissimam sis mihi matrem assignata. Noli ergo, pia mater, spernere me, ne eum spernere videaris, qui elegit purissimam, creavit, decoravit, fecundavit et exaltavit te, qui nunc misericorditer tibi commendavit me. Ille sua morte meruit, ut essem frater suus : ergo non dedigneris, quin et ego sim filius tuus; ejus me amore suscipe, qui mei amore nudus et dilaceratus pependit ante te. Si autem propter iniquitatum mearum maculas ac vitiis sordidatam, fœtentem animam meam abjicis et contemnis me; recordare inexhaustæ pietatis et dilectionis tuæ, et deprecare dilectum Filium tuum pro me, ut illa sanctissimi cruoris flumina, quæ in Cruce de corporis sui vulneribus adeo profuse profluxerunt, offerat Deo Patri in expiationem omnium sordium mearum, quibus ullo modo tuis castissimis oculis displiceo et abominabilis existo : ab eodem quoque dulci Nato tuo tantam, quæso, piissima Mater, impetra mihi gratiarum abundantiam, qua præfulgens et amictus, tuo virgineo conspectui dignus inveniar a te, in filium adoptari, in amatorem tui castissimum acceptari, in veneratorem devotissimum assumi, a te indesinenter custodiri, regi, ad omnem virtutem et omne Dei beneplacitum dirigi, ab omni malo liberari ac præservari, in omni bono corroborari et perfici, in horribili mortis hora jucundissima tua præsentia consolari, ab omni hostili terrore et impugnatione defensari, gloriosissimis tuis precibus Deo reconciliari, tuis sacratissimis meritis decorari, et in æternæ vitæ paradisum te mediante perduci. Amen.

THRENOS OCTAVUS DECIMUS.

Actio gratiarum pro acerrimo dolore et animi ægritudine, qua Cor piissimæ Virginis correptum devastabatur, dum Christum acri, valida et horribili voce se derelictum, seque sitire clamantem audiret, dum spiritu Patri commendato, dissolvi eum et lancea, exiguo temporis interjecto spatio, confodi cerneret.

Templum Spiritus Sancti sacratissimum, thalame Filii Dei ornatissime, Patris palatium jucundissimum, Trinitatis amœnissimum triclinium, quod sibi præparavit, ædificavit et consecravit Altissimus, amabilissima et pudicissima Virgo Maria : memento, quæso, incomprehensibilis, indeficientis acerrimique doloris, quo misera, absorpta consumebaris et tabescebas, dum densis obvolutus et obrutus tenebris, mundus universus a sexta ad nonam usque horam, tribus his continuis horis, Christi Parens, afflictissima et immaculata Virgo, ceu fidei columna immobilis, juxta Crucem Filii lacrymis indesinenter affluens, constantiam servans, patientiam tenens, fidelitatem exhibens, charitatem demonstrans, profundos trahens gemitus, dolens anxie et compatiens intime, sursum in Cruce Filii spiritum suspensa eidemque concrucifixa. Sed quomodo, mœstissima Domina, perstare poteras tres has continuas et eo amplius horas tenebrosas, hodie toties doloris gladio confecta, crucifixa vulneratæque una cum Filio ? Unde tanta tibi fortitudo ? Numquid cor ferreum aut saxeum habuisti? Forsitan truces illi atque horridi clavi et te pariter ita detinebant in Cruce Filii tui, ut collabi non posses. At vero multo fortius amor potentissimus, ipsa quoque morte fortior, te sustinuit, ut cadere nequires, ut constanti animo et corpore persisteres. *Joann.* XIX, 25.

Verum recordare nunc, tristissima Ma-

Digitized by Google

ter, quam vehemens afflictionum unda, deficiente hac tenebrosa caligine, animam tuam pervagata sit, atque percurrerit, dum pœnarum suarum, quæ continue mutiplicabantur et usque ad animam penetrantes crescebant, magnitudine et acerbitate devictum lacrymosa voce clamantem audires Filium : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ?* O, o sacratissima et tenerrima Virgo, quam in immensam amaritudinis abyssum existimabo penitus tunc te demersisse, quam profunda suspiria et crebros singultus cum profusis lacrymis ad cœlestem patriam direxisse ? Quam pias et tristissimas querimonias ipsi destinasse, dum tuus et Dei Patris Filius non ut Filius Dei, non ut Regis Filius, non ut amicus Dei, imo ne ut pauper quidem servus Dei, sed ut sceleratus, ut mortis reus, tanquam Dei inimicus et mortuus a corde, tam miserandum in modum in Crucis patibulo pendens, non a creaturis universis modo, sed etiam a dulcissimo Patre suo, cujus natura bonitas est et misereri proprium, se in tam horribili dolore et angustia intolerabili ab omni relevamine et solatio derelictum exclamaret ; cujus tamen voluntatem nunquam vel ad momentum transgressus erat, imo quem digno justitiæ famulatu semper coiverat, qui et virtutes omnes perfectissime pro divina ejus voluntate operatus erat.

Psalm. xxi, 2. *Matth.* xxvii, 46. *Marc.* xv, 34.

Psalm. xxx, 13.

Attamen, ut arbitror, verbo isto amaritudinis et doloris, clamore hoc alto et planctu amaro declarare et testatum reddere voluit immensum suum in nos amorem, quo in hisce tam immanibus tormentis et cruciatibus, semetipsum propter nos, omni consolatione subtracta, reliquisset, demersisset et resignasset ; quo etiam eorum nobis acerbitatem, intentionem, magnitudinem et multitudinem insinuaret ; quo denique mentis nostræ somnum discuteret, lapidea corda nostra sui ad compassionem emolliret.

Memento insuper, o inclyta Regina Martyrum, quantis etiam e vestigio fueris coarctata angustiis, quanto, Mater dulcissima, intimæ et maternæ compassionis ardore succensa, dum sub hæc æstuantem sitim querenti, nec ipsa opitulari poteras, neque aliquem qui vel aquæ guttula, in morigera hac necessitate ejus præmortuam refrigeraret linguam, haberes ; dum etiam conspiceres sævissimos illos hostes, ad explendum malitiosi sui pectoris virus mortiferum, spongiam aceto cum felle mixto impletam, dulci ejus ori administrare. O quanta amaritudine animam tuam tunc insatiabiles illi Judæi repleverunt, qui dulcissimo Filio præ acerrima siti in mortem deficienti tam amarum poculum miscuerunt ! O miranda et a seculo inaudita atrocitas, felle et aceto potare morientem ! O belluina sævitia, humanam naturam penitus deserens et oblita ! O ingratitudo execrabilis pro tam innumeris, ut sacra undique pandit et contestatur pagina, in eos a prosapiæ suæ exordio profusis beneficiis ! Et o acerbitas sitis hujus ante alia omnia tormenta sua magis afflictiva ! Heu, ad quantam inopiam sponte redactus est Filius tuus, mundi totius Conditor !

O quam ferventi cum desiderio et sancta cupidine omnem medullam ossium tuorum, sanguinemque virginei Cordis tui in melleum commutasses potum, si quivisses, quo os Dilecti tui felle et aceto exacerbatum edulcasses ! Quam lubenti animo haud dubie te totam in dulces lacrymas resolvi permisisses, quo suavi eum potione refovisses ! Quam impatibili ergo angore te correptam existimo, dum nullo ei pacto subvenire valeres, præsertim adeo exsiccato et penitus exhausto, quem tam delectabiliter olim virginali lacte potasti !

Sed, o intemerata Virgo, o electissima Dei Mater, quomodo indignus et vermiculosus tuus servulus immensum illud acerbissimorum dolorum tuorum pelagus demetiri quibo ? Quomodo densis circumseptus tenebris divino sine lumine illud perlustrare valebo, quod te circumvallatam operuit et demersit, dum contuebaris vitam animæ tuæ, gustato amaritudinis poculo, et verbo *consummatum est* prolato, expallescere, cun-

Digitized by Google

ctis viribus deficere, te destituere, amarissima agonia et ineffabili pressura cum morte confligere, toto corpore exarescere, gratissimum ejus vultum mortis operiri imagine, sanctissimos oculos carbunculis clariores imminentis mortis obtenebrari acerbitate, et tandem nobilissimo deitatis templo, piissimo Corde suo dirissime mortis aculeo perforato, forti clamore super humanam virtutem et consuetudinem in alto emisso, amara separatione spiritum spontanee cœlesti Patri reddere ; dum etiam conspiciebas in ipsa spiritus exhalatione, cuncta ejus membra contremiscere præ doloris magnitudine, ex singulis membris ad Cor ejus reflexi et transmissi, corpus ejus marcescendo ad ima vergere et pedum clavis majori sui pondere inhærere, caput ejus spinolentum in sacrum ejus pectus decidere !

O quam excessivus dolor tunc undique te penetravit ! O quanta angustiæ vehementia tota concussa es et contremuisti ! Quanto impetu, quam præpropero lapsu pene exanimem non ambigo te humi corruisse ! Quomodo præ concepto dolore non crepuerit, imo in mille scissuras cur non frustatim conscissum fuerit virgineum et longe piissimum Cor tuum, admirari satis nequeo. Nullatenus autem hæsito, intensissimum hunc tui materni pectoris cruciatum tuum tibi non modico tempore interclusisse anhelitum, præripuisse loquelam, obturasse seu obstruxisse auditum, pudicissimo tuo visui caliginosas offudisse tenebras, intima tua usque ad divisionem animæ et spiritus perfluxisse et penetrasse, eumdemque te afflictione, quavis morte acerbiore, excruciasse. Imo arbitror omnem illum amarissimæ Passionis impetum, qui quasi torrens Natum tuum impleverat et inebriarat, nunc eo deserto ac exstincto, in te sub Cruce stantem cum omni violentia effluxisse, in te redundasse, se collegisse et quievisse, atque suo impetu prævalide humi te prostravisse.

Revera nemo mortalium, nulla creaturarum, o Virgo beata, præter te vel cognoscere vel credere potest nec explicare, quam horribili tunc potissimum innocentissima anima tua sit transvulnerata dolore. Verum nec sic misere afflicta exinde in tuto eras : insiluit enim maternis tuis præcordiis alius illico sævissimus doloris gladius, dum cernebas crudeles milites ad confringenda Nati tui crura ferociter accurrere, pro majori scilicet ipsi, ceu insigni malefactori ac latroni, irriganda contumelia, impiissimis id Judæis sanguinariis canibus procurantibus, quasi tanti reus esset facinoris, quod in vivo corpore digne castigari nequiverit, ut proinde necesse fuerit in exstinctum cruciando desævire.

Ea de causa impius eo tempore et superbus quidam miles, tuas haud dubie ipsi supplices et lugubres pro dilecto Filio, ne confringeretur, effusas preces contemnens, crudeli lancea latus ejus dextrum aperuit, pontificum magis captans gratiam, quibus certa mortis ejus referre cupiebat indicia, quam tuis cæterarumque piarum mulierum precibus et uberibus lacrymis a tyrannica impietate reflecti. At, o pia Mater, quis cogitando consequi poterit, quanta tunc perculsa fueris mœstitudine et angustia, quam dire eadem lancea in anima tua devotissima sauciata sævit ? Nil enim doloris hinc persensit Filii tui corpus, quippe quod emortuum et insensibile erat, sed tua ipsius anima et Cor, quæ in ejus tunc demorabantur corpore, eadem lancea transvulnerabantur ; magis enim anima tua sanctissima erat ubi amabat, quam ubi animabat. Quam inæstimabili etiam sub hæc proculdubie corripiebaris Cordis angore, dum sanguinolenta lancea ex mellifluo extracta latere, sanguinem confestim cum limpida aqua lacrymosis tuis aspiciebas oculis ! O viscera materna dulcissima atque tristissima, quam innumeris die hac estis lanceata vicibus ; quam miserandum in modum contorta et excruciata ; quot attrita et vexata singultibus ; quot depasta doloribus ; quot mœroribus exusta ; quam vehementis amoris ardore liquefacta ; quam gravissimo Passionis pondere compressa,

Digitized by Google

et instar uvæ in ferventissimas et profusas lacrymas expressa ! Pro quibus omnibus laudo, benedico, glorifico et superexalto vos in æternum et ultra, milliesque millies, cum omni amore supersanctissimæ Trinitatis et universo affectu te venerantium et amantium saluto te, sancta et immaculata Virgo. Amen.

Pro exstinctione ac nece omnium pravorum desideriorum, inclinationum ac vitiorum ; pro ferventi et pura dilectione gloriosæ Virginis , et pia maternaque ejus custodia in omni necessitate et mortis hora, precatio.

Fateor, o potentissima Regina cœlorum, o gloriosa imperatrix Angelorum, o promptissima advocata reorum, o beata et unica spes miserorum, si requiris ablati pignoris interfecti Filii tui causam, peccata mea interfecerunt Unigenitum tuum, Creatorem et vivificatorem meum. Ego debui, et ipse solvit ; ego peccavi et multis mortibus dignus fui, sed ne ego morerer, piissimus Filius tuus pro me mortem subiit. Ego quidem reus sum sanguinis ejus innocentissimi ; super te etiam induxi calamitatem hanc maximam. Ecce enim nec in aliquo quidem tibi pepercit nec sibi : verum licet ego sim causa malorum horum, ipsius nihilo secius immensa charitas, qua veluti totus ebrius, me cæterosque peccatores dilexit, ad tam immensum pondus eum perduxit miseriæ, et pariter incitavit te propter nos participem quoque facere amaræ Passionis suæ. Quamobrem fac, o piissima matrum, o inundans fons salutis et gratiæ, nunc de me judicium, ut apparet justum et rectum, ut scilicet pro ipso Filio tuo occiso me recipias vinctum, et tui amore castissimo et perfectissimo et inextinguibili incurabiliter totum saucia captivum. Recipe pro proprio adoptivum, et fac me fidelissimum, ferventissimum, perseverantissimum tuum, et talem qualem amisisti, quantum possibile est homini, qualemque te decet habere filium : et sicut ipsum semper et nunc quoque afflictum aspexisti et custodisti, ita pariter et me misericordiæ tuæ oculis semper aspice, semper observa, licet aliam ob causam, ab omni semper restringens revocansque illicito. Et, benignissima Mater, impendas adoptivo servulo, quod exhiberes unigenito Filio tuo : porro ipsum assidue plane materna cura, tametsi non indigebat, attamen volebat, custodiebas et diligebas. Sed ecce ipso nunc es orbata, utpote exstincto jamjamque sepeliendo ; modo et deinceps illum custodias, qui maxime continua tua et sedula indiget cura et custodia, illumque diligas diligibilemque tibi facias, qui tuam, licet indignus, dilectionem summis præcordiis efflagitat.

Eia ergo, o dulcis et delectabilis Virgo, Mater totius misericordiæ, vulnera cor meum tui amore devotissimo, ut totus tui amore ardeam et langueam, tua dulcedine totus absorbear ; ut cum omni humilitate, reverentia, obedientia cæterarumque virtutum ornatu, tibi fideliter noctu diuque, te opitulante, serviam ; quo in omni necessitate mea et mortis articulo, pietate, cura et protectione tua materna dignus fiam. Exerce itaque in me crudelitatem nunc misericordissimam, sanctissimum odium, gratissimam et exoptatam vindictam, ut propter Filium tuum a me occisum, etiam me occidas, et sincerissimo tui in me accenso amore exuras quidquid in me est carnale, mundanum et a Deo extraneum. Interfice in me universas passiones et concupiscentias malas, omnem proprietatem cordis, sensus et intellectus, cunctaque vitiorum monstra, ut mihiipsi et mundo totus mortuus, purgato affectu, et simplificato ac illuminato intellectu, Deo vivens stabiliter inhæream per rectissimam in omnibus voluntatis conformitatem : ita ut nunquam etiam discrepare valeam ; ut sic tandem post felicem actam vitam, tua me dirigente et adjuvante materna benignitate, tuæ mellifluæ dulcedinis præsentia tuæque pietatis exuberantia in hora horribilis mortis meæ

Digitized by Google

frui merear, quæ me contra omnem tentationem confortet, ab omnibus inimicis liberet, ab omnibus peccatis excuset et animam egredientem in tuis et benedicti Filii tui meritis, statim ad gratiosum conspectum Filii tui perducat. Amen.

THRENOS NONUS DECIMUS.

Actio gratiarum pro excessivo et impatibili dolore, quo intrinsecus discerpebatur; pro mœstissimo planctu, quo suffundebatur intemerata Virgo, dum anxie diu exspectatum, jamque a Cruce solutum et castissimo sinu susceptum, undique perlustraretur Filium : dum eodem sepulto, per Passionis loca mœsta et semiviva domum reduceretur.

Vitis frondens generosa, viola intemeratæ castitatis, omnium virtutum suavitatis respirans odorem, speciosissima Verbi Dei Mater præelecta Maria, commonefacio te nunc anxio et gemebundo corde inæstimabilis et continui doloris, quo conficiebaris et contabescebas, dum a meridie, ab hora exstinctionis Filii, a tempore transfixionis melliflui lateris ejus anxia præstolabaris, et animo doloroso revolvens præcogitabas, et mœsta nesciens hæsitabas qua ratione defunctum Filium deponere quires ac sepelire, quatenus vel eo mortuo brevi posses frui tempore, quem vivum habere non potuisti : quo etiam pacto vel exstincto ejus corpori amorem impendere posses ac benevolentiam, quam in Passione ejus exhibere tibi minime dabatur. Toto autem hoc a meridiano tempore torrens Passionis in te sola fluctuabat, qui prius te et Filium simul inundaverat : at nihilominus inter fluctus tot vehementissimos immobilis semper perstitisti, o pulcherrima fidei columna, divinæ voluntati plenarie in his cruciatibus resignata, imo et mori cum Filio paratissima, et ferventius multo appetens morti occumbere cum eo, quam vivere valens sine illo. Ut autem immensam hanc dolorum molem tam æquanimiter et mitissime sustineres, nihilque in tanta angustiarum magnitudine ageres, quod virginalem pudorem dedecens esset, neutiquam ambigo in hac Filii tui Passione tuaque compassione, te stillicidio efficacissimo a summa Trinitate profluxo benigne irroratam seu irrigatam, quo miraculose confortata, fide integra, charitate perfecta, spe certa, eximia fidelitate et patientia invincibili, in eisdem doloribus in finem usque perdurares.

At dum eo pacto sola, immensa id Dei bonitate permittente, ad augmentum gloriæ meritorumque tuorum, ut afflictio tua Filii tui Passioni consona esset, illius calcares torcular, tandem divina providentia corpus Filii tui a viris justis solutum et depositum inter materna brachia suscepisti. At quis digne satis comprehendet vel explicabit, quam affectuose sacratas manus in altum protenderis pro nobilissimi illius thesauri tam desideratissima susceptione? Quomodo spiritus tuus tot eadem die transfixus mucronibus, tot eis mortibus affectus, vigore nunc resumpto, relanguerit? Quomodo fortis amor tuus ipsam mortem prævalens tibi prorsus exhaustæ vires addiderit, ut corpus ejus immortuum tam inæstimabili nunc devotione maternis amplexareris brachiis, tuoque pectori opprimeres : quæ paulo ante præ nimio concepto dolore te movere nequibas?

At ah, tristissima Virgo, quantæ angustiæ confestim ad luctuosum illum intuitum renovabantur! Quam omnia tua viscera nova sunt compassione concussa! Quam crudeliter e vestigio præcedentes dolorum gladii in tuo materno corde renovati sæviebant! O quanta mox lacrymarum inundatio, quam calidæ guttæ ex pudicissimis oculis erumpentes miserabile innocentissimi Filii corpus rigabant? Heu, quam profundos trahebas gemitus, quam maternos suspirabas affectus : quando jam plene omnia ejus vulnera, omnes afflictiones, omnes cicatrices considerabas, quantaque ex eis singulis perpessus fuerat, vulnerata cogitatione ponderabas!

Digitized by Google

Porro dum conspiciebas, jam in tuo castissimo collocatum gremio, ipsum non secus atque pecus mactatum, omni ex parte laceratum et lividum, oculos ejus mortis acerbitate diruptos ac cruore sacro concreto refertos, os frigidum, faciem contractam, genas demersas, manus adeo rigidas, ut vix ad umbilicum ejus possent deflecti; quid tum unico Cordis tui solamini materni exhibueris affectus, quid lugubris gestus, quid lamentabilis planctus? Quomodo potest ullum creatum ingenium, et eo minus indignus tuus servulus excogitare, vel pro iis digne te laudare: cum quidquid de te dicitur vel cogitatur, insufficiens et quasi nihil est et inane? Sed, amabilissima Domina, quæ et qualia tum materna dicam compassione et dilectione in plangendo deficiens gessisti? quæ locuta es? quæ lamentata? Omnes nostræ vires, tempus, intellectus et omnia, ut dixi, deficerent, priusquam vel aliqua ex parte comprehendere possemus. Quapropter tibi soli universa ex totius affectu universitatis repræsento, quæ ea sola nosti et sensisti, quando vidisti et clare intellexisti unicum Angelorum gaudium sic misere mortis uredine macefactum; lucem veram, illuminantem omnem hominem venientem in hunc mundum, sic mortis nubilo eclipsatam; agnum mansuetissimum tam dire tractatum, qui cum hominibus tam dulciter erat conversatus, tam mira eis elargitus, adeo dira pro eis et ab eis passus; Regem insuper regum et Dominum dominantium factum opprobrium hominum et abjectionem plebis, tanquam novissimum virorum reputatum, non habentem speciem neque decorem, sed leproso effectum deformiorem; tanquam abortivum, quod projicitur ab utero. Convenerunt plane in ipsum et extrema vilitas et summa majestas: nemo siquidem ipso sublimior, sed nemo fuit ipso abjectior. O ineffabilem charitatis magnitudinem, quæ Cor ejus adeo inebriavit, ut vitam daret pro mortuis! O quanto amoris incendio Cor ejus conflagravit, quo non solum propter nos Patri, sed etiam inimicis illis sceleratis et vilissimis factus est obedientissimus usque ad horrendam contemptibilissimamque Crucis mortem! Videte itaque qualiter heu, dulcissimus amator et benefactor noster eapropter in bello cecidit! Rex noster pacificus tanto tempore desideratus, quam sit atrociter in bello peremptus, quam turpiter deformatus! Heu, heu, quomodo lux oculorum nostrorum clarissima nunc cernitur exstincta, splendor divinæ faciei, quasi fuligo obtenebratus! Doleo super te, Jesu mi: *Quis mihi det ut ego moriar pro te?* O dulcissima Mater, quis dubitat hujusmodi quoque et te et alia id genus quamplurima, quæ tibi soli constant, et locutam et vulnerato Corde tecum contulisse, quum vitam Cordis tui plangebas lugubri et revera mœstissimo planctu, quem tu, Mater piissima, una cum ad te venientibus discipulis cæterisque paucis fidelibus amicis, super tam dilectum Unigenitum tuum habuistis? Loquebaris ei, et non erat vox neque sensus; vocabas et rugiebas a gemitu cordis, et non respondit tibi. Sed quis, Virgo purissima, quis, Mater dolorosa, capere sufficiet quanta inerat Cordi tuo amoroso tristitia, quando licet te, præ flagrantissimo et prorsus incomparabili erga Filium amore, plurimum renitente, sed cæterorum amicorum obnixis precibus compulsa, tenebrosæ etiam noctis instantis urgente horrore, nobile hoc depositum, Unigenitum tuum, quem unice super omnia semper videre cupiebas, linteo involvi et ab oculis tuis conspexisti abscondi? O quam libenter ipsum tenuisses, vel cum ipso sepeliri voluisses! Sed quam pura labia, ipsa puritatis Mater, quot suavissima oscula te prius impressisse arbitror in exstincti Filii membra et stigmata, antequam tibi eum auferri permitteres!

Recordare nunc deinceps, Dei Mater electissima, illius luctuosæ sepulturæ, illius ultimi et tristissimi divortii, quo Unigenitus tuus abs te tam amoroso amplexu, tot intimæ charitatis osculis, quasi pro ultima

Joann. I, 9.

Is. LIII, 3.

II. *Reg.* XVIII, 33.

Psalm. XXXVII, 9.

Digitized by Google

valedictione signatus, ab oculis tuis est sublatus, et sepulturæ mortis, ipse videlicet Dominus vitæ, traditus, te remanente orbata Filio, velut turtur solitaria et vidua desolata, omni jam solatio destituta. Quis tibi devotorum, o reverendissima Dei Genitrix, digne comprehendere et edicere sufficiet, quantus te dolorum impetus invaserit, quantus mœstissimarum te lacrymarum fluctus operuerit, quanta concussa sis et contremueris mœstitudine, quando instante jam nocte ob virginalem pudorem remorari foris juxta Cordis tui thesaurum non licebat, quando a dilecto separari oportebat, ac eum destituere necesse jam erat?

Heu, quoties cum amarissimo fletu ante amplexabaris et osculabaris sepulchrum! O quoties benedicebas et valedicebas Unigenito! Heu quantæ lamentationes, quot lacrymæ sibi invicem succedebant! Sicque tandem cum inæstimabili cordis dolore recedens, cum castissimo filio tuo novello sancto Joanne, ac beata Maria Magdalena et aliis, adorata devote prius Cruce, non ignorans ejus mysteria, tunc quidem occulta, nunc vero reserata, corpore quidem in civitatem abiisti, sed Corde tuo, quod una cum Filio eodem in sepulchro manserat, nunquam ab eo discedere potuisti. Verumtamen, o dulcissima Domina, toties interim Cordis tui renovabatur dolor, quotquot vestigia Filii ad Calvariam exeuntis sanguinolenta, quotquot Passionis ejus monumenta transeundo videbas, donec anhelosis suspiriis, gemitibus interruptis, fletibus lacrymosis et acerbissimis afflictionibus mactata et tota exhausta, inter concomitantium manus ambulando sustentata, quasi semiviva ad domum Joannis reducta fuisti, Virgo paupercula sub alieno tecto mansura, atque a Joanne, ceu mater a filio, desideranter suscepta; cujus tunc cœna erat (licet adhuc esses jejuna, et totius illius fortasse etiam totius præcedentis diei, quando tibi mane valedicebat Filius, prolixa esurie attenuata, necnon immensa passionum magnitudine ac infinita multitudine, tota esses viribus exhausta) lamentationes et lacrymæ.

Lugebas enim inconsolabiliter, manens usque ad Resurrectionem Filii præ doloris et amoris teneritudine quasi absorpta. Nihilominus fidem veram et universalem spemque certam futuræ Resurrectionis Filii stabili mente tu sola servasti, vacillante ex tunc et errante circa fidem veram universo mundo; ideoque sola matrem nostram universalem Ecclesiam illo triduo tu repræsentasti.

Merito igitur, benignissima Mater, te post Filium tuum supra omnes creaturas singularius diligere tenemur. Quia sicut ipse nos plusquam seipsum diligens voluntarie se pro nobis in mortem tradidit, ut nos viveremus: ita et tu, Mater sua, plus salutem nostram quam Filii tui charissimi amantissimam vitam diligens, eumdem pro nobis et teipsam in omnem pœnam et misericordiam libentissime resignasti.

Pro universo autem mœrore et dolore, gemitibus et lacrymis tuis, et omni adversitate in hoc mundo cum Jesu perpesso, et pro omni bono opere, virtute et merito tuo (quia totum mihi ad meritum cedit et solatium, cum meritis Filii tui pro me acquisitis ab ipso immenso et infinito amore et labore) laudo, benedico, commendo, dignifico et superexalto te in æternum et ultra, o fidissima Parens nostra, milliesque saluto: Ave, præcellentissima, præfulgida et beatissima cœlica Regina, Maria. Amen.

Pro jugi et æstuanti compassione erga crucifixum Deum et misere cruciatam ejus Matrem: item pro conformitate et imitatione morum christiferæ Virginis Mariæ, precatio.

O Mater pietatis, misericordiæ et gratiæ ac omnis boni; o Regina cœli, o virginum gemma, o Jesu Christi nutrix dulcissima, spes et fiducia nostra, olim Filii tui doloribus in intimis Cordis tui dire vulnerata; vulnera quoque cor meum tuis pressuris et mœroribus, o clementissima

Digitized by Google

Domina, et in corde meo renova Filii tui Passionem ac tuam compassionem. Cor tuum vulneratum conjunge cordi meo, ut tecum tuis vulneribus pariter vulnerer ; verecundia mihi est et opprobrium maximum, videre Dominum meum vulneratum atque Dominam meam vulneratam, et me miserum ac vilissimum pertransire illæsum, cum tamen ego homo perditus, omnibus criminibus obvolutus, totius desolationis et confusionis vestræ causa exstiti ; uvam acerbam comedi, et dentes vestri obstupuerunt ; quæ non rapuistis exsolvistis, et prorsus nil mali fecistis.

Ezech. XVIII, 2. *Psalm.* LXVIII, 5.

Da ergo, benignissima Mater, ut dolor et Passio dilecti Filii tui sic inhæreat visceribus meis, sicut inhæsit tuis ; aut aliquid mihi saltem tribuas de pressuris et vulneribus tuis. Nam vere beatus essem, si vobiscum possem saltem vulnerari vulneribus ; et beatior multo, si fideliter et æquanimiter ad finem usque gratissimæ voluntatis vestræ eadem sustinerem, in eisque persisterem.

Per dilectionem itaque, qua unigenitum diligis Filium, qua pariter adoptivos nos tibi sub Cruce ab eodem commissos tuos amplecteris liberos, da, obsecro, ut dilecti exstincti Filii tui amantissima faciei frequens tua deosculatio mihi sit illius amicissima reconciliatio ; dolorum vulnera, quæ maternum Cor tuum secuerunt, dolorem mihi intimum pro peccatis meis conferre mereantur ; fletus uberrimus tuæ lugubris lamentationis lacrymas mihi impluat salubris contritionis ; verba tua dolore plenissima otiosorum mihi sermonum amputent vanitatem ; gestus tuus luctuosus et mœstissimus indisciplinatorum in me morum mortificet libertatem. Tuum, o clementissima Domina, crebrum et miserabile suspirium tui mihi det Filii stabile desiderium ; Cor tuum mœstissimum, consolationis omnis impatiens, contemptum mihi secularis præstet amoris, et suavem mihi gustum infundat deificæ charitatis, quæ est vestis nuptialis, qua eos indui oportebit, qui Dominum gloriæ, fructum uteri tui benedictum, teque Matrem ejus virgineam in paradiso voluptatis æternæ pleno desiderant gaudio contemplari : ad quam, o Mater gratiæ, pietatis et misericordiæ, in examine horæ extremæ anima mea a te suscepta, tuis gloriosis intervenientibus meritis et precibus, feliciter perducatur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per infinita seculorum secula. Amen.

Gloria individuæ Trinitati,
Gaudium et honor Deiparæ Virgini,
Pax legentibus, Credulitas audientibus,
Vita facientibus. Amen.

Digitized by Google

Digitized by Google

HYMNI

CHRISTIFORMES

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO

HYMNORUM ac spiritualium cantionum etiam in Christi Ecclesia usum celebrem ac vetustum fuisse, ut alia prætermittamus, vel inde satis liquet, quod eloquentissimus ille *Philo Judæus* (quem ad colloquium principis Apostolorum Petri, Romæ divinum verbum concionantis, fama est pervenisse) libro illo, qui *de Vita contemplatrice* inscribitur, affirmat ejus sectatores, quos θεραπευτὰς appellat, quos certum est Christianos fuisse, apud Alexandriam non solum contemplationi vacasse, sed novos etiam hymnos, carmina et laudes in Deum omni genere graviorum numerorum atque rythmorum composuisse. Quod postmodum ita constat toto terrarum orbe a Christifidelibus receptum, ut usque in hunc diem in sacris ædibus hymni Deo consonis vocibus promantur. Ex qua re vel id unum perspicue potest intelligi, magnam in ejusmodi pietatis officio inesse utilitatem. Testatur hoc Apostolus ipse, qui etiam ad privatim decantandos hymnos Christifideles adhortans, ita scribit : *Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia, docentes et commonentes vosmetipsos Psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.* Inde factum est, ut viri sanctissimi ac eruditissimi alii post alios dulces, ac tinnulos confecerint hymnos, quibus psallentium animi in Deum suavius inflammentur. Quos imitatus noster Lanspergius, multos etiam ipse hymnos composuit, cumprimis pios ac eruditos, quibus torpentes animi, si in silentio suaviter attenta et jucunda cordis modulatione decantentur, possint haud vulgariter incitari ad amorem Christi. Ubi aliquid manibus operandum est, ne animus nimium sese in externas actiones effundat, utilissimum est piam aliquam ejus generis cantionem mente depromere vel etiam ore, si cui sic magis libeat. Deinde etiam cum inordinatus mœror vexat hominem, pellendus est, aut certe mitigandus hymnis et canticis spiritualibus, accedente eo auctoritate Jacobi apostoli, ita dicentis : *Tristatur aliquis in vobis, oret æquo animo aut psallat.* Jam vero qui necdum possunt pennis contemplationis libere sursum ferri, in ejusmodi hymnis per rythmos digestis, quales fere sunt Lanspergii nostri, id habent commodi, ut sub paucis verbis magna ipsis proposita materia meditandi, facile possint animum ab evagationi-

Coloss III, 16.

Jac. V, 13

Digitized by Google

bus cohibere, sese occupare fortius in Deo, eidemque feliciter unire in interiori homine, si brevitatem verborum in piam meditationem, vel mentis ad Deum aspirationem extendant, et mente excedant in Deum. Quæ nos propterea commemorata volumus, ut lector majori studio excipiat Hymnos Lanspergianos : non enim temere vir ille his conficiendis navavit operam, sed propria doctus experientia quantum eorum prodesset usus, scripsit eos in rem suam et piorum omnium. Nec est quod quisquam in eis causetur non esse carminum leges exacte observatas : satis fuit viro optimo et piissimo juvare pietatem. Certe etiam in plerisque hymnis ecclesiasticis neglectam esse syllabarum quantitatem apertissimum est, ut hic non commemorem plerosque doctissimos viros hac in parte fuisse negligentiores : nihil hoc admodum refert, modo verborum sensus pius sit. Denique paucis hoc adjiciendum puto : studiosos bonarum artium, et quotquot studiis intenti sunt, Christo rem gratissimam et sibi consultissimam facturos, si subinde remissa acri in studia animi intentione, aliquem hymnum secum dulciter concinant; quemadmodum de illo erudissimo ac nobilissimo viro Joanne Pico Mirandulano litteris annotatum est. Hoc enim decet maxime christianum, sæpe animum revocare ad Deum, et in illum omnia sua dirigere. Vale, optime lector.

Digitized by Google

HYMNI CHRISTIFORMES

DE SS. TRINITATE,

DE VITA, PASSIONE, GLORIFICATIONE DOMINI, DE B. V. MARIÆ ET QUORUMDAM SANCTORUM VENERATIONE.

AD SUPERSANCTISSIMAM TRINITATEM

HYMNI DEVOTISSIMI

HYMNUS PRIMUS

Piissimus juxta ac devotissimus.

INGENITE o Genitor,
Totus orbis Conditor,
Æqualem tibi proprium
Qui genuisti Filium.

Per quem cum Sancto Flamine
Cuncta creasti, Domine,
Quæ manent visibilia
Atque invisibilia.

Exaudi, quæso, gemitus,
Quos profert gemens spiritus,
Ex alto cordis varia
Trahens fundo suspiria :

Si forte velis parcere
Delictoque ignoscere;
Sum quippe pœnis deditus,
Jamque pavesco territus.

Habeto indulgentiam,
Dans delictorum veniam ;
O summe Patris Unice,
Christe, de cœlis respice.

Carnem tuam de Virgine
Protoplasti pro crimine
Qui es dignatus sumere,
Nosque pius redimere.

Me noli derelinquere,
Nec differas succurrere :
Ad ovile idoneum
Reduc, precor, erroneum.

Chirographum propitius
Peccati delens citius,
O Spiritus Paraclete,
O rerum Soter inclyte,

Qui ab utroque pariter
Procedis mirabiliter,
E pectore caliginem
Depellas et rubiginem;

Digitized by Google

Corrobora vas fictile,
Quod tibi est possibile,
Et munda cor a crimine,
Divino replens lumine.

O Trinitas laudabilis
Et Unitas mirabilis,
Quæ Deus es omnipotens,
Unus idemque permanens.

De pœnis me eripias,
Et me benigne corrigas :
In facto sum culpabilis,
Sed esto nunc placabilis.

Flagellas temporaliter,
Quos recipis perenniter;
Flagellis carnem contere,
Sed ut sit tolerabile.

Et quod deliqui, defleam,
Ne in futuro peream :
Et mitis sim ad verbera,
Meque transfer ad æthera.

Sit tibi laus et gloria,
O Trinitas sanctissima,
Servos tuos sanctifica
Per sempiterna secula. Amen.

HYMNUS SECUNDUS

Ad supersanctissimam Trinitatem, hominem in Deum transformans.

Hic adorabis unum Deum in Essentia.

Ens summum, Deus optime,
Creata linquens propter te,
In te mea origine
Me cupio amittere.

O Essentia amabilis,
Felix, incommutabilis,
Æterna, amicabilis,
Gloriosa, laudabilis.

Pater, Nate cum Flamine,
Tu Ens omnis essentiæ,
Vita omnis substantiæ,
Lux cunctos donans lumine.

O Deus æternaliter,
In te vixi nobiliter :
Quem creans temporaliter,
Unisti tecum dulciter.

O vita meæ animæ,
Mihi semper præsens intime :
Sine quo malum vincere
Nequeo, nec bonum agere.

Da, quæ displicent fugiam,
Quæ tibi placent faciam :
In te constanter permanens,
Tibi vivens et moriens.

Adora hic SS. Trinitatem.

O Pater potentissime,
Tu memoriam posside :
Confortans vires tribue,
Ut nil cogitem præter te.

O Fili sapientissime,
Tu intellectum instrue,
Lustrando tuo lumine,
Ut nil sapiam præter te.

O Spiritus dulcissime,
Tu voluntatem perflue
Vi charitatis igneæ,
Ut nil cupiam præter te.

Trinitas Deus unice,
Unitum tibi protege ;
Ne te offendam tribue,
Te diligam purissime.

Ut conformeris Christo in spiritu, anima et corpore.

Per tuum ardentem Spiritum,
O Jesu, fac me fervidum,
Ornatum, ut tu libere
In me possis quiescere.

Per tuam tristem animam
Fac meam sanctam, mortuam,
Ornatam donis intime,
Ut possis eam regere.

Per tuum corpus lividum,
Da corpus castum, sobrium,
Aptum virtutum specie,
Ut possis id incolere.

Digitized by Google

Tu ipse per me luceas,
Hostes meos absterreas,
Templum tuum custodias
Ut pacem in me habeas.

Pro spiritali communione.

Jesu præsens in anima,
Teipsum in Eucharistia
In me, quæso, suscipias
Amore, quo hanc dederas.

Pro venia peccatorum.

Da mihi intelligere,
Defectus meos prodere,
Amorose deplangere,
Perfecteque corrigere.

Tuæ Passionis gravitas,
Charitatis immensitas
Mea deleant crimina
Multa nimis et gravia.

Per tuam vitam suppleas
Meas, heu, negligentias ;
Tuis fac me virtutibus
Placentem Patris oculis.

Sim lugens, tacens, sobrius,
Discretus, castus, mortuus,
Patiens, pauper, humilis,
Benignus, mitis, stabilis.

En voluntatem offero,
Me totum tibi consecro,
Cœlum terramque desero,
Et me in te projicio.

Me totum in te rapias,
Tam libere possideas,
Ut ante ævum poteras,
Tu cuncta per me facias.

Amore tui langueat
Mens mea, semper ardeat,
Jesu, te solum sitiat,
Et extra te nil sentiat,

Ad aliena stupida,
In te recurrat ebria :
In te dulcis obdormiat,
Absorpta in te gaudeat.

Ardens amore moriar,
In tuis plagis uniar,
Purgatus tuo sanguine,
Resignatus humillime. Amen.

AD JESUM CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM

HYMNUS TERTIUS

Sub nota, *Veni Creator*, concinendus.

AMATOR ardentissime,
Redemptor benignissime,
Tua nos salvet charitas,
Quos nostra damnat pravitas.

Benigne Jesu respice
Redemptos tuo sanguine,
Et miserere miseris,
Cunctis nos solve debitis.

Casta natus ex Virgine,
Æstu languens et frigore,
Tu nostra fers incommoda,
Famem, probra, convitia.

Discipulorum abluis
Tuorum pedes ; reficis,
In cibum dum te tribuis,
Verbo dulci quos instruis.

Egressus cum discipulis,
Tristis orabas lacrymis ;
Te confortato cœlitus,
Sudor manat sanguineus.

Ferox hostis et impius
Dum furit, pergis obvius ;
Grassatur in te verberans,
Captum ligans et lanians.

Digitized by Google

Gementes tui fugiunt,
In Agnum lupi sæviunt,
Te conspuunt, cædunt, velant,
Tundunt, illudunt, exprobrant.

Hinc præsidi dum sisteris,
Accusant, dum non loqueris ;
Fantem subsannant, arguunt,
Damnant, blasphemant, distrahunt.

In alba veste luderis,
Pilato dum reduceris;
Crucifigaris fit clamor,
Latrone qui sis nequior.

Caro cutisque tenera
Crebris plagis fit lacera,
Dum flagellatus nimio
Cruore mades roseo.

Livore corpus tumuit,
Plagis concisum squaluit,
At caput rursus sauciant,
Dum spinis illud lacerant.

Mitis ut agnus pateris,
Taces dum malediceris,
Illusus dum conspueris,
Dum salutatus cæderis.

Nulla tibi compassio
In pœnis fit exhibito,
Crucifigendum clamitant,
Quos pœnæ nullæ satiant.

Obediens ad victimam,
Crucemque ferens propriam,
Damnatus pro me duceris,
Et sceleratis jungeris.

Premit te Crux, vestigia
Rubent cruenta vulnera :
Mater afflictum respicit,
Cor utriusque deficit.

Quid, Jesu bone, referam ?
Amori quid retribuam ?
Corpus nudatur lividum,
Fit novus dolor vulnerum.

Rex regum, dum illuderis,
Extensus crucifigeris,
Inter latrones medius,
Orasque pro tortoribus.

Salus reo promittitur,
Discipulo committitur
Mater, Cruci dum adstitit,
Ejus Cor dolor secuit,

Te clamas Patre deseri,
Dum sitis, fel dant impii,
Orando tradis spiritum,
Transfigitur Cor mortuum.

Vivus redis post triduum,
Matrique facis gaudium,
Triumphans cœlos repetis,
Hinc tuos ad te colligis.

Christe Redemptor omnium,
A labe, quæso, criminum
Tuo nos lava sanguine,
Consortes nos fac gloriæ.

Hymnus in ore personet,
Tibi mens nostra jubilet,
Amore tui langueat,
Te solum quærens sitiat.

Zelum virtutis imprime,
Ne delinquamus tribue :
Tuo nos beneplacito
Conformes fac perpetuo. Amen.

Ante Crucem Domini transiens aut veniam sumens, dic :

Jesu, tu dira pateris,
Qui pro me crucifigeris :
Tu mea dele scelera,
Exstingue cuncta vitia.

O mea salus unica,
Tua me reple gratia :
Te mihi dulcis imprime,
Me totum solus posside. Amen.

Digitized by Google

DE VITA, PASSIONE GLORIFICATIONEQUE JESU CHRISTI ET B. V. MARIÆ

HYMNUS QUARTUS

Sub nota, *Dies est lætitiæ*, concinendus.

Vita Domini Jesu et B. V. Mariæ.

PATRIS Sapientia,
Cuncta quæ creasti ;
Ut salvares omnia
A culpa protoplasti,
Elegisti Virginem
Ab æterno nobilem,
De qua velles nasci ;
Quam culpa ne tangeret,
Vitium nec pungeret,
Digne præservasti.

Omnibus virtutibus
Plenam decorasti,
Summisque Spiritibus
Ipsam plus ornasti ;
Sanctis de parentibus,
Castis et sterilibus
Pulchra procreatur ;
Quæ et ab infantia
Omnium notitia
Per te illustratur.

Salve, o pulcherrima,
Deo dedicata,
Virgo integerrima,
In templum præsentata ;
Mundum supergrediens,
Deum plene diligens
Semper placuisti ;
Omnibus amabilis,
Mitis et affabilis,
Nunquam offendisti.

Castitatis lilium
Prima devovisti,
Sanctitatis speculum
Formamque dedisti :
Joseph tamen humili,
Præelecto virgini
Virgo desponsaris :
Cum quo sine macula
Dulciter perpetua
Virgo conversaris.

Per annorum millia
Patres clamaverunt
Pro misericordia,
Quam non acceperunt.
Tua sed oratio
Fervensque devotio
Cœlos penetravit :
Cordis tui puritas
Sanctaque humilitas
Deum mox placavit.

Deus misit nuntium,
Qui te salutaret ;
Conciperes Filium,
Tibi nuntiaret :
Quæ turbaris audiens,
Licet fidem adhibens,
Modum quæsivisti :
Tandemque consentiens,
Ecce ancilla, inquiens,
Matrem obtulisti.

O quam mirum gaudium
In te fundebatur,
Dum in te mysterium
Deus operatur ;
Quem hinc novem mensibus,
Castis in visceribus
Gestas non gravata ;
Mox cognatam visitans,
Quam salutas jubilans,
Deo imprægnata.

Joseph vir justissimus
Gravidam expavit,
Sed e cœlo monitus
Tecum habitavit :
Qui ut censum solveret,

Digitized by Google

Bethleem dum pergeret,
Hospitem quæsivit :
Quem tunc non inveniens,
Stabulum introiens,
Tecum virgo vivit.

Quis laudare sufficit
Virgo te beata ?
Aut quis digne exprimit,
Quod immaculata
Genuisti Filium,
Salvatorem omnium ?
Quem dum contemplaris,
Flexis oras genibus,
Junctis quoque manibus,
Gaudens lacrymaris.

Natum inter brachia
Fovens amplexaris,
Labiaque rosea
Jungens oscularis :
Involutum niveo
Panno mox virgineo
Ubere lactasti :
Ejus te obsequio,
Corde devotissimo,
Totam mancipasti.

Angeli tunc concinunt,
Deum collaudantes ;
Pastores adveniunt,
Hæc mire probantes ;
Sanguis hinc effunditur,
Infans dum hic scinditur,
Jesus nominatur ;
Magis venientibus,
Dona offerentibus,
Infans adoratur ;

Non suscepto semine
Quamvis genuisti,
At corruptæ feminæ
Te non prætulisti ;
Virgo templum adiens,
Cœli Regem redimens,
Vates audivisti ;
Sed Herodem metuens,
In Ægyptum fugiens,
Puerum tulisti.

Pauper in exilio
Ignota vivebas,
Victumque pro Filio
Operans quærebas ;
Quem hic dum retuleras,
Festoque adduxeras,
Illic amisisti ;
Mœsta quærens triduo,
In doctorum medio
Tandem invenisti.

Tibi erat subditus,
Nec agnoscebatur,
Nam et fabri filius
Falso putabatur ;
Sed Jordanem adiens,
Baptisma suscipiens,
Cœlitus monstratur.
In desertum abiit,
In quo dum abstinuit,
Dæmone tentatur.

Mundum docens circumit,
Seque fatigabat ;
In monte recubuit,
Orans pernoctabat ;
Frigus et inediam
Fert et contumeliam,
Probra lividorum,
Dum languores depulit,
Pœnitentes recipit,
Spes hæc peccatorum.

Passio Domini Jesu et Matris ejus compassio.

Obviam hic habuit
Turbam, ingressurus
Urbem, te præmonuit
Abiens passurus ;
Pascha servat typicum,
Pedes lavit omnium,
Amat quos amavit :
In cibum se tribuit,
Sacramentum statuit,
Tristes confortavit.

Hic Judæis venditus,
Hortum mox intravit,
Orans se tunc penitus
Patri resignavit.

Digitized by Google

In agone positus
Confortatur cœlitus,
Sanguinem sudavit;
Excitans discipulos,
Confortavit pavidos,
Hostes exspectavit.

Osculum hic præbuit
Suo proditori,
Auremque restituit
Tunc persecutori.
Agnum lupi capiunt,
Cædunt, vinctum protrahunt,
Clamant illudentes.
Discipuli metuunt,
Et Magistrum deserunt
Longe fugientes.

Ductus ad pontificem
Insons accusatur;
Cæditur in faciem;
A Petro negatur;
Caiphæ adducitur.
Varie illuditur
Decus Angelorum.
Cæsum tandem conspuunt,
Velatum percutiunt
Servi reproborum.

Jesum, in concilio
Mane condemnatum,
Ducunt cum opprobrio
Vinctum ad Pilatum.
Exemplum se præbuit,
Accusatus tacuit,
Judice mirante.
Ad Herodem mittitur,
Vesteque illuditur,
Plebe subsannante.

Ad Pilatum rediens
Rursus accusatur;
Plebs omnis conveniens
Judicem precatur
Vinctum sibi tribui;
Quem cum Jesu statuit,
Alias necandum,
Fecit ut eligerent,
Monet tamen peterent
Jesum conservandum.

Invidi sed postulant,
Latro dimittatur.
Crucifige clamitant,
Jesus moriatur.
Qui dum vestes exuit,
Flagris cædi voluit,
Vulnerum tumore.
Ut leprosus viluit,
Lividus dum maduit
Sputis et cruore.

Caput spinis cingitur
Dire vulneratum,
Sceptroque percutitur
Plagis conquassatum.
Multa post opprobria
Ductus dat spectacula,
Præside monstrante;
Ad tribunal sistitur,
Mortique addicitur,
Turba conclamante.

Crucem ferens propriam
Urbem est egressus,
Est et ignominiam
Magnam tunc perpessus:
Scribis procurantibus,
Jungitur latronibus,
Plorant mulieres:
Inter quos mœstissima
Sequeris, Mater pia,
Natum ut videres.

Gemens inter verbera
Impie tractatur,
Cruenta vestigia
Linquens propulsatur.
Simonem angariant,
Potum fellis ordinant,
Cuncta dum parantur,
Vestibus exuitur,
Dolor hinc acuitur,
Plagæ renovantur.

In ligno extenditur,
Compages solvuntur,
Clavis dum affigitur,
Nervi distenduntur.
Orat pro tortoribus,

Digitized by Google

Scribitur et titulus,
In altum levatur :
Cui dolor maximus
Crescens hinc continuus
Nusquam relevatur.

Ut pro nobis solveret
Debita, taxavit
Juste, nam ut emeret
Nos, pœnam gravavit
Largo madens sanguine.
Blasphematur impie;
Latro sed salvatur.
Hinc tuam tristitiam
Cernens amarissimam,
Commendans affatur.

Mundo lumen subtrahit
Sol, dum gestit flere,
Creatoris noluit
Morti allucere.
Eli Jesus clamitans.
Sitim quoque indicans,
Acetum gustavit.
Consummatum, inquiens,
Patri se mox offerens,
Clamans exspiravit.

Mortem Jesu doluit
Plebs tunc pœnitendo,
Terra dum contremuit,
Scelus arguendo.
Latus Jesu foditur,
Manat cruor, funditur
Aqua pretiosa.
De Cruce deponitur,
Pignus Matri redditur,
Fit res luctuosa.

Sindone involvitur,
Planctu celebrato,
Tumulo dum conditur.
Jesu salutato,
Mater urbem repetit.
Interim se recipit,
In limbum descendens
Jesus Patres liberat,
Suo vultu satiat,
Gloria resplendens.

Glorificatio Domini Jesu et beatæ Mariæ.

Victa morte rediit
Nunquam moriturus,
Gloriosus adiit
Matrem solaturus.
Vertitur in gaudium
Luctus mox credentium,
Hunc dum contemplantur.
Gratulantur stupidi,
Convescentes dubii
Plene informantur.

Die quadragesima
Cœlos penetravit,
Ascendens in gaudia
Patris, triumphavit.
Exultat credentium
Plebs hæc videns ; cœlicum
Agmen Angelorum
Jubilans fit obvium
Ducenti exercitum
Patrum beatorum.

Spiritum credentibus
Donat, ut promisit,
Sua largus omnibus
Munera divisit.
Prædicant Apostoli,
Excitantur mortui,
Paupertas amatur.
Coronantur martyres,
Consecrantur virgines,
Fides propagatur.

Virgo prudentissima,
Mater singularis,
Nova pro Ecclesia
Superstes servaris ;
Pandas ut scriptoribus
Abdita fidelibus,
Tibi non ignota ;
Ardens desideriis,
Ad Natum suspiriis
Anhelabas tota.

Petis apostolicum,
Ut te dormiente,
Adsit tunc collegium,
Deo disponente.

Digitized by Google

Migrans hinc cum gloria,
Duceris ad gaudia,
Christo sociaris :
Gloria jam duplici,
Corona multiplici,
Tota illustraris.

Angelis es altior,
Juncta Trinitati,
Soleque fulgentior.
Tuæ potestati
Superi obediunt :
Hic qui tibi serviunt
Digne munerantur ;
Crescit tuo merito
Merces : quæ a Filio
Petis, tibi dantur.

Benedico te, pie
Jesu, qui venturus
In extremo tempore
Es, et redditurus
Justis vitæ præmia,
Reprobis supplicia.
Fac ut tunc securus
A dextris inveniar,
Purus hinc egrediar,
Nihil soluturus.

Cunctis jam sit venia,
Purga sceleratos,
Per te detur gratia,
Ut justificatos
Solus tu possideas,
Serves nos et dirigas.
Plena charitate
Munias et robores ;
In æterna saties
Nos felicitate. Amen.

SEPTEM HYMNI DE PASSIONE DOMINICA

HORIS CANONICIS QUADRANTES ET EA QUÆ AD SINGULAS PRO NOBIS EX SOLA CHARITATE CHRISTUS PASSUS EST BREVITER AD MEMORIAM REVOCANTES.

Horæ septem quæ sequuntur de Passione Domini, ad modum hymnorum rythmicæquæ si ad horologii signum quodvis, dum hora signatur, mente ruminentur devota, expendaturque quidquid Christus circa illam horam hic indicatur passus, non possunt cor meditantis ferventi non inflammare amore. Ut igitur ordo distinctioque servetur horarum, sciendum omnes horas, quæ nocturno tempore audiuntur, ad *Matutinas* posse applicari, ut tunc ruminentur aut meditando aut etiam legendo ea, quæ hic pro Matutinis scripta inveniuntur. Deinde *Prima hora*, dominicæ Passionis quintam, sextam et septimam nostri horologii includat, ut in his tribus horis meditentur ea, quæ ad Primam horam hic sunt scripta. *Tertia hora* nobiscum octavam, nonam decimamque contineat. *Sexta hora* undecimam, duodecimam et primam post meridiem comprehendat. *Nona* demum *hora* complectitur secundam, tertiam et quartam. *Vesperæ* autem, quintam et sextam. *Completorium* postremo, septimam et octavam. Hoc modo in singulis, dum audiuntur, horis, quisque, cui hoc placet exercitium, ad ea recurrat, quæ horæ dominicæ illi, cui subest ipsa quæ signatur hora, adscribuntur, per eadem mentem suam ad Deum levet. Verumtamen unicuique interea liberum sit ad hujus exercitii praxim, modum ordinemve servare quemcumque alium, qui sibi occasionibusque et exercitiis suis reliquis congruentissime quadret. Nobis hæc duntaxat suggessisse sufficat. Et etiam observandum, eos, quos in singulas hic partitus sum horas, rythmos, numero simul esse quinquaginta, qui Rosarium volenti constituunt. Postremo sciendum, qui fructum hujus aut cujusvis exercitii alterius cupit assequi, non verbis tantum inhæreat, sed in mentem et affectum inde quamcumque

Digitized by Google

verbis indicantur, subito rapiat trajiciatque, ut spiritu hinc sursum ad Deum levato, coram illo eadem tractet, et vel compatiendo vel orando vel certe gratias agendo admirandove animum suum dilatet. Qui nihil horum, utpote aut fastidiosus aut nimium occupatus, agere posset, saltem dum hora signatur, ad Deum erecto corde, legat hunc versum :

Jesu qui semper diligis
Et nobis cuncta tribuis,
Nos munda, juva miseros,
Da pacem, salva mortuos. Amen.

HYMNUS QUINTUS

Ea quæ Christus pro nobis passus est hora Matutina succinctim perstringens.

Est hora qua nos surgere,
Cum Jesu decet plangere,
Sudore qui nunc madidus,
Orans exsurgit anxius.

Jesu, quæ vicit pietas
Te, qui pro nobis obvias,
Ultro te tradens hostibus,
Ad mortem te quærentibus ?

Agnum te captum lacerant,
Lupi feroces verberant,
Te deserunt discipuli,
Vinctum adducunt pessimi.

Annas te dum interrogat,
Servus maxillam verberat ;
Dum stabas in concilio,
Negaris a discipulo.

Testis falsus improperat,
Adjurat præsul, judicat
Hinc omne te concilium
Esse mortis obnoxium.

Ah, nox qua sol occubuit,
Iniquitas efferbuit.
Ah, Jesu benignissime,
Quam tractaris nequissime !

Nam facies conspuitur,
Hinc alapis hæc cæditur,
Te colaphis percutiunt,
Sacros capillos extrahunt.

Affligunt te suppliciis,
Blasphemant contumeliis,
Sic illudentes obruunt,
Dum tota nocte sæviunt.

O mea salus unica,
Tu mea dele scelera,
Exstingue cuncta vitia,
Tua me reple gratia !

Cor mundum mihi tribue,
Et velle meum destrue,
Ut tuo beneplacito
Conformis sim perpetuo.

Jesu, tibi, qui pateris,
Sit laus quod cuncta tribuis,
Nos munda, juva miseros,
Da pacem, salva mortuos. Amen.

HYMNUS SEXTUS

Ea quæ Christus pro nobis passus est hora Prima brevissime explicans.

Adductus mane judici,
De crimine multiplici
Dum accusaris, pateris
Tacens ; Herodi mitteris.

Multis te rex interrogat,
Tacentemque vituperat,
Spretum vestis opprobrio,
Ut stultum mittit Pontio.

Te vinctum inter verbera
Reducunt et convitia,
Insultant, plebs obloquitur,
Te Mater dolens sequitur.

Jesu, totum fac humilem
Me, castum, mitem, supplicem :
De cunctis bene sentiam,
Omnesque mihi præferam.

Digitized by Google

Nil judicem, sim patiens,
Sensus et linguam continens :
Mundum et laudes horream,
Propter te sperni diligam.
Jesu, tibi qui pateris, *etc. ut supra.*

HYMNUS SEPTIMUS

Ea quæ Christus pro nobis hora Tertia passus est succinctim enarrans.

O GRANDIS contumelia !
Jesu, quem hora tertia
Latroni præses comparat,
Pejorem sed plebs æstimat.

Nudus ligatus cæderis
Flagris, virgis discerperis,
Dum lives totus saucius,
Cruor calcatur roseus.

Illusum veste rubea,
Corona pungunt spinea,
Conspuunt, cædunt, exprobrant,
Crucifigaris postulant.

Mater afflictum respicit,
Ejus Cor dolor secuit ;
Cujus me dolor sauciet,
Spinaque tua cruciet.

Jesu, tibi nil præferam,
A te fac ut suscipiam
Mœsta lætus et aspera,
Feramque mitis omnia.

Jesu, tibi qui pateris, *ut supra.*

HYMNUS OCTAVUS

Ea quæ Christus hora Sexta pro nobis perpessus est breviter explicans.

PRÆSES ante meridiem,
Jesu, te sistit humilem,
Pronuntiat innoxium,
Quem damnat ad supplicium.

Nemo scit contumeliam
Quam pateris tunc arduam,
Jesu, qui Crucem propriam
Gemens fers ad Calvariam.

Irrisus inter verbera,
Cruenta das vestigia,
Piæ sequuntur feminæ
Cum Matre flentes misere.

Educeris cum impiis,
Ut videaris similis,
Et viribus cum deficis,
Matre vidente corruis.

Myrrhatum vinum porrigunt,
Ad locum ubi veniunt,
Mox enudaris vestibus,
Plagis recrudescentibus.

Parari Crucem conspicis,
In quam projectus objicis
Manus pedesque, dum clavis
Extensus crucifigeris.

Mater insultus pessimos,
Ictus audit et malleos,
Suspensum cernit Unicum
Inter latrones medium.

Illusus a principibus
Dum oras pro tortoribus,
Latroni donans veniam,
Patri commendans unicam.

Jesu, cuncta fac deseram,
Meque vere despiciam,
Unum te nudus diligam,
Tibi confixus hæream.

Tu lacrymas et vulnera,
Tu pœnas et opprobria,
Tuos, o Christe, gemitus
Meis inscribe sensibus.

Jesu, tibi qui pateris, *ut supra.*

HYMNUS NONUS

Ea quæ Christus hora Nona pro nobis passus est succinctim exponens.

JESU, quam amas fortiter,
Quos tam misericorditer
Pressuris tuis redimis,
Quas hora Nona pateris.

Distentum pœnæ dissipant,
Te flagellorum cruciant
Plagæ, te clavi lacerant,
Hinc spinæ caput vulnerant.

Digitized by Google

Quassantur artus lividi,
Nervi laxantur rigidi,
Cruor hinc manat roseus,
Dolor crescit acerrimus.

Consputa pallet facies
Cruore fuso, macies
Membra consumit arida,
Dum sitis premit aspera.

Sensus et dolor viguit,
Non est quod pœnam minuit :
Hæc Mater videns anxia
Tabescit præ tristitia.

Ad Patrem tristis clamitas,
Relictum te vociferas,
Gustando fel amaricans,
InCruce pendes lacrymans.

Anhelum pectus palpitat,
Cor gemit, lingua æstuat,
Commendas te et invocas
Patrem, exspirans clamitas.

O quam immensa charitas,
O Cordis mira bonitas,
Jesu, te totum tribuis,
Nobis Cor tuum aperis !

Jesu, rex amantissime,
Me munda tuo sanguine,
Tu mentem meam vulnera,
Transformans et inebria.

Fac mundo totus moriar,
Absorptus tecum uniar,
Egrediens hinc, gaudia
Mox ducar ad cœlestia.

Jesu, tibi qui pateris, *ut supra*.

HYMNUS DECIMUS

Ea quæ hora Vespertina ante et post Christi necem acta sunt brevissime explicans.

Tu vespere deponeris
De Cruce, Matri redderis,
Jesu, te plangunt anxie,
Te dum involvunt sindone.

Hoc tempore mysterium
Sacrumque fit convivium,
Jesu, post cœnam typicam
Tuam pascis familiam.

Utrumque cibans hominem,
Carnem tuam et Sanguinem,
Panis vinique specie,
Das nobis amantissime.

Jesu, nostra redemptio,
Tu cibus, tu refectio,
Tibi mens mea hæreat,
Et crucem nunquam deserat,

A seipsa deficiat,
Teque semper esuriat,
Ad cibum hunc me simplicem,
Pium, castum, fac, humilem.

Jesu, tibi qui pateris, *ut supra*.

HYMNUS UNDECIMUS

Christi tristissimam agoniam, ejusdemque sepulturam paucis explicans.

Doloris est initium
Finisque completorium,
Jesu, nam tunc egrederis
Ad hortum, in quo traderis.

Tibi tristis est anima,
Dum oras in angustia,
Sudorem dans sanguineum,
Turmam exspectans hostium.

Hac hora tuos visitas,
Quos vigilare jusseras,
Sic noctis in crepusculo
Jaces in Matris gremio.

Conditus es aromate,
Sepultus devotissime,
Jesu, meæ spes animæ,
O cordis amor unice !

In te, Jesu, sepeliar,
In te vivens absorbear,
Meum cor in te rapias,
Obdormiat, sic unias.

Jesu, tibi qui pateris, *ut supra*.

Digitized by Google

HYMNUS AUREUS SEU ROSARIUM RYTHMICUM

PER DECADES QUINQUE DISTRIBUTUM,

VITAM, PASSIONEM GLORIFICATIONEMQUE JESU CHRISTI ET B. V. MARIÆ BREVISSIME COMPLECTENS.

Desiderasti, fili charissime, Rosarium rythmice positum, quod memoriam juvet (neque enim omnium, inquis, est libros penes se habere, aut gestare in manibus) et quod breve sit, puta iis accommodum, qui curis occupationibusque aliarum rerum prægravantur, quodque petitiones suas habeat articulis singulis apposite consentaneas; postremoque unde, qui paululum meditationi fuerit assuetus, plura cogitandi aut affectum in ampliora extendendi occasionem possit accipere. Institi, ut potui, tibi, fili charissime, morem gerere, et quidquid inter manus scribentis spiritu natum est, hoc tibi offero dedicoque. Existimo autem quod nullus orandi modus sit Salvatori nostro piissimæque ejus Matri perinde acceptus, quam si quis quotidie multa cum devotione sertum conficiat rosaceum (quod vulgo Rosarium vocant) et singulis Salutationibus angelicis singulos vitæ et Passionis Christi articulos ore vel mente attexat vel proponat, addendo semper ad finem articuli cujuslibet, Alleluia : et ad prolationem nominis Mariæ caput devote inclinet, et ad nominis Jesu flectat genua, Jesu et Mariæ benedicendo et gratias agendo pro tantis et aliis ipsorum beneficiis : virtutes item Jesu, puta charitatem, humilitatem, castitatem, paupertatem, misericordiam, et cæteras in ipsis articulis effulgentes, ferventer desideret imitarique studeat. Enimvero per hoc cum primis salutare et fructuosum exercitium perplures leguntur a diversis tum corporum tum animarum periculis et tentationibus, Virgine Matre pro ipsis orante, liberati, atque ad insignem vitæ perfectionem evecti. Quod etiam cuidam sancto Patri olim Vicario ac deinde Priori cartusiæ Treverensis (unde idem exercitium cum articulis trahit originem) et nonnullis aliis ibidem contigisse certum est. Cum enim jam dictus venerabilis Pater multis annis hoc exercitium quotidie coluisset, suffragante illi gloriosa Virgine, sæpius per diem, præsertim ad Horas septem canonicas in cœlum revera rapiebatur : ubi inter cætera clarissime vidit et audivit cœlestes cives, Jesum et Mariam super hujusmodi articulis ineffabili lætitia et devotione benedicentes, et dulcissimis nominibus Jesu et Mariæ reverentiam modo supradicto exhibentes, necnon pro omnibus in ejuscemodi exercitio sese ipsis cœli civibus conformantibus in terris, Deum obsecrantes : ad hæc pro singulis id genus sertis Rosariis, singulas coronas mirabili fulgore coruscantes et immarcessibiles illis in cœlestibus reponi; plenam insuper peccatorum remissionem, singularem quoque gratiam et benedictionem in præsenti gloriamque in futura vita, pro qualibet corona rosacea vel Rosario, illis a Domino Jesu per preces beatissimæ Matris ejus divina auctoritate promitti et conferri; denique majorem Dei gratiam et salutis thesaurum in eodem latere exercitio, quam quispiam mortalium possit comprehendere, primæ veritatis testimonio illustratus cognovit, nobisque hæc post obitum suum in scriptis reliquit. Obiit autem idem venerandus Pater, anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo primo. Ut autem oratio tua Deo gratissima fiat et multis fructuosa, affectum tuum orando semper extende non modo tui solius sed etiam pro totius Ecclesiæ salute, in unione sanctissimarum precum et meritorum Jesu Christi Domini Dei tui.

AD DOMINUM JESUM SUPPLICATIO.

Jesu, tuum ob amorem,
Mœrorem, mortem, dolorem,
Ah, Ecclesiam defende,
Reforma, rege, succende.

Salva miseros et justos,
Reos nobisque commissos :
In te præsta pacem cunctis,
Nobis, vivis et defunctis. Amen.

Digitized by Google

HYMNUS DUODECIMUS.

Decas prima.

Pater noster.

Jesu, cuncta qui creasti,
Nos peccantes tolerasti,
Fac commissa nos deflere,
Deflendaque præcavere.
Alleluia, *Maria, Ave, etc.*

Jesu, Matrem præservasti,
Cunctis donis adornasti :
In te mala nostra purges,
Et in bono nos confirmes.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, Virgo salutata,
Te concepit fecundata :
Casti, humiles, ferventes,
Te sumamus, nos reddentes.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, Mater seniorem
Adit, ungis Præcursorem :
Proximis fac nos servire,
Intus tecum cor unire.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, Virgo Deo plena,
Te produxit absque pœna :
Vetustati moriamur,
In te sæpe renascamur.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, te pastores quærunt,
Angelique laudaverunt :
Fac nos semper te laudare,
Tuum nutum observare.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, diceris Salvator,
Circumcisus ut peccator :
Nostra circumcide prava
Corda, sensus, verba vaga.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, reges te dotarunt,
Honorantes adorarunt :
Vota reddamus oblata
Debitaque mente grata.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, templo præsentatus,
Es redemptus, nobis datus :
Fac nos humiles, subjectos,
Puros, in te recollectos.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, regem dum fugisti,
Exul inopsque fuisti :
Pure te fac intendamus,
Mala summe fugiamus.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Decas secunda.

Pater noster.

Jesu, Mater te nutrivit,
Tibi humilis servivit :
Fac nos sequi paupertatem
Tuam et simplicitatem.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, Mater te docentem,
Templum quærit incolentem :
Nos ferventer fac orare,
Ad te semper suspirare.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, Matri paruisti,
Nostras culpas deplanxisti :
Fac nosipsos abnegemus,
Culpas digne deploremus.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, diu latitasti,
Et pro nobis exorasti :
Fac nos viles æstimari,
Funditus mortificari.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, pie baptizaris,
Et a Patre declararis :
Lava fonte tui Cordis
Fœditatem nostræ sordis.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, diu jejunasti,
Satanamque superasti :
Fac nos carnem macerare,
Hostes in te superare.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, fessus ambulando,

Digitized by Google

Multa suffers prædicando :
Pro te famem et labores
Patiamur et dolores.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, signa facis mira,
Sanas morbos, pellis dira :
Vulneratos et infectos,
Fac nos sanos et perfectos.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, gratis te oderunt,
Benefacta perverterunt :
Mundi plenum da contemptum,
Semper tibi cor intentum.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, palmis honoraris,
Intrans urbem lacrymaris ;
Prosperis non resolvamur,
Nec adversis moveamur.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Decas tertia.

Pater noster.

Jesu, de te cibum facis,
Quo nos large semper pascis :
Tantus amor mundet, ornet,
Nos absorbeat, transformet.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, sanguinem sudasti,
Orans dum te resignasti :
Mentem confer inflammatam,
Semper tibi resignatam.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, lupis tradebaris
Captus, vinctus trahebaris :
Depurati a rancore,
Hostes vincamus amore.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, vinctus accusaris,
Tacens crebro judicaris :
Linguam doce nos frenare,
Sensus omnes castigare.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, cæsus, laniatus,
Es conspitus, blasphematus :
Da cor mundum et ornatum,
Tuis pœnis vulneratum.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, nudus alligaris,
Flagris cæsus laniaris :
Tibi stringas nos nudatos,
Et confortes flagellatos.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, spinis te coronant,
Cædunt, conspuunt, adorant :
Spinas tuas fac transire
Nostros sensus et munire.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, falso judicaris,
Pro latrone damnabaris :
Alios non judicemus,
Sed nosipsos condemnemus.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, Crucem dum tulisti,
Sub hac ruens defecisti :
Te perfecte nos sectari,
Fac in cruce gloriari.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, dolor renovatur,
Corpus tuum dum nudatur :
Mentem præsta renovatam,
A creatis denudatam.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Decas quarta.

Pater noster.

Jesu, Cruci conclavaris,
Nervis ruptis laceraris :
Fac nos tecum crucifigi,
Conformari totos tibi.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, crucifixus oras
Pro tortoribus, quos ploras :
Inimicos diligamus,
Salves illos, obsecramus.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, veniam petenti
Das latroni pœnitenti :
Sic nos vivos nunc repurges,

Digitized by Google

Ne quid post purgandum serves.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, Matrem commendasti,
Nobis Matrem hanc donasti :
Hæc nos servet in pressura,
Nos materna regat cura.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, totus es afflictus,
Et a Patre derelictus :
A te nunquam relinquamur,
Cum afflictis affligamur.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, siti aruisti,
Cum aceto fel sumpsisti:
Voluptates respuamus,
Te præsentem sitiamus.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, cuncta consummasti,
Et nos plene liberasti :
Fac excusso nos torpore,
Semper stabilias amore.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, nostros ob reatus,
Mortis suffers cruciatus :
Tua morte nos transfige,
Cuncta vitia occide.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, mors quæ te prostravit,
Cor maternum penetravit :
Dolor in nos transferatur,
Quo Cor Matris figebatur.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, tuum Cor secatur,
Nobis datur, reseratur :
In hoc fac nos commorari,
Repurgari, transformari.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Decas quinta.

Pater noster.

Jesu, te de Cruce solvunt,
Matri datum post involvunt :
Crucem nunquam deseramus,
Tibi plene confidamus.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, pie sepeliris,
Aromatibus condiris :
Nos virtutibus fulciri,
In te fac nos sepeliri.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, limbum destruxisti,
Et captivos eduxisti :
Defunctorum miserere,
Et in morte nos tuere.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, Mater tuam mortem.
Pensans, planxit tristem sortem :
Tua morte nos mutari
Fac et semper inflammari.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, victor surrexisti,
Matrem primum invisisti :
A peccatis fac surgamus,
Tibi soli hinc vivamus.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, cœlos reserasti
Dum ad Patrem remeasti :
Non in multa distrahamur,
Mente sursum te sequamur.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, Spiritum misisti,
Mundum ad te convertisti :
Hic nos suis donis mundet,
Urat, firmet ac fecundet.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, Matrem coronasti,
Mire tecum sublimasti :
Hæc in morte nos defendat,
Ut cor totum in te tendat.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, judex es venturus,
Cuique justa redditurus :
Fac peccata nos plorare,
Te perfecte nunc placare.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Jesu, tibi laus, majestas,
Quia nobis cuncta præstas :
Mœstos juva, justos serva,

Digitized by Google

Reos sana, cunctos salva.
Alleluia, *Ave, Maria.*

Antiphona.

Jesu, tuum in amorem,
Plagas, pium Cor, dolorem
Trahe nos, in nobis manens,
Nosque totos, ut vis, regens.

Versiculus.

Spiritu rebus exutos
Nuda, tecum fac unitos :
Anima nos vulneratos,
Sensibus fac reformatos.

Oratio.

Domine Jesu Christe, obsecro te per tuum amorem et mœrorem, per dolorem vulnerum tuorum, per effusionem Sanguinis tui, et per virtutem mortis tuæ, miserere Ecclesiæ tuæ et animæ meæ, et omnium afflictarum animarum: et da nobis veniam, gratiam et omnium virtutum perfectionem, mortemque felicem et requiem æternam. Amen.

Pro morte felici et charitate ferventi, quæ multitudinem operit peccatorum, ad Dominum Jesum precatio.

O Jesu, da finem bonum,
Quod est super omne donum :
Tuis meritis nos purges,
Ornes, unias, transformes.

Humillimos, resignatos,
Fac amore vulneratos,
Morte tua nos amara
Defende, redime, para. Amen.

O Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.

Ad beatam Virginem Mariam.

Virgo, Mater Redemptoris,
Spes secura peccatoris,
Nos ab hoste truci serva,
Tuo Nato nos conforma.

Castum, humile, da gratum
Cor, amore vulneratum,
Nos ad mortem, Mater, para,
Deduc, accende, perlustra. Amen.

O Mater Dei, in manus tuas commendo spiritum meum.

Ad Angelos et Sanctos.

Sancti omnes et Patroni,
Angelique puri boni,
Vestra semper nos tutela
Christi servet in sequela.

Impetret nos hic purgari,
Funditus humiliari,
Charitate vulnerari,
Sancta morte consummari.

O omnes Sancti et Angeli Dei, in manus vestras commendo spiritum meum. Amen

HYMNI PIISSIMI DE CHRISTO SALVATORE

QUIBUS AMOR EJUS MIRABILITER FULGET ET CORDA NOSTRA MOVENTUR

HYMNUS TERTIUS DECIMUS

Ad septem effusiones Sanguinis Jesu Christi, contra septem peccata mortalia.

Ave, Jesu, qui cruorem
Fundis, sentiens dolorem
Tener in infantia :
Nos emundans a creatis,
Circumcide a peccatis
Corda, sensus, opera.

In agonia, contra Superbiam.

Ave, Jesu, dum orabas
Horto, Sanguinem sudabas,
Nostra portans crimina :
Totos nos humiliare,

Digitized by Google

Pie semper fac orare,
Puros a superbia.

In flagellatione, contra Iram.

Ave, Jesu, dum nudaris,
Flagris dire laniaris,
Sacro fluens Sanguine :
Hoc mundata mens dulcescat,
Iram vincens mansuescat,
Læta sub gravamine.

In coronatione, contra Gulam.

Ave, Jesu, coronatus,
Cæsus, læsus, cruentatus
Es corona spinea :
Voluptatem sensualem,
Animalem, spiritalem
In nobis mortifica.

In vestium extractione, contra Avaritiam.

Ave, Jesu, renovatur
Tuus dolor, dum tractatur
Vestis e vulneribus :
Jesu, nudum te sequamur,
Nudi tibi conjungamur
Liberis affectibus.

In crucifixione, contra Acediam.

Ave, Jesu, conclavaris,
Nervis ruptis laceraris,
Fundens fontes gratiæ :
Amor tui nos transfigat,
Mundet, urat, crucifigat,
Ut amemus fervide.

In Cordis apertione, contra Invidiam.

Ave, Jesu, qui sacratum
Cor das nobis reseratum,
Undamque cum Sanguine :
Hæc nos lavet, hic nos ornet,
Dupla charitate donet
Nescios invidiæ. Amen.

HYMNUS QUARTUS DECIMUS

De septem verbis ultimis Domini Jesu in Cruce.

Ave, Jesu, dum mactaris,
Pro tortoribus precaris,
Ignoscens piissime :
Fac nos statim indulgere,
Lædentibus condolere,
Preces pro his fundere.

Ave, Jesu, pœnitenti
Latroni, sero dolenti,
Promisisti gloriam :
Nobis da contritionem,
Veram emendationem,
Et in morte veniam.

Ave, Jesu, in amore
Matrem tristem et dolore
Nobis dabas maximo :
Hæc ut filios nos quærat,
Ad te ducat, salvet, regat
In omni periculo.

Ave, Jesu, qui afflictus
Es et undique relictus,
In pœnis gravissimis :
Ne nos linquas ut cadamus,
Fortes in te persistamus
Cunctis in angustiis.

Ave, Jesu, siti arens,
Viribus et contabescens,
Gustas potum felleum :
Carnis blanda nos odire
Da, justitiam sitire
Amoremque fervidum.

Ave, Jesu, consummasti
Cuncta, nobisque donasti
Tua sancta merita :
Bona rite inchoemus,
Et in finem consummemus
Tua beneplacita.

Ave, Jesu, agonizans,
Patri spiritum commendans,
Mortem fers durissimam :
Tua mors nos totos mundet,
Tuis meritis fecundet,
Mortem det tutissimam. Amen.

HYMNUS QUINTUS DECIMUS

Ad quinque vulnera Christi Jesu deque ipsius amore inæstimabili.

Ad vulnus dextri pedis, pro Humilitate.

Salve, vulnus gratiosum,

Digitized by Google

Christi madens sanguine :
Mihi cor da luctuosum
Meo pro peccamine,
Simplex, humile, zelosum,
Te quærens purissime.

Ad vulnus sinistri pedis, pro Castitate.

Salve, plaga peramœna,
Nostra tu redemptio :
Per te mihi detur plena
Peccati remissio ;
Pauper, casta, mens serena,
In te ardens unico.

Ad dextram, pro Obedientia.

Salve, rubens ex cruore
Jesu plaga dexteræ :
Me dolorem cum amore
Tuum fac percipere ;
Tibi corde, factis, ore
Subjectum promptissime.

Ad lævam, pro Patientia.

Salve, lævæ vulnus Christi,
Sanguineque roseum :
Fac in quovis casu tristi,
Mitem me, pacificum,
Erga cunctos quos emisti,
Misericordem, pium.

Ad Cor, pro Charitate.

Salve, ruptum præ dolore
Jesu Cor dulcissimum,
Et transfixum ex amore :
Mihi præsta lavacrum,
Juncto virtutum splendore,
Amoris incendium.

Ad caput, pro Mortificatione sensuum.

Salve, spinis cruentatum,
Reverendum Angelis,
Cæsum, lusum, conspurcatum
Caput pium miseris.
Sensum da mortificatum,
Illustratum gratiis. Amen.

HYMNUS SEXTUS DECIMUS

Ad Christi sensus et membra pœnis afflictissima pro ipsius imitatione.

Salve, cujus est cæcatus
Visus ex doloribus,
Gustus felle cruciatus,
Auditus blasphemiis,
Tactus pœnis, odoratus
Propter me fœtoribus.

Ad membra et vulnera Christi.

Vulnera, salvete, sacra,
Plagæ, guttæ sanguinis,
Ossa, viscera quassata,
Gemitus cum lacrymis,
Nervi, venæ lacerata,
Dolores, mors lugubris.

Jesu, de peccatis meis
Sana me plenissime,
Negligentiis suppletis,
Orna tuo sanguine.
Pauper, humilis et mitis
Sim, te sequens fervide,

Qui es Deus gloriosus,
Homo factus innocens,
Pauper, spretus, dolorosus,
Purus, tacens, abstinens,
Compassivus, gratiosus,
Ad mortem obediens.

Justus, verax, fortis, prudens,
Benignus, humillimus.
Tibi durus, nobis clemens
Et patientissimus :
Hostium reatus delens,
Stabilis, piissimus.

Jesu, tibi condolendo,
Lacrymis me mactitem :
Semper gratias agendo,
Te laudem, glorificem,
Et me pro te consumendo,
In omnibus abnegem.

Oh ! me tanta imitari
Des exempla regia,
Foris intus immorari

Digitized by Google

Intra tua vulnera,
Tibi plene conformari
Virtutum constantia.

HYMNUS SEPTIMUS DECIMUS

Ad tristissimam animam Christi et de ejus angustiis.

Anima tu Christi, lugens
Quæque nostra crimina,
Salve, Patrem spretum dolens
Et materna tormina ;
Electorum pœnas deflens,
Animarum pericla.

Ingratitudo tristavit
Te relictam undique,
Tibi pœnas vis taxavit
Amoris justitiæ :
Totum mea quod peccavit
Anima, tu dilue.

Me dolorum et amoris
Radiis illumina,
Jesu, piique mœroris,
Ut lugeam crimina,
Occasum tui honoris,
Animarum vulnera.

Rationem meam doce,
Cuncta recta judicet,
Cupidam vim sursum coge,
Solum te desideret ;
Irascibilem compesce,
Solam culpam odiat.

HYMNUS OCTAVUS DECIMUS

Ad spiritum Jesu tum divinum tum humanum, et de ejus amore ardentissimo.

Salve, amor increate,
Ad nos ardentissime,
Jesu, spiritus create,
Amans nos tenerrime,
Fideliter, consummate,
Fortiter, gratuite.

Qui te totum impendisti
Pro me libentissime,
Pœnas paratus fuisti
Semper pro me luere.
Sic me prior dilexisti,
Vt valeam vivere.

Oh ! liquescam vi ardoris,
Amans te sponsaliter.
Videns quod tu fons amoris
Pateris tam graviter,
Et affectu me dulcoris
Trahis singulariter.

Omni delectationi
Propter te renuntio :
Omni morti et dolori
Laborique obvio.
Tibi tuoque honori
Cuncta meque totum do.

Jesu, stringas unitatis
Me divinis nexibus,
Vinctum vinculis charitatis
Mentis in excessibus ;
Cunctis in te transformatis
Viribus et sensibus.

Mentem puram, intellectum
Luminosis gratiis,
Mihi da pium affectum,
Amoris incendiis
Totum ardentem, subjectum
Tuis beneplacitis.

Jesu, meas actiones,
Preces, exercitia,
Motus, verba, passiones
Tibi fac glorifera,
Tuas per orationes,
Actus, pœnas, merita. Amen

HYMNUS NONUS DECIMUS

Septem gaudia Domini Jesu, quæ si quis devote frequentaverit, petitiones ejus adjunctas obtinebit.

Gaude, plenæ potestatis,
Judex summæ majestatis,
Cuncta regens Dominus.
Plena sim subjectione,
Castaque dilectione,
Jesu, tibi subditus.

Gaude, splendens claritate,
Jesu, fruens Deitate,

Digitized by Google

Redivivus, hilaris.
Claritas, quam meruisti,
Mihi sit in morte tristi
Lux et dux in tenebris.

Gaude, Jesu, in amore,
Qui perpesso pro dolore,
Te penetrat dulciter.
Luminosum intellectum
Præsta, fervidum affectum,
In te fixum jugiter.

Gaude, dotibus beatus,
Totisque glorificatus
Viribus et sensibus.
Vires, sensus fac consumam,
Te suspirans liquefiam,
Modis amans omnibus.

Gaude, cœlos repetentem,
Tuos Patri reducentem,
Te suscepit dextera.
Per te Patri præsentetur,
Et a malis liberetur
Mea pauper anima.

Gaude, quod magnificandi
Facultas tuos ditandi
Tibi datur libera.
Tuæ vitæ, Passionis,
Laboris, dilectionis
Mihi confer merita.

Gaude, quia coronantur,
Tibi omnes sociantur
Amici in gloria ;
Horum da societatem
Mihi, tuam charitatem
Ut laudem in secula. Amen.

HYMNUS VIGESIMUS

De Passione Domini Jesu Christi perquam devotus et elegans

Cantandus sub nota *Pange lingua, Crux fidelis* .

Jesus, in Cruce figitur,
Et dire dum extenditur,
Solutis, heu, compagibus,
Orabat pro tortoribus,
In altum cum latronibus,
Sic elevatur medius.

Distentum pœnæ dissipant,
Hinc flagellorum cruciant
Plagæ, hinc clavi lacerant,
Hinc spinæ caput vulnerant ;
Collacrymantur oculi,
Nervi laxantur rigidi.

Membra quassantur livida,
Sacra rubescunt vulnera,
Cruor manat hinc roseus,
Dolor crescit acerrimus :
Sensus et dolor viguit,
Non est quod pœnam minuit.

Consputa pallet facies,
Cruore fuso, macies
Membra consumit arida,
Dum sitis premit aspera,
Hæc videns Mater anxia
Tabescit præ tristitia.

Jesus inter opprobria
Nulla captans subsidia,
Ad Patrem tristis clamitat,
Relictum se vociferat.
Gustando fel amaricans,
In Cruce pendet lacrymans.

Anhelum pectus palpitat,
Cor gemit, lingua æstuat,
Commendat se, et invocat
Patrem, exspirans clamitat.
Sensus et pœna viguit,
Sic moriens obriguit.

O quam immensa charitas,
O Cordis mira bonitas,
O dulcor, o dignatio,
O Dei miseratio !
Nam salvat nos gratuito,
Redemptos tanto pretio.

In mortem sese tradidit,
Ut quos damnare debuit,
Obnoxios nunc liberet,
Ingratosque remuneret.
En, quanta Dei charitas,
Heu, quanta nostra vilitas !

Jesu, quam amas dulciter,
Quos redimis tam fortiter ;
En factus es opprobrium

Digitized by Google

Pro nobis et spectaculum ;
En plebis es abjectio
Et hostium despectio.

Non mansit in te sanitas :
Nam nostra te iniquitas
Et amor tuus vulnerat,
Hinc dolor cuncta occupat,
Ut totum per te redeat,
In nobis quod perierat.

Jesu, nostra redemptio,
Spes, vita, consolatio,
Amor et desiderium,
Felicitas et gaudium,
Fac nostra mens ut ardeat,
Amans te solum sitiat.

Jesu, Rex amantissime,
Tu rege, tu nos posside,
Quæ tibi placent tribue,
Quæ displicent mox amove,
Ut tuum beneplacitum
Sequamur in perpetuum. Amen.

Aspiratio ad osculum vulnerum Christi aut ejus misericordissimi Cordis.

In tua, Jesu, vulnera,
Tu nostra cordis intima
Absorbe, rege, posside,
Tu nobis dulcis imprime.

Fac nos simplices, humiles,
Pios, sobrios, pauperes,
Corde et ore tacitos,
Mites, resignatissimos.

Te laudemus in omnibus,
Amemus totis viribus ;
Impendamus nos proximis ;
Abnegemus nos funditus. Amen.

HYMNUS VIGESIMUS PRIMUS

Laudes creaturarum referens Creatori.

Sub nota canendus eorum hymnorum qui sunt iambici, ut sunt :

Conditor alme siderum : Jesu quadragenarie.

Jesu, Corona virginum,
Amor et desiderium,
Sponse castarum mentium,
Spes, vita, salus omnium ;

Qui castitatem diligis,
Amorem tui præcipis :
En cuncta tibi serviunt,
Et te laudare gestiunt.

Cœlestium spirituum
Chori, Sanctorum omnium,
Terra, pontus et æthera
Voce te laudant consona.

En puritas te virginum,
Te pietas humilium,
Te martyrum constantia,
Lapsorum pœnitentia,

Te charitas nunc omnium,
Simplicitasque cordium,
Oblectat patientia :
Te canunt, laudant omnia.

Te cœlum tonat, fulgura
Te micant, nix et pluvia,
Hiems et æstas prædicant,
Te sol et astra nuntiant.

Te cœli canunt volucres,
Te pisces, fontes, gurgites,
Te gemmæ, feræ, nemora,
Te cuncta laudant germina.

Te tellus omnis prædicat,
Te Creatorem nuntiat,
Flores, fructus et arbores,
Ad te nos citant homines.

Vernantes fragrant violæ,
Rosæ loquuntur rubeæ,
Te mala spirant punica,
Tibi candescunt lilia.

Non est quod tibi sileat,
Nihil quod te non concinat.
Mens ergo nostra jubilet,
Te psallat, te tripudiet.

Jesu, quam es laudabilis,
Dulcis, pulcher, amabilis,
Amœnus, odoriferus,
Quam totus es mellifluus.

O cordis nostri gaudium
Castum, verum et unicum,
Mœstorum consolatio,
Lapsorum reparatio.

Digitized by Google

Vita, salus, fiducia,
Nostra dimitte scelera.
Exstingue cuncta vitia,
Tua nos imple gratia.

Fac amarescant gaudia
Mundi, vilescant omnia,
Corda nostra stabilias,
Hæc potens in te rapias.

Cuncta fac nos despicere
Extra te, nos relinquere,
Ut nobis tu sis unicus,
Et omnia in omnibus.

Ut solus nos possideas,
Jesu, tu nobis influas,
Tolle quod tibi displicet,
Nil extra te nos recreet.

Amore tui langueat
Mens nostra, semper ardeat,
Jesu, te solum sitiat,
Et extra te nil sentiat.

Ad aliena stupida,
In te recurrat ebria,
In te absorpta gaudeat,
Vivens in te obdormiat. Amen.

HYMNUS VIGESIMUS SECUNDUS

Alius sub eadem nota modulandus : qui totus est oratio.

Jesu, rex potentissime,
Amator fidelissime,
Solator benignissime,
Spes suspirantis animæ,

Quam miro tuos reficis,
Constanter quos tam diligis,
Regis, foves ac protegis,
Et his ad cor tu loqueris.

O sponse mi dulcissime,
Deus o clementissime,
Mea tibi est anima
Sponsa, quamvis adultera.

Tu sponsi dignus nomine,
Nam amas ardentissime ;
Zelator es castissimus,
Et hospes suavissimus.

At ego despicabilis,
Miser et miserabilis,
Infirmus, inops, stolidus,
Inconstans, cæcus, profugus.

Delicta mea horreo,
En exul ad te redeo :
Nam pium te considero,
Me suscipe nunc obsecro.

Ignosce mihi supplico,
Totum tibi me dedico :
Fac tuum beneplacitum
Fiat in me perpetuum.

Amoris vis me penetret
Ignita, totum occupet,
Exurens me purificet,
Transformet et inebriet.

Jesu, te solum sentiam,
Ex toto corde diligam,
Unum in cunctis videam,
Semperque plus te sitiam.

Fac mundo totus moriar,
Absorptus tecum uniar,
Egrediens hinc gaudia
Mox ducar ad cœlestia.

Jesu, te laudent omnia,
Ex me sit tibi gloria,
Patri cum Sancto Spiritu,
Ubique sine transitu. Amen.

HYMNUS VIGESIMUS TERTIUS

De divina charitate, gradus, officia dignitatemque ejus explicans, pius admodum et elegans.

Adest sanctæ charitatis
Et divinæ bonitatis
Celebris memoria ;

Quæ creavit, pascit, regit,
Reparavit quos elegit,
Sua fovens gratia.

Vita qui beata frui
Cupit, charitas est cui
Merces repromittitur.

Charitas dum observatur,

Digitized by Google

Virtus omnis instauratur;
Moritur cupiditas.

Charitatem possidete,
In qua pendent et Prophetæ,
Legisque perfectio.

Ipsa est præcepti finis,
Jungens humana divinis,
Virtutum connexio.

Angelorum si loquaris
Linguis, frustra gloriaris
Fide et scientia,

Charitate dum nudaris,
Prophetia nil juvaris,
Perit continentia.

Charitas non irritatur,
Abest livor, nec inflatur,
Credit, sperat omnia.

Patiens est et benigna,
Cuncta suffert, non maligna,
Crescens non fit nimia.

Languet, non desidiosa,
Gaudet, non ambitiosa,
Dei sitit gloriam.

Sua putat aliena,
Parcit, fert, dat, est serena,
Nihil agit perperam.

Ultra vires se extendit,
Non se quærit nec intendit,
Ipsa nunquam excidit.

Contra hostes ipsa munit,
Nos conjungens Deo unit,
Nam delicta operit.

Hæc illuminat obscura,
Vulnerat et mollit dura,
Vitia mortificans.

Hac justificatur reus,
Charitas est enim Deus,
Omnia pacificans.

Ipse prior nos amavit,
Factus homo prædicavit
Mundo Dei Filius.

Ut gallina congregavit,
Sanguine quos suo lavit,
Pro peccatis mortuus.

Charitatem commendavit,
Sua Carne dum cibavit
Quibus pedes laverat.

Hæc est, ejus ut mandata
Servet, proximo det grata,
Ut sibi quis postulat.

Non scindamus unitatem,
Teneamus charitatem,
Pacis atque vincula.

Sine qua nihil prodesse,
Cum qua potest nil obesse,
Qua habentur omnia.

Ergo miseri, ingrati,
Te rogamus nunc prostrati
Dei o clementia!

Parce nostræ pravitati,
Insere nos charitati,
O misericordia!

Da quæ jubes nos servare,
Et quæ vetas declinare,
O divina bonitas!

In te rapti inflammemur,
Et absorpti transformemur,
O immensa charitas!

Casto jugi nos amore,
Gratiæ fac plenos rore,
Firma nos et posside.

Ut in morte liberati,
Per te simus mox beati
In cœlesti lumine. Amen.

Digitized by Google

HYMNI QUINQUE AD LAUDEM B. V. MARIÆ

EJUSDEM GAUDIA QUINQUAGINTA,
QUIBUS PRÆ CÆTERIS HOMINIBUS IN TERRA CŒLOQUE EXULTAT,
SUCCINCTIM EXPLICANTES.

HYMNUS VIGESIMUS QUARTUS.

Ab æterno es dilecta,
Dei Mater præelecta
In salutem omnium.

Deus, qui te præparavit,
Dignam fecit et ornavit
Sua Mater fieres.

A Prophetis prædicata,
Signis, typis figurata,
Desideratissima.

A peccato præservaris,
Mox concepta consecraris
Dei habitaculum.

Te parentes genuerunt
Sancti, steriles fuerunt
Fecundati cœlitus.

Sacerdotum, Prophetarum,
Regum et Patriarcharum
Stemma te nobilitat.

Legem, Psalmos didicisti,
Nihil non intellexisti;
Te docebat Unctio.

A delicto tu secura,
Et ab omni labe pura,
Angelis es mundior.

Tota pulchra, gratiosa,
Supra modum speciosa,
Nil decoris defuit.

Gratia es omni plena,
Virgo mitis et serena,
Places et Altissimo. Amen.

HYMNUS VIGESIMUS QUINTUS.

Te in templo dedicasti,
Deo totam mancipasti,
Vitam agens cœlicam.

Dulcis, pia, cunctis grata,
Pulchra, mitis, honorata,
Omnibus amabilis.

Speculum es castitatis,
Et exemplum sanctitatis,
Morumque perfectio.

Castitatem tu vovisti,
Deo dum te obtulisti,
O Regina virginum.

Justo Joseph desponsaris,
Dei sponsa quo servaris,
Vitam agens cœlicam.

Deum humilis orabas,
Cui devota supplicabas,
Pius nos redimeret.

Cœlitus es salutata,
Dum consentis exspectata,
Virgo Deum concipis.

Ferens Deum non gravaris,
Plena sed Deo lætaris,
Portans hunc in utero.

In montana properasti,
Elisabeth dum salutasti,
Adimplesti Spiritu.

Virgo Deum genuisti,
Et dolore caruisti,
Plena cordis jubilo. Amen.

Digitized by Google

HYMNUS VIGESIMUS SEXTUS.

O QUAM sancte exultabas,
Deum quando tu lactabas
Ubere virgineo !

Tu gaudebas revelari,
Cognitumque honorari
Jesum Dei Filium.

Tu in gremio fovebas,
Operansque nutriebas
Hunc, qui pascit omnia.

Hunc in templo reperisti,
Gaudens tecum reduxisti,
Mœsta quem quæsiveras.

Tecum latens morabatur,
Fabro natus putabatur,
Erat tibi subditus.

Ejus signa contemplaris,
Gloriæque gratularis,
Dum dat beneficia.

Delectaris veritate,
Et sermonum suavitate,
Populo dum prædicat.

Peccatores ad se vocat,
Et convescens ad se locat,
Mitis et misericors.

Suo Corpore cibavit,
Et amore inflammavit,
Sacramenta statuens.

Magno pretio quod empti
Simus, a morte redempti,
Nobis ipsa faveras. Amen.

HYMNUS VIGESIMUS SEPTIMUS.

ADSTAS Christo patienti,
Collaboras redimenti,
Charitatem socians.

Sola credis, sola speras,
Amans sola perseveras,
Typum dans Ecclesiæ.

Mortem victor superavit,
Patris jussa consummavit
Jesus Dei Filius.

Prima vides resurgentem,
Gloriosum et fulgentem,
Sancto plena gaudio.

Hic ascendens, copiosam
Turbam ducit gaudiosam,
Potens quam redemerat.

Spiritu nos replet idem,
Mundum, quo recepit fidem,
Missi dum hunc prædicant.

Fidem gaudes dilatari,
Et innumeros salvari
Tui Nati sanguine.

Languidis cupita dari
Et miracula patrari
Jesu vides nomine.

Castitatem imitantur
Tuam, mundum aspernantur
Virgines et monachi.

Martyres qui dilexerunt
Christum, sanguinem fuderunt
Pro ipsius nomine. Amen.

HYMNUS VIGESIMUS OCTAVUS.

AD suprema suspirabas,
Evocata anhelabas
Ad dilectum Filium.

Moriendo dormivisti,
Et non dolens tradidisti
Deo tuam animam.

Hic assumptam te coronat,
Immortalitate donat
Corpore et spiritu.

Super cœlos exaltata,
Sanctis Angelis prælata,
Es post Deum celsior.

Ut sol fulget inter astra,
Cœli sic illustrat castra
Tuæ splendor gloriæ.

Filius dat sua dona,
Cœlique paravit bona
His qui tibi serviunt.

Tu in cœlo principatum
Obtines, est cunctis gratum,
Quod Regina præcipis.

Digitized by Google

Christus Matrem te honorat,
Quidquid petis, id exorat
Tua fervens charitas.

Proxima es Trinitati,
Nam supernæ civitati
Decor es et gloria.

Honor tuus semper crescit,
Amor tuus nec marcescit
In cœlesti curia. Amen.

Versus memoriales,
Articulos hos significantes.

DILIGIT, ante parat, signat, præservat, a sanctis ;
Nobilis, omnia scis, pura es, pulcherrima, plena.
In templum, dulcis, perfecta, voves, nova sponsa.
Exoras, conceptum, fers, montana, parisque.
Lacte, revelatur, nutris, reperis, habitavit.
Signa facit, docuit, pius est, Sacramenta, redemit,
Adstas, et credis, victor, surrexit, in altum.
Implevit, credunt, miracula, castaque, Martyr.
Evocat, et dormis, assumpta, supremaque, fulges.
Dona, tuis mandas, consentit, proxima, crescunt.

Ut inter omnes mulieres claras B. V. Maria benedictissima illustrissimaque prædicetur, sub nota, *Pange lingua*, concinendus.

HYMNUS VIGESIMUS NONUS.

TUI Mater ad honorem
Casta Regis inclyti,
Fac canentes ad amorem
Accendamur frigidi,
Spiritumque pinguiorem
Sentiamus aridi.

Inter omnes benedicta,
Grata semper Domino
Prædicaris et invicta
Cœlitus ab Angelo.
Nostra Mater ob delicta,
Digna Dei Filio.

Virgines tu castiores
Præis, Virgo purior :
Singulares supra matres
Paris et integrior,
Mulieres simul omnes
Vincis et illustrior.

Ab æterno præelecta,
Donis cumulatior,
Deo semper es dilecta,
Meritisque ditior,
Ad suprema jam subvecta,
Gloria beatior.

Est Rebecca speciosa,
Longe tu formosior.
Dei sponsa generosa,
Rahab fide plenior.
Quam Ruth erat virtuosa,
Moribus es clarior.

Prudens erat Thecuitis
Mulier, tu doctior.
Consulit et Abelitis,
At tu sapientior.
Est devota Sunamitis,
Pia tu clementior.

Scelus ibat vindicatum
David fortis et pugil,
Placat humilis iratum
Obvians Abigail.
Deum reddis tu pacatum,
Nobis orando vigil.

Mitis es et gratiosa,
Rachel amabilior,
Abisag deliciosa,
Virgo manes castior,
Ut regina gloriosa
Esther sed acceptior.

Docta mater suum natum
Samson Deo consecrat.
Samuelem Deo gratum
Munus Anna dedicat ;
Templum sibi præparatum
Te Deus inhabitat.

Anna senex de Infante
Prophetabat vidua,
Tibi quæ fuerunt ante
Plenius jam cognita,
Sacra Sancto revelante
Spiritu mysteria.

Paris Christum et renatos,
Sara mirabilior,
Nos in Cruce tibi datos,
Tu Lia fecundior.
Fove tuos adoptatos,
Eva matre melior.

Condolens dum anxiaris,

Digitized by Google

Salome constantior,
Stans sub Cruce desolaris,
Noemi tunc tristior,
Plangens Natum contemplaris,
Sara sed maturior.

Per te reconciliati,
Debora tu justior ;
Sumus quoque liberati,
Judith o zelosior ;
Hostes nostri sunt prostrati,
Jabel nam es fortior.

Bethsabee Salomonis
Matre gloriosior,
Altior es cœli thronis,
Christo tu vicinior,
Mille fulges nunc coronis,
Cunctis excellentior.

Gloria sit tuo Nato,
Patri cum Paraclito.
Liberet nos a peccato,
Qui pro nostro debito,
Corpore tam delicato,
Mortem fert gratuito. Amen.

HYMNUS TRIGESIMUS

Gaudia quindecim B. V. Mariæ breviter explicans.

Gaude, Virgo virginum,
Mater Jesu Christi,
Primum quia gaudium
Nobis contulisti,

Quando velut oriens
Aurora prodisti,
Ortu tuo tribuens
Lucem mundo tristi.

Per hoc dulce gaudium,
Virgo Mater Dei,
Apud tuum Filium
Memor esto mei.

Gaude, quia cœlitus
Ad te destinatur
Gabriel Archangelus,
Ut tibi dicatur :

Ave, plena gratia,
Qui te sic affatur
Nuntius ; ne timeas
Monet et hortatur.

Ad affatum Angeli
Læta respondisti,
De me ancilla Domini
Fiat ut dixisti.

Quod dum Verbi nuntio
Responsum dedisti,
Ventris sub hospitio
Verbum concepisti.

Exultat tum Elisabeth
A te salutata,
Exultat et soboles
Ejus nondum nata.

Eo quod credideris
Dicta es beata,
Dominum magnificans
Sic magnificata.

Gaude, cujus uterum
Decenter ornavit,
Et quod eum proprium
Sibi coaptavit

Cœli Rex et Dominus,
Et qui te creavit,
Totis novem mensibus
In te repausavit.

Stella sole clarior,
Gaude, stella maris,
Ex te clarus exiit
Radius solaris.

Singularis gloriæ
Dono gloriaris,
Dum Solem justitiæ
Virgo pura paris.

Pastores accelerant
Ad Bethleem tendentes,
Verbum quod audierant
Factum requirentes.

Quærunt et inveniunt,
Et invenientes
Te gaudere faciunt
Tibi congaudentes.

Sic et Magi de longe

Digitized by Google

Veniunt, dicentes :
Ubi est qui natus est ?
Ad quem venientes

Adorant, et offerunt
Dona procidentes.
Læta Magos aspicis
Ista facientes.

Gaude, cujus brachiis
Puer deportatur
Ad templum, cum hostiis
Patri præsentatur.

Offertur pro perditis ;
Sic Pater placatur,
Et pax tuis meritis
Reis redonatur.

Cum Christus ad nuptias
In vinum mutavit
Aquas, quibus hydrias
Impleri mandavit.

Signorum primitias
Hoc signo monstravit,
Quo primas delicias
Mundo propinavit.

Ex te vitæ vinea
Botrus vitæ natus,
Crucis neci figitur,
Diræ morti datus.

Cujus sic te cruciat
Crux et cruentatus,
Mire te lætificat
Mire suscitatus.

Partus tui munere
Perit mors consumpta,
Porta patet gloriæ,
Spe vitæ resumpta.

Cum de morte rediens
Ex te caro sumpta,
Ad paternæ dexteram
Sedis est assumpta.

Quando cum discipulis
Inter consedisti,
Et de his, quæ fuerant
Facta, contulisti,

De vita, de moribus,
Et de morte Christi,
Dona Sancti Spiritus
Læta suscepisti.

Quando cœli solium
Læta conscendisti,
Læta cœli civium
Turbis occurristi.

Occurrentem Filium
Plus læta vidisti,
Ad cujus consortium
Tunc læta venisti.

Nam Regina resides
In regno cœlorum,
Ubi cunctis præsides
Choris Angelorum.

O pia pax pectorum,
Salus peccatorum,
Esto tui memorum
Memor miserorum. Amen.

HYMNUS TRIGESIMUS PRIMUS

Jesu Christi vitam et Passionem ; Matrisque ejus B. V. Mariæ præconia explicans, in decades quinque distributus.

Decas prima.

Pater noster. Ave, Maria.

Jesus consubstantialis
Patri ex quo semper talis,
Angelis non parcit malis,
Sed e cœlis ejicit.

Jesus omnia creavit,
Protoplastos collocavit,
Quos peccantes castigavit,
Trudens in exilium.

Gentem ex Ægypto duxit,
Lege Mosi quam instruxit,
Ex qua nobis stella luxit,
Mundi solem pariens.

Salve, Virgo præelecta,
Ab æternoque dilecta,
A Prophetis præinspecta,
Repromissa gentibus.

Angelus prænuntiavit

Digitized by Google

Ortum tuum, quem beavit
Deus, atque præservavit
Te ab omni macula.

Ave, gratiis ornata,
Cunctis donis decorata,
Pulchra nimis, dulcis nata
Sanctis de parentibus.

Salve, quæ te obtulisti
Deo, quem et timuisti,
Cui semper placuisti
Humilis, obediens.

Hunc contemplans dilexisti,
Colens, ardens inhæsisti,
Cui primum devovisti
Te in sponsam virginem.

Sancto Joseph desponsaris,
Et pro plebe dum precaris,
Angelo mox salutaris :
Ave, plena gratia.

Audiens te matrem fore,
Virginali cum pudore
Annuensque cum fervore,
Virgo Deum concipis.

Decas secunda.

Pater noster. Ave, Maria.

O quam mirum tunc sensisti
Gaudium, dum concepisti
Deum, læta quem gessisti
Corde sub virgineo.

Mox cognatam visitabas,
Salutando quam sacrabas,
Ut ancillam te parabas,
Serviens humiliter.

Ave, Mater singularis,
Gaudens Virgo Deum paris,
Nec in partu anxiaris
Vili sub tugurio.

Quem mox natum adorasti,
Amplexatumque lactasti,
Involutum reclinasti
Arcto in præsepio.

Hunc infantem corde tristi
Circumcidi conspexisti,
Quem ab Angelis audisti
Collaudari cœlitus.

Quamvis Virgo genuisti,
Legi tamen obedisti,
Regem cœli redemisti
Paupertatis hostia.

Regis iram audiebas,
In Ægyptum fugiebas,
Hic Infantem nutriebas
Manuum laboribus.

Puerum ad festa pergens
Perdidisti, mœsta quærens,
Sed inventum tecum gaudens
Ducis hunc ad propria.

Qui regressus mox servivit
Tibi, sed et obedivit ;
Tecum sic ignotus vivit,
Latens multo tempore.

Qui Jordane baptizatus,
A Joanne demonstratus,
In deserto est tentatus
Longa post jejunia.

Decas tertia.

Pater noster. Ave, Maria.

Hic eundo fatigatus,
Æstu, fame cruciatus,
Frigoreque molestatus,
Multa fert incommoda.

Qui castella peragravit,
Prædicandoque vocavit
Reos, cum his manducavit,
Donans indulgentiam.

Turbam multam satiavit,
Cunctos languidos sanavit,
Mortuosque suscitavit,
Dæmones ejiciens.

Magdalenam hic amavit,
A peccatis quam mundavit.
Et in monte pernoctavit,
Dum caret hospitio.

A Judæis est tentatus,

Digitized by Google

Persecutus et vexatus,
Super urbem lacrymatus,
Turbam habet obviam.

Proditorem toleravit,
Et suorum pedes lavit,
Carne sua quos cibavit,
Sacramentum statuens.

Prædicando confortabat,
Tristes Patri commendabat,
Intrans hortum ter orabat
Procidens in faciem.

Qui se Patri resignavit,
In agone dum sudavit,
Dormientes excitavit,
Confortatus Angelo.

Dum a Juda osculatur,
Captus, cæsus vinculatur,
Sic ad Annam præsentatur,
A suis relinquitur.

Hic a servo verberatus
Est, a Petro ter negatus,
Ad Caipham præsentatus,
Multas fert injurias.

Decas quarta.

Pater noster. Ave, Maria.

Quem consputum et velatum,
Et ut reum condemnatum
Vinctum ducunt ad Pilatum,
Accusant mendaciter.

Ad Herodem destinatus
Tacuit interrogatus,
Alba veste diffamatus,
Rediit ad præsidem.

Qui latroni comparatur,
Ad columnam alligatur,
Nudus dire flagellatur,
Sacrum fundens sanguinem.

Purpura quem vestierunt,
Et coronam impresserunt,
Salutatum conspuerunt,
Sceptro caput verberant.

Qui ad crucem postulatus,
Ad tribunal est damnatus.
Portans Crucem lamentatus
Est a mulieribus.

Jesus felle dum potatur,
Vestimentis denudatur,
Dolor omnis renovatur,
In Cruce extenditur.

Crucifixus elevatur,
Homicidis sociatur,
Et a multis blasphematur,
Insignitus titulo.

Pro tortoribus oravit,
Reo veniam donavit,
Matrem pie commendavit,
Eli, Eli clamitans.

In quo cuncta languerunt,
Vires omnes defecerunt,
Cor et lingua aruerunt,
Plenus est doloribus.

Sitiens fel dum gustavit,
Quæ suscepit consummavit,
Se commendans exspiravit
Cum clamore valido.

Decas quinta.

Pater noster. Ave, Maria.

Elementa tremuerunt,
Quidam corda tutuderunt,
Sanguis et aqua fluxerunt
De transfixo latere.

Quem de Cruce tibi datum
Amplexaris cruentatum,
Involutum, tumulatum
Plangis tristis abiens.

Qui captivos visitavit,
Limbum intrans coruscavit,
Et electos liberavit
Magno cum tripudio.

Qui resurgens triumphavit,
Te consolans visitavit,
Magdalenam confortavit,
Hinc apparens cæteris.

Dum ascendit gloriose
Dona misit copiose,
Undique dum fructuose
Prædicant Apostoli.

Digitized by Google

Te assumptam exaltavit
Super cœlos, coronavit,
Potestatemque donavit
Tibi super omnia.

Sancti mundum contempserunt,
Quidam sanguinem fuderunt,
Carnem suam afflixerunt
Pro ipsius nomine.

Qui in cœlis gloriosus,
Justus est, deliciosus,
Semper est et gratiosus
Cunctis pœnitentibus,

Qui mox judex est venturus,
Facta nostra discussurus,
Bonis vitam est daturus,
Et malis supplicia.

Fac, o Mater pietatis,
Ut parcat nostris peccatis,
Ne damnemur, sed beatis
Jungamur in gloria. Amen.

HYMNUS TRIGESIMUS SECUNDUS

Horas septem Compassionis B. V. Mariæ explicans.

Ad Matutinas.

Matris Cor tristitia
Pium angustatur,
Hora noctis media,
Dum nuntiabatur,

Jesus quod ab impiis
Captus et ligatus,
Ductus est convitiis,
Cæsus et negatus.

Ad Primam.

Hora prima gemuit,
Videns suum Natum,
Qui ut agnus tacuit,
Duci ad Pilatum.

Hunc iniquis testibus
Cernit accusari ;
Sputis et verberibus
Impie tractari.

Ad Tertiam.

Hora videt tertia
Jesum flagellari,
Et illusum purpura,
Spinis coronari,

Crucem in angustia
Cernit bajulantem,
Cruenta vestigia,
Turbam subsannantem.

Ad Sextam.

Hora sexta doluit
Mater, dum extensum
Crucifigi conspicit,
Nudumque suspensum,

In latronum medio :
Quem et blasphemari
Audit; sed a Filio
Seque commendari.

Ad Nonam.

Hora nona Filium
Audit derelictum,
Plagis cernit lividum,
Misere afflictum ;

Qui fel gustat sitiens,
Et mox exspiravit :
Cujus Cor aperiens
Miles perforavit.

Ad Vesperas.

De Cruce depositum
Mater dolorosa
Planxit Unigenitum
Voce querulosa.

Quem in sinu continens
Hora vesperarum
Tersit plagas abluens
Unda lacrymarum.

Ad Completorium.

Heu, ad completorium
Dedit sepulturæ
Nostram spem et præmium
Gloriæ futuræ :

Hinc ad urbem rediit
Mente consternata,
Surrecturum credidit
Mater desolata.

Digitized by Google

Oblatio.

Horas has canonicas,
Mater Jesu pia,
Atque tuas lacrymas,
Cordis symphonia,

Offerens nunc supplico,
Adstes in agone
Mihi sicut Filio,
Consors sim coronæ. Amen.

HYMNUS TRIGESIMUS TERTIUS

Dolores septem B. V. Mariæ explicans.

Salve, quæ dum Simonem
Audis, Nati Passionem
Sentis, Jesum intuens.
Ejus sauciet nos dolor,
Ardens et transformet amor,
Fac, o Mater diligens. *Ave, Maria.*

Salve, mœrens dum audisti
Meditatam necem Christi,
Fugis in exilium.
Fac spernamus cuncta vana,
Fugiamus et mundana,
Tuum propter Filium. *Ave, Maria.*

Salve, Mater, quæ manentem
Templo Filium docentem
Mœsta quæris triduo.
Jesum fac possideamus,
In pressuris gaudeamus
Constantes perpetuo. *Ave, Maria.*

Salve, Mater, tuo Nato
Capto, cæso, prægravato
Obvians tristissima.
Funditus nos abnegando,
Ejus vitam imitando
Sequi fac vestigia. *Ave, Maria.*

Salve, Christum quæ pendentem
Crucifixum et gementem
Cernis cum tristitia.
Ejus fac nos hic purgari
Pœnis, post mortem beari
Tecum mox in gloria. *Ave, Maria.*

Salve, mortuum quæ Natum
Fodi cernis, hinc locatum
Tuo plangis gremio.
Fac nos tota pœnitere
Mente, Christi pœnas flere
Corde fidelissimo. *Ave, Maria.*

Salve, dolens reliquisti
Hunc sepultum dum vidisti,
Nati pœnas recolens.
Jesum fac nos meditari,
Semper hoc inebriari,
Pia tu nos protegens. *Ave, Maria.*

HYMNUS TRIGESIMUS QUARTUS

Ea quæ B. Deipara Virgo Maria ex Filii Passione per compassionem sustinuit, paucis explicans.

Recordare, Virgo Christi,
Quia hic, quem dilexisti,
Ex te pauper nascitur.

Recordare quia natus,
Et in fœnum reclinatus,
Carne circumciditur.

Recordare Simeonis,
Per quem tuæ passionis
Gladius exprimitur.

Recordare quia eum
Ad perdendum tanquam reum
Herodes persequitur.

Recordare cruciatus,
Cum amissus a te Natus,
A Josepho quæritur.

Recordare quia ductus
In Ægyptum et reductus,
Desertum ingreditur,

Recordare quia lassus
Viis, ventis, imbres passus,
Tentari permittitur,

Recordare Sunamitis,
Æstus, pruinæ, famis, sitis,
Quibus crebro læditur.

Recordare quia plorans,
Sanans, docens et laborans,
A cunctis despicitur.

Recordare quod a cœna
Facta, turba, ira plena,
Traditur et venditur.

Digitized by Google

Recordare quo mœrore,
Quo pavore, quo sudore
Sanguinis perfunditur.

Recordare quo tumultu,
Quibus armis, quo insultu
Nocte comprehenditur.

Recordare quia vinctus,
Tanquam latro ferro cinctus,
A ministris trahitur.

Recordare quia pilis
Ejus vulsis, tanquam vilis
A suis relinquitur.

Recordare quia trusus,
Conculcatus et illusus,
Ter negatus scribitur.

Recordare quia datus
Turbis, ut rex salutatus,
Adoratus legitur.

Recordare, Virgo bona,
Quali serto, qua corona
Caput ejus teritur.

Recordare quod exutus,
Flagellatus et consputus,
Purpura induitur.

Recordare quia veste
Alba lusus inhoneste,
Ab Herode spernitur.

Recordare quia gratus,
Accusatus, adjuratus,
Tandem morti traditur.

Recordare quia terræ
Dominator Crucem ferre
Humeris conspicitur.

Recordare quia trucis
Cum iniquis ligno Crucis
Extensus affigitur.

Recordare quia justus
Condemnatur, et injustus
Barabbas dimittitur.

Recordare quia vermis
Ligni tener et inermis
In ligno erigitur.

Recordare quod invictus
Victor, tanquam maledictus
Sic pendere cernitur.

Recordare quia poris
Ejus ruptis vi doloris,
Cruor largus funditur.

Recordare quanto zelo
Cruor ille tuo velo
Roseus excipitur.

Recordare quia gratum
Corpus ejus denudatum
Per te Mater tegitur.

Recordare quia gentes
Blasphemabant : Vah, dicentes,
Ut quid templum solvitur ?

Recordare quo sermone
Increpatur a latrone,
Sors in vestem mittitur.

Recordare fellis quoque
Et aceti ; nam utroque
Dominus reficitur.

Recordare quo fervore
Eli clamans, in dolore
Se relictum queritur.

Recordare quo tremore
Terræ, templi, cum clamore
Vita mundi moritur,

Recordare quo mœrore
Unda manat et cruore,
Latus ejus foditur.

Recordare quo mucrone
Pro dilecti Passione
Pectus ejus scinditur.

Recordare per quem planctum
Corpus illud sacrosanctum
De Cruce deponitur,

Recordare quo conductu
Quanto fletu atque luctu
Sepulturæ traditur.

Per has ergo, Virgo, suas
Passiones, imo tuas,
Nos emunda sordibus.

Ut felices cicatrices
Christi firmas dent radices,
Nostris fixæ cordibus. Amen.

Digitized by Google

HYMNUS TRIGESIMUS QUINTUS

Gaudia septem corporalia B. V. Mariæ explicans.

Gaude, dulcis Mater Christi,
Virgo Deum concepisti,
Gabriele nuntio :
A peccatis abstinere,
Deo fac nos inhærere
Corde sincerissimo. *Ave, Maria.*

Gaude, quia Deo plena
Peperisti sine pœna
Cum pudoris lilio.
Nostra, quæso, tu sis Mater,
Regat nos cœlestis Pater,
Placeamus Filio. *Ave, Maria.*

Gaude, quia venientes
Nato reges offerentes
Cernis tria munera.
Fidem, spem et charitatem,
Castitatem, mititatem
Nobis dulcis impetra. *Ave, Maria.*

Gaude, quia tui Nati,
Quem videbas mortem pati,
Fulget Resurrectio.
Nobis da contritionis
Fletumque compassionis,
Mundus sit fastidio. *Ave, Maria.*

Gaude, videns tuum Natum
Ascendentem, et stipatum
Sanctis cum tripudio.
Jesum fac nos imitari,
Cœlo mente conversari,
Mites in exilio. *Ave, Maria.*

Gaude, suos quod descendit,
Replet, firmat et accendit
Mundatque Paracletus :
Illo fac nos illustrari,
Regi, pasci, roborari,
Ungi, rapi cœlitus. *Ave, Maria.*

Gaude, quæ post Christum scandis
Et est honor tibi grandis
In cœlesti curia.
Virgo Mater pietatis,
Cunctis munda nos peccatis,
Duc ad cœli gaudia. *Ave, Maria.*

HYMNUS TRIGESIMUS SEXTUS

Gaudia septem ejusdem B. V. Mariæ spiritualia explicans.

Caude, cœtum Angelorum
Quæ transcendis et Sanctorum,
Cunctis gloriosior.
Nostra mens se noscat, spernat,
Fac, sub cunctis se prosternat,
Imis sit humilior. *Ave, Maria.*

Gaude, sedens, Trinitati
Filiique dignitati
Es honore proxima.
Christo fac nos conformari,
Ejus Cruce gloriari,
Sequique vestigia. *Ave, Maria.*

Gaude, mitis et serena,
Nam tu fulges Deo plena,
Cunctis ferens gaudia.
Semper tu nos sic illustra,
Ut nil faciamus frustra,
Deo sed placentia. *Ave, Maria.*

Gaude tu, quam contemplatur
Parens amans, veneratur
Omnis cœli curia.
Plene fac nos abnegemus,
Omnibus obtemperemus,
Mater, tui gratia. *Ave, Maria.*

Gaude, nam his qui te colunt,
Dabit Jesus, quod nunc volunt,
Præmium perpetuum.
Te colamus sic devota
Mente, nostra ut sis tota,
Nostrumque præsidium. *Ave, Maria.*

Gaude, Deo sic conjuncta,
Ut mox assequaris cuncta,
Pia quæ volueris :
Deo nostra preces offer,
Exauditas nobis refer
Tuis sanctis meritis. *Ave, Maria.*

Gaude, quia non cessabunt,
Crescent semper et durabunt
Tua, Mater, gaudia.
Fac in nobis non tepescat,

Digitized by Google

Sed plus fervens semper crescat
Charitas et gratia. Amen. *Ave, M.*

HYMNUS TRIGESIMUS SEPTIMUS

Pius admodum ad B. V. Mariam Christi Matrem, quem Angeli cecinisse coram Virgine auditi sunt.

Castæ Matris ante torum,
Qua lactatur Rex cœlorum,
Attollamus gaudia :

Salve, Virgo, stirps beata,
Fructu cujus instaurata
Rerum sunt primordia.

In salutem præparata
Desperatis spes optata,
Ægris dans remedia.

Juga legis quos premebant,
Ad te vota suspendebant,
Planctus et suspiria.

In tormentis post te flebant,
Te lamentis requirebant
Captivorum agmina.

Templum facta Majestatis,
Pulsos primæ dignitatis
Ducis ad palatia.

Thymiama suavitatis,
Tu odore sanctitatis
Perfudisti secula.

Verbo læta, partu fœta,
Nobis datum profer Natum,
Genitricum gloria.

Omni laude digna, gaude,
Stella maris : sol, quem paris,
Mundum replet gratia.

Stella felix, felix ortus,
Cujus ductu vitæ portus
Patet pulsis patria.

Per te Christus parit pactum,
Cadit hostis, jus confractum,
Mortis silet curia.

Per te salvi te collaudent,
Per te detur, quod non audent
Preces et mens conscia.

Quos reatus lapsos premit,
Tuo Nato, qui jam venit,
Offer et concilia. Amen.

HYMNUS TRIGESIMUS OCTAVUS

Ad eamdem B. Virginem alius pius valde.

Gaude, Regina nobilis,
Virgo incomparabilis,
Rosa rosarum omnium,
Et liliorum lilium.

Gaude, Virgo dulcissima,
Cujus corpus et anima
Singulare miraculum,
Sanctitatis est speculum.

Gaude, cujus eloquia
Sunt sicut mala aurea,
Cujusque motus animi
Vincunt odorem balsami.

Gaude, cujus operibus,
Tanquam stolis regalibus,
Nitet corpus Ecclesiæ,
Vestitur Rex justitiæ.

Gaude, Regina præpotens,
Æterna luce præminens,
Virgo nimis amabilis,
Tota desiderabilis.

Gaude, cœlorum Domina,
O Virgo tu pulcherrima,
Gaude, misericordissima,
Gaude perenni gloria.

Da nobis desiderium
Videndi te et Filium,
Ut nostro desiderio
Vestra jungatur visio. Amen.

HYMNUS TRIGESIMUS NONUS

Ad ejusdem Virginis honorem.

Ave, Virgo gloriosa,
Stella sole clarior,
Mater Dei speciosa,
Favo mellis dulcior.

Rubicunda plusquam rosa,
Lilio candidior,
Pia, mitis, gratiosa,
Nectare suavior.

Digitized by Google

Cunctis gratiis ornata,
Universis sanctior,
Terræ cœloque prælata,
Creaturis altior.

Omnis virtus te decorat,
Angelis es purior,
Omnis sanctus te honorat,
Beatis felicior.

Mille fulges nunc coronis,
Christo tu vicinior,
Nos adorna Nati donis,
Omnium clementior,

Dulcis Mater pietatis,
Pete nobis veniam :
Et purgatos a peccatis
Duc ad cœli patriam. Amen.

HYMNUS QUADRAGESIMUS

Privilegia duodecim gloriosissimæ Virginis Mariæ explicans.

Ave, Mater pietatis,
Et totius Trinitatis
Nobile triclinium,

Ave, tantæ dignitatis,
Ut sis consors Dei Patris.
Potens ad auxilium.

Ave, tui Creatoris
Mater nostri Redemptoris,
Virgo prudentissima.

Ave, Sponsa delicata,
Paracleto consecrata,
Dulcis, clementissima.

Ave, semper Deo grata,
Omni a væ præservata
Cujusvis peccaminis.

Ave, donis illustrata,
Virtutibus adornata,
Cunctis quoque gratiis.

Ave, Virgo peractiva,
Summeque contemplativa,
Omnium sanctissima.

Ave, nostra consalvatrix,
Filii cooperatrix,
Martyr constantissima.

Ave, jam glorificata,
Supra cunctos exaltata
Corpore et anima.

Ave, sceptris et coronis
Fulgens, cunctis Dei donis,
Christo sedens proxima.

Ave, decus Angelorum,
Honor, gaudium Sanctorum,
Universis imperans.

Ave, nostra mediatrix,
Afflictorum consolatrix,
Nostri semper miserans. Amen.

HYMNUS QUADRAGESIMUS PRIMUS

Deprecatorius ad B. Mariam Virginem.

O Maria, Virgo pia,
Mater Dei, cœli via,
Angelorum Domina.

Me conforta, me defende,
Contra hostes manum tende,
Delens quæque vitia.

O Maria, Mater lucis,
Quæ ad lumen nos reducis,
Esto mihi prævia.

Servi tui preces audi,
Et intentum tuæ laudi
Christo reconcilia.

Ora Regem tuum natum,
Ut me multis implicatum
Curis et erroribus,

Mundum reddat a peccatis,
Et infundat veritatis
Lumen meis sensibus.

Cum fervore charitatis
Det amorem paupertatis,
Cor mundum et humile,

Cor contritum, abnegatum,
Rectum, gratum, transformatum,
Patiens et stabile,

Mores pios et jucundos,
Et ab omni sorde mundos,
Quos exornet pietas ;

Appetitum æternorum,

Digitized by Google

Et contemptum mundanorum,
Ubi tanta vanitas.

Et agenda doce nosse,
Velle simul atque posse,
Pro me pia postula.

Ut cum mortis solvam jura,
Me defendas a pressura.
Per æterna secula. Amen.

HYMNUS QUADRAGESIMUS SECUNDUS

Seu Psalterium perbreve, in laudem christiferæ Virginis Mariæ.

Ave, Virgo virginum,
Laus et lux justorum !
Ad te clamat jugiter
Turba populorum.

Nos a malis eripe,
Quos in via morum
Detorquere satagit
Tractus vitiorum.

Ave, torrens gratiæ,
Torrens fontis vivi,
Torrens de quo profluunt
Ubertatis rivi.

Fac ut Deum sitiam
Magis quam sitivi,
Qui per mundi scelera
Currens circumivi.

Ave, nostrum gaudium,
Nostra spes et vita :
Per quam sunt remedia
Ægris impartita.

Generalem generis
Sortem non oblita,
Ad æternæ pabulum
Vitæ nos invita.

Ave, fons clementiæ,
Veniæque vena,
Per quam nobis redditur
Vitæ cantilena.

A peccato libera
Nos et ejus pœna ;
Ad æternæ patriæ
Perduc nos amœna,

Ave, nostri generis
Parens et patrona,
Supra cunctos possidens
Gratiarum bona.

Tuis sanctis precibus
Meritisque dona,
Ne mens nostra solito
Sit in malum prona,

Ave, Virgo, suscipe
Mentis in conclavi
Verba, quibus toties
Veniam rogavi.

Et audito sæpius
Ave tam suavi,
Fac me, quæso, Domina,
Procul a væ gravi. Amen.

Offero verba tibi ter quinquaginta, Maria ;
Hoc breve Psalterium suscipe, Virgo pia.

Suspiratio pia ad Dei Matrem.

Salve, stella maris, quæ cunctis clarior astris,
Hunc geris in gremio, qui Deus est et homo.
Est tuus ipse Pater, es et Virgo sua Mater ;
Fit, qui te fecit, te mediante, caro.
Lucis da copiam cæcis, ægris medicinam,
Contritis veniam, debilibus fer opem.
Aversos revoca, conversis jugiter adsta,
Lætifica mœstos, protege nos miseros.
Te quis flens adiit, qui non animatus abivit?
Imo si peteris, dissimulare nequis.
Quæsumus ergo, tuas famulas Christi rege sponsas,
Ut Sponso placeant, atque fidem teneant.
Cum nudus meritis stem judicis ante tribunal,
Mater sancta Dei, sis memor, oro, mei. Amen.

Digitized by Google

HYMNUS QUADRAGESIMUS TERTIUS

Laudes sanctissimæ Virginis Mariæ miro artificio explicans.

Ave, plena gratia,
Virgo fecundata,
Mundi spes et gloria,
Mater illibata,

Peccatorum venia,
Sponsa consecrata,
Sanctorum lætitia,
Regina beata.

Ave, venerabilis
Mater pietatis,
Mater admirabilis,
Mater sanctitatis,

Flos incomparabilis,
Hortus voluptatis,
Splendor ineffabilis,
Templum Deitatis.

Ave, decus virginum,
Speculum decoris,
Consolatrix omnium,
Vinculum amoris,

Purgatrix peccantium,
Medela languoris,
Verum lumen luminum,
Mater Redemptoris.

Ave, vas clementiæ,
Gratiæ piscina,
Portus indulgentiæ,
Vitæ medicina,

Radix innocentiæ,
Veniam propina,
Sedes sapientiæ,
Cœlica Regina.

Ave, vitæ pabulum,
Fons dilectionis,
Pudoris signaculum,
Vas electionis,

Gloriæ spctaculum,
Rubus visionis,
Fœderis oraculum,
Thronus Salomonis.

O sacra puerpera,
Veniæ lucerna,
Nardus odorifera,
Gratiæ pincerna,

Surge, veni, propera,
Regina superna,
Me Christo confœdera,
Me semper guberna.

Ave, super agmina
Cœli sublimaris,
Angelorum Domina,
Virgo singularis.

Cor meum illumina,
Fulgens stella maris,
Et ab hostis machina
Semper tuearis.

O vitæ remedium,
Puella decora,
Dulce refrigerium
Cœlitus irrora.

Dulcem tuum Filium
Pro me nunc exora,
Et peccatorum omnium
Veniam implora. Amen.

℣. Dulcis amica Dei, rosa vernans atque decora,
℟. Memor esto mei, dum mortis venerit hora.

HYMNUS QUADRAGESIMUS QUARTUS

De S. Joannis Baptistæ ortu, vita, præconio et invocatione.

O Joannes, Verbi præco,
Clausus in utero sacro
Gaudebas in Domino :

Fac nos tibi congaudere,
Simulque tecum videre
Christum sine termino.

Gaude, nam tu nominaris,
Et ut Christus nuntiaris
Ab eodem Angelo :

Tu nos Christo fac conformes,
Sic ut simus deiformes

Digitized by Google

In futuro seculo.

Gaude, nam de te infante
Nato plaudit plebs, ut ante
Gabriel prædixerat :

Post hunc plausum temporalem,
Nobis plausum perennalem
Da, qui cuncta superat.

Gaude, quia fit soluta
Lingua patris prius muta,
Quando circumcideris :

Nostras linguas fac laxari
Nunc per laudem et lætari,
Donec te reddideris.

Gaude, quia prophetavit
De te pater, cum cantavit
Benedictus Dominus :

Christus, a nobis laudetur
Isto cantu, confirmetur
Mundus æger protinus.

Gaude, tenens strictum ritum
Quoad victum et vestitum
Habitator eremi :

Carnis vilis voluptatem
Per sanctam sobrietatem
Fac in nobis reprimi.

Gaude, tantæ sanctitatis,
Quod in mulierum natis
Major te non fuerat :

Tu amice Christi chare,
Nos cum Christo fac regnare,
Qui te talem fecerat.

Gaude, digito monstrasti
Jesum, quem tu baptizasti,
Qui nos emit sanguine :

Tua nos accende prece,
Vitiorum pulsa fæce,
Omnique peccamine. Amen.

HYMNUS QUADRAGESIMUS QUINTUS

S. Joannis Apostoli et Evangelistæ vitam. laudes sanctitatemque succinctim explicans,

Ave, puer magni status,
Qui Joannes es vocatus,
Filius tonitrui.

Zebedæi quidem natus,
Sed a Deo adoptatus
Ejusque conspectui

Moribus et vita gratus,
Et culmen apostolatus
Assecutus ardui :

Esto noster advocatus,
Ne nos superent conatus
Hostium assidui.

Ave, Christi singularis
Cultor, et familiaris
Amoris obsequio.

Qui hoc nomine vocaris,
Gratiæque demonstraris
Magnus privilegio.

Tu virtutibus præclaris,
Et doctrinæ singularis
Præditus eloquio :

Nos in fluctibus amaris
Hujus procellosi maris
Præserva naufragio.

Ave, magni vir affectus,
Qui præ cæteris dilectus
Magis es discipulis ;

Nam in Cœna supra pectus
Jesu cubans es refectus
Fontis vitæ rivulis ;

Quos et postea directus,
Doctor sedulus effectus
Effudisti populis :

Nostros corrige defectus,
Et virtutum da profectus
Semper tuis famulis.

Ave, miri lux splendoris,
Ardens intus atque foris
Jugiter ut facula,

Flamma divini amoris,
Quod et tui probant oris
Amorosa jacula,

Quæ incendium amoris
Præbent nobis et erroris
Auferunt umbracula :

Nos inflamma cunctis horis
Charitate, ne livoris
Deformemur macula.

Digitized by Google

Ave, superos transcendens,
Et ad Deum usque tendens,
Aquila præcognitum.

Cui es in virtute splendens
Sicut sol, in quem intendens
Non lædis intuitum.

Tu qui semper es extendens
Alas tuas et defendens
Pullos per circuitum :

Sis protector condescendens,
Ne disperdat lupus frendens
Gregem tibi subditum.

Ave, flos Apostolorum,
Vitam ducens Angelorum
In hac carne fragili.

Princeps Martyrum sanctorum,
Speculumque Confessorum,
Pastor carens simili ;

Suscitator mortuorum,
Et languores infirmorum
Curans arte nobili :

Ne sis immemor tuorum,
Pie Pater, filiorum
In hoc mundo flebili.

Ave, gratiæ pincerna,
Rigans mentium interna
Sacro verbi poculo.

Quem Christus, virtus superna,
Cura commissa materna,
Crucis in patibulo

Honoravit, in lucerna
Fugans criminum veterna
Corde sub incredulo :

Pietate nos paterna
Culpæ serves a cisterna
In hoc nequam seculo.

Ave, nobilis Propheta,
Cui Dei sunt secreta
Revelata cœlitus.

Verbum vitæ mente læta
Mundo prædicans, repleta
Donis Sancti Spiritus ;

Christi miles et athleta,
Bonitate tu mansueta,
Cuncta vincens penitus :

Fac ut vita mundi spreta
Loca nobis ad quieta
Pateat introitus :

Ave, Paradisi flumen,
Quod replevit cœli Numen
Aquis sapientiæ.

Cujus aqua mentis lumen
Sic delectet, ut acumen
Det intelligentiæ.

Stella spargens grande lumen,
Evangelicum volumen
Dum scribis egregie :

Culpæ dissolve bitumen,
Et nos tandem ad cacumen
Duc cœlestis curiæ. Amen.

HYMNUS QUADRAGESIMUS SEXTUS

Divi Jacobi Apostoli majoris vitam, passionem laudesque summatim explicans.

Gaude, felix Zebedæi,
Nepos alme Matris Dei,
Fruens vita cælibe ;

Jesu Christi consobrine,
Et Joannis uterine
Frater, sancte Jacobe.

Gaude, felix qui vocatus,
Mox fuisti tam paratus
Vana mundi spernere.

Jesum tu transfiguratum
Ipsumque glorificatum
Meruisti cernere.

Gaude, qui ad fidem Christi
Et Philætum convertisti
Simul cum Hermogene.

Turbis Christum nuntiasti
Et reginam visitasti
Lupam re et nomine.

Gaude, Christo valde grate,
Sub Herode decollate
Fidei certamine.

Persequentem te Josiam
Convertisti ad Messiam

Digitized by Google

Divino juvamine.

Gaude, qui per miram sortem
Degustasti prius mortem
Cæteris discipulis;

Qui suspensum formicantem
Liberasti se necantem
Magnis a periculis;

Gaude, spes peregrinorum,
Vera salus viatorum,
Dux itinerantium;

Honor, decus Hispanorum,
Liberator et cunctorum
Tibi famulantium.

Gaude, quia lætabundus
Corpus quærit totus mundus
Pia gratitudine.

Qui post te peregrinamur,
Fac ut tecum perfruamur
Lucis plenitudine. Amen.

HYMNUS QUADRAGESIMUS SEPTIMUS

Divi Georgii militis martyrisque Christi invicti vitam laudesque succinctim explicans.

Salve, Martyr gloriose,
Salve miles pretiose,
Flos Christi militiæ.

O Georgi gratiose,
Germen stirpis generosæ
Gentis Cappadociæ.

Salve, Crucis vexillator,
Et virtute triumphator
Cœlestis signiferi,

Per quem sola regis nata
Est a nece liberata
Draconis pestiferi.

Salve, miles summi Dei,
Per virtutem sanctæ spei
Superans dæmonia.

Tu pro Christo mente læta,
Hujus mundi pompa spreta,
Dispersisti omnia.

Salve, victor in tormentis,
Fide constans veræ mentis
Spreta idololatria.

Post tormenta decollatus,
Es cum sanctis exaltatus
In cœlesti patria.

Salve, Martyr Anglicorum,
Dux et decus bellatorum,
Honor te colentium.

Alme pater præliator,
Sis benignus defensator
In te confidentium.

Ora Christum, Christi chare,
Et Mariam deprecare,
Ut devictis hostibus

Hic possimus triumphare,
Et post mortem conregnare
Tecum in cœlestibus. Amen.

HYMNUS QUADRAGESIMUS OCTAVUS

Sanctissimi Patris Hieronymi vitam, præcellentiam et mira gesta, compendio perstringens.

Tibi cordis in altari,
Magne Deus Adonaï,
Preces decet immolari
Amorem ob Hieronymi.

Qui, ut fragrans cinnamomum,
Doctrinis, vita, moribus,
Tuamque suffulsit domum,
Dum Christum cum laboribus

In Prophetis et Scripturis,
Diversis ex linguagiis,
Obscuratum in figuris
Extraxit suis paginis,

In latino exaratis
Cum omni diligentia,
Approbata veritatis
Fidelium sententia.

O quod meruisti talem
Ecclesia presbyterum,
Hunc habere Cardinalem,
Gaude, plaude et iterum!

Gaude de hoc agonista,
Qui inconcussa facie

Digitized by Google

Semper stetit, ut Baptista,
In pœnitentum acie.

Gyra vitæ ejus spheram,
Rigor, labor, contritio
Fovit hunc ad horam seram
In sacco et cilicio.

Sic sic domus Nazaræna,
Scriptis armis ut jaculis
Hujus sancti, fide plena
Firmatur et miraculis.

Primo sprevit suum gregem
Leo, fit fratrum lignifer,
Pie subit patris legem,
Ferarum rex et signifer.

Multi Satan blasphemantes
Nomen et sanctimoniam,
Ejus dicta nauseantes,
Sunt qui conversi, quoniam

Mortui sunt suscitati
Tres simul ejus sacculo ;
Sed qui sistunt indurati
In hæresis piaculo ;

Hos ad statim Dei manus
Pœnis stravit ultricibus.
Expertus Severianus
Est cum suis complicibus.

Corpus sancti dissepultum
Miram sparsit fragrantiam.
Concurrit gens ad ejus cultum,
Crevit per abundantiam

Dei laus : nam reserata
Charismatum æraria,
Sunt ægra membra tunc sanata
Multa magnaque varia.

Cæci, claudi, surdi, muti,
Obsessi, fide dubii
Sunt optata consecuti,
Cum jubilo tripudii.

Cessit mœror, stupor crevit,
Votivum et incolume
Proverbium hoc inolevit :
Succurre, o Hieronyme !

Numquid sunt abbreviata
Tuæ manus subsidia,
Ut non queas tua grata
Præstare nunc præsidia ?

Absit, cum et virtus mira
Nominis et imaginis
Dæmoni sit pœna dira.
Ergo tuis suffragiis

Nobis adsta, et succursum
Fer in divinis laudibus,
Ut mens sustollatur sursum
Cum jubilosis plausibus.

Sensus preme leoninos,
Nos mites fac et humiles,
Motusque adulterinos
Rogamus ut subtumules,

Prece tua et appare
Angelicis cum cœtibus,
Dum adstamus sacræ aræ,
Corda rigentur fletibus.

Ne, quod absit, sacra mensa
Nobis sit in laqueum,
Amore fides sit accensa
In quodcumque obstaculum.

Eia, gemma monachorum,
Sancte Pater Hieronyme,
Consolatorque mœstorum
Præsenta te ultronee.

Nobis in extremo luctu
Fac Christum exorabilem,
Tuo cernere conductu
Terram desiderabilem. Amen.

HYMNUS QUADRAGESIMUS NONUS

De ejusdem divi Hieronymi præconio et laboribus pro Ecclesia Catholica exantlatis.

Salve, Pater gloriose
Atque multum virtuose,
Amande Hieronyme.

Tua vita et doctrina
Multos traxit ad divina,
Ut liquet clarissime ;

Qui amore Crucifixi
Corpus nimis afflixisti

Digitized by Google

Virtutum operibus.

Die noctu non cessàsti,
Sed abunde laborasti
Pro Christi fidelibus;

Donec ipse te vocaret,
Et perfecte adornaret
Divinis muneribus;

Ubi mundi Creatorem
Semper laudas per amorem
Cum supernis civibus.

Per te ergo dirigamur,
Et amore impleamur
Abluti criminibus.

Ut te duce veniamus,
Et ut semper gaudeamus
In divinis laudibus. Amen.

Divi Brunonis protopatriarchæ Cartusianorum vitam, præconiumque paucis perstringentes, sub nota, *Jesu corona virginum*, concinendi, hymni septem ad Horas canonicas septem.

HYMNUS QUINQUAGESIMUS.

Ad Matutinas.

Exultet cor ex intimis,
Laudem Brunonis concinat,
Quem Deus ab infimis
Supra æthera collocat.

Hunc inclyta Germania
Ut jubar solis protulit,
Quod nobili Colonia
Luce clara emicuit.

Sed et apud Parisios
Scientia imbutus est :
Ubi cunctos egregios
Doctores supergressus est.

Erat nam arca mystica
In se diversa continens,
Divina philosophia
Diserte omnes instruens.

Paulinas in Epistolas
Præclara commentaria,
Psalmorum quoque glossulas
Edidit cum industria.

Trino Tonanti gloria
Sit, qui Brunonem inclytum
Posita carnis sarcina
Provexit ad empyreum. Amen.

HYMNUS QUINQUAGESIMUS PRIMUS.

Ad Primam.

Probitatis simulacrum
Hic fuisse dignoscitur,
Virtutisque spectaculum,
Quare vere recolitur.

Clamabat quam honorifice
Doctor magnus e feretro :
Damnatus sum æquissime
Justo Dei judicio.

Fiebat plebs attonita,
Simul ac Bruno nobilis,
Qui tactus pœnitentia,
Secessit cum sex sociis.

Confortabatur gradiens
Voce sic eremicolæ :
En elongavi fugiens,
Mansi in solitudine.

Palæstram Cartusiacam
Athleta fortis adiit.
Verum mundanam gloriam
Prius ex corde respuit.

Trino Tonanti etc.

HYMNUS QUINQUAGESIMUS SECUNDUS.

Ad Tertiam.

Septem stellis ductricibus,
Quas præsul Hugo viderat,
Præsagio in montibus
Bruno cum suis properat.

Hic quam suavis Dominus,
Quam dulcis pœnitentia,
Pater iste piissimus
Novit experientia.

Hunc patrem ac sex socios
Mariæ sancta otia,
Per excessus theoricos,
Traxere ad sublimia.

Digitized by Google

Ordinarunt hi regulam
Magnæ tum arctitudinis,
Discretam ac præcipuam
Præ multis mundi regulis.

Bruno datus magnificus
Cartusianis signifer,
Patriarcha mirificus
His præfuit salubriter.

Trino Tonanti etc.

HYMNUS QUINQUAGESIMUS TERTIUS.

Ad Sextam.

Architectus industrius
Domum bene ædificat,
Quam prudens et justissimus
Supra Christum consolidat.

Cavernam petræ posuit
Nidulum Jesu vulnera,
In his totum se abdidit,
Ut in arce tutissima.

Oliva ut fructifera
In domo Dei pullulat,
Unguenta salutifera
Fiebant quod hinc stillulat.

Romana spreta curia,
Relictis et honoribus,
Secedens in Calabria
Sacris pollebat moribus.

Ducis canes venatici
Dum hæsere vestigio,
Monstrant, quod Patris inclyti
Secreta foret mansio.

Trino Tonanti etc.

HYMNUS QUINQUAGESIMUS QUARTUS.

Ad Nonam.

Hunc ducem ab insidiis
Mortalibus eripuit,
Cum quibus in periculis
Foret, per visum docuit.

Ab hoc turris construitur
Cartusiana alia,
Donariis instruitur
Ducis munificentia.

Hic degens Pater missitat
Scripta primos ad filios,
Quos pie per hæc incitat
Ad affectus mirificos.

Pater Bruno dulcissimus
Cartusiani Ordinis,
Doctor luculentissimus,
Discretus, magni nominis.

Is suavi eloquio
Causa salutis exstitit
Multis, quorum consortio
Meritum sibi addidit.

Trino Tonanti etc.

HYMNUS QUINQUAGESIMUS QUINTUS.

Ad Vesperas.

Egit de Eucharistia
Sermonem fidelissimum.
Quam mente purgatissima
Desumpsit in viaticum.

Demum Bruno sanctissimus,
Soluto mortis debito,
Tendit velut dignissimus
Ad cœlum grandi merito.

Efficax testimonium
Dedere ejus plurimi
Probitatis, post obitum
Formam scribentes rotuli.

Quo sepulto, miracula
Docent ac fons qui oritur,
Quod Bruno hic in patria
Perenni fonte pascitur.

Eia, Pater dulcissime,
Spes suspirantis animæ,
Ut vivamus rectissime,
Normam virtutis imbue.

Trino Tonanti etc.

HYMNUS QUINQUAGESIMUS SEXTUS.

Ad Completorium.

O pastor pio oculo
Gregem tuum considera,
Renuntiantem seculo
Teque sequentem adjuva.

Digitized by Google

Doce tuos clientulos
Religionis tramitem,
Spirituque fac fervidos,
Ut bene servent Ordinem.

Tua sancta vestigia
Ac calles pœnitentiæ,
Virtutum bona studia
Da sectari continue.

Ut quando Judex omnium
Venturus est in nubibus
Judicare hoc seculum,
Collocemur cum ovibus.

Ac sic post has miserias,
Ut sequaces legitimos
Supra sedes sidereas
Provehas tibi deditos.

Trino Tonanti gloria
Sit, qui Brunonem inclytum,
Posita carnis sarcina,
Provexit ad empyreum. Amen.

HYMNUS QUINQUAGESIMUS SEPTIMUS

Divi Hugonis Cartusiani, Episcopi Lincolniensis, laudes summatim explicans.

Sub nota : *Exultet cœlum laudibus* ; vel, *Jesu corona virginum.*

Exultet nunc devotio,
Sanctorum chorus jubilet
Eremique religio,
Hugo, tibi tripudiet.

Tu mundum puer respuis,
Tu fervens Christum diligis,
Cartusiam te recipis,
Sacri decus es Ordinis.

Tu sacerdotum gloria,
Tu Monachorum claritas,
Te gens elegit Anglica,
Ut Præsul salves animas.

Tu regibus victoria,
Tyrannis eras malleus.
Nam tristium miseria
Cor tuum torsit funditus.

Te castitatis gloria
Pudicum cingit virginem,
Te Præsulum aureola
Doctorem ornat vigilem.

Te chorus tenet Martyrum,
Qui nudis stas sub ensibus,
Dum minas rides hostium,
Opponens te crudelibus.

Sic execraris munera,
Quo Christo mundus viveres,
Regum spernens convivia
Ut sepelires pauperes.

O Pater beatissime,
A Christo nobis impetra,
Ut semper devotissime
Ejus vivamus gratia. Amen.

HYMNUS QUINQUAGESIMUS OCTAVUS

De Eodem alius sub nota, *A solis ortu* ; aut, *Audi, benigne Conditor.*

Jesu, Rex clementissime,
Quod innocenter vivere
Hugoni das sanctissimo,
Te laudo teque prædico.

Devotas ago gratias
Quod vicit has miserias,
Tibi quod hic servierit,
Te colensque dilexerit.

Securus ad te graditur
Quod lætus te nunc fruitur,
Sacro vestitus lumine,
Et tuo fulgens numine.

Hugo, Pater sanctissime,
Delictis meis obtine
A Deo, quæso, veniam,
Et ejus auge gratiam.

Sit per te mihi venia,
Post Christum tu spes unica,
A Deo detur gratia,
Et impetretur gloria.

Tuum guberna filium,
Me castum fac et strenuum,
Fortem mitemque, fervidum
In Dei beneplacitum. Amen.

Digitized by Google

HYMNUS QUINQUAGESIMUS NONUS

Beatissimæ Annæ Deiparæ Virginis Mariæ genitricis laudes sanctitatemque obiter perstringens.

Ave, felix mater Anna
Christi Matris, per quam manna
Sion manat filiæ;

Dum Mariam peperisti,
Quam ut manna tribuisti
Justorum Ecclesiæ.

Anna pia mater, ave,
Cujus nomen est suave,
Anna sonat gratiam.

Ave, Jesse radix floris,
Qui cœlestis dat odoris
Perennem fragrantiam.

Ave, parens stellæ maris,
Quam tu nuptam contemplaris
Regis regum Filio.

Ave, gemma mulierum,
Clarum sidus, lux dierum,
Alto fulgens solio.

Tu quæ sola meruisti
Esse parens Matris Christi,
Preces nostras suscipe.

Tu nos Matri atque Proli,
Regi ac Reginæ Proli
Commendare satage. Amen.

HYMNUS SEXAGESIMUS

De eadem sanctissima Anna matre Deiparæ Virginis.

Ave, Anna veneranda!
Cujus ex historia
Patet, quantum honoranda
Sis pro tua gloria:
Digneque solemnizanda
Celebri memoria.

Viris tribus dum nupsisti
Omnibus legaliter,
Tres Marias genuisti
Sanctas specialiter:
Fitque prima Mater Christi,
Sanctior totaliter;

Etenim conceptionis
Dum ferres obstaculum,
Venit Angelus de thronis
Ad te post oraculum:
Sanctæ generationis
Nuntians miraculum.

Ait namque te fecundam
Foreque fructiferam,
Et Mariam oriundam
Ex te salutiferam:
Quam tu concepisti mundam
Futuram Christiferam.

Nata hæc ut sidus clarum
Fuit ex te filia,
Et ut sol ac flos rosarum
Cadens super lilia;
In quo superas cunctarum
Matrum tanta millia.

Nam sic mater Matris Dei
Es et Christi avia,
Per quem summæ requiei
Suscepisti bravia:
Ubi Sancti psallunt ei
Cantica suavia.

Ad quem canimus Hosanna,
Deo sit laudatio,
Cum quo regnat sancta Anna,
Cujus supplicatio
Faciat nos pasci manna
In cœli palatio. Amen.

Hymni septem de sancta Maria Magdelena, qui ad septem possent legi meditarive Horas canonicas, aut ab operantibus in silentio suaviter et modeste cani.

HYMNUS SEXAGESIMUS PRIMUS.

Ad Matutinas.

Jesu, rex amantissime,
Deus misericordiæ,
Tu dator omnis gratiæ,
Collator es et gloriæ.

Christe, qui cuncta dirigis,
Qui Magdalenam respicis,
Et misereri statuis,
Quam cum non esset diligis.

Digitized by Google

Cor hujus clam tu vulneras,
Ungis, mutas, inebrias,
Ut delictorum tædeat
Malorumque pœniteat.

Dum nescit, capis laqueo,
Trahis, ut in convivio
Amaras fundat lacrymas,
Tibi cupitas epulas.

Ad pedes flentem recipis,
Excusas hanc et protegis,
Laudas, et cunctis debitis
Tu liberam mox efficis.

O pietas mirabilis,
Dulcedo non effabilis,
Nam reos morte liberas,
Amas et non improperas.

Ad hoc tu namque veneras,
Ut quæras quod amiseras,
Et non ut mundum judices,
Sed mundum ut illumines.

Et quam est hoc mirabile,
Jesum suos diligere,
Tutari quod erraverat,
Salvare quod perierat?

Natura tibi convenit,
Quod nemo tibi surripit,
Ut parcas et sis miserans,
Pius, amans et liberans.

Nam quid fons potest gratiæ,
Aut vena quid clementiæ,
Dare quam cunctis veniam,
Quos suscipis ad gratiam?

Aut dulcis cur tu charitas,
Nos haud amares bonitas,
Qui nihil es quam pietas,
Adoptans nos quos congregas?

Tibi sit laus, qui veniam
Mariæ das et gratiam,
Patri cum Sancto Spiritu,
Qui nos salves in exitu. Amen.

HYMNUS SEXAGESIMUS SECUNDUS.

Ad Primam.

O TER beatam feminam,
Quæ delictorum veniam
Ad Jesu pedes recipis:
Nam gratiam tunc invenis.

De mundo post nil placuit,
Nam tibi totum viluit,
Tibi mox fit fastidio,
Quod erat desiderio.

O felix hæc mutatio,
Divinaque dignatio,
Quæ replebaris vitiis,
Es Dei plena gratiis.

Quam gratulor, o domina,
Tibi pro magna gratia,
Qua possides nunc optimum
Amicum fidelissimum.

Adhæres huic ut filia,
Amore fervens ebria,
Te solus totam possidet,
Tuum cor sibi retinet.

Hic tibi Sponsus unicus,
Venustus, suavissimus,
Amantem te non deserens,
Et sibi junctam uniens.

Me tepida conversio,
Heu frigida devotio
Ex ore Jesu projicit,
Et gratia destituit,

Quamobrem, clementissima,
Mihi tu Jesum impetra,
Ejus amore ferveam,
Illique totus placeam.

Tibi sit laus, qui veniam
Mariæ das et gratiam,
Patri cum Sancto Spiritu,
Qui nos salves in exitu. Amen.

HYMNUS SEXAGESIMUS TERTIUS.

Ad Tertiam.

O PŒNITENDI speculum,
Exemplar nobis unicum,
Tu post dilectum clamitas,
In hujus cor insinuas.

Si tibi sunt deliciæ,
Jesu, dicis, in homine,

Digitized by Google

En me, nam tui langueo
Amore, nec te desero.

Te mihi nil est charius,
Te Jesu nil suavius,
Te prædicantem prosequor,
Tuis verbis reficior.

Me licet soror increpet,
Aut Pharisæus murmuret,
Unum est necessarium :
Hoc eligo quod optimum.

O Magdalena splendida,
O mater, nobis impetra
Nunc delictorum veniam,
Jugemque Dei gratiam.

Sit hic plena contritio,
Veraque sit dilectio,
Sit mox post vitæ terminum
Cœleste nobis gaudium.

Tibi sit laus, qui veniam
Mariæ das et gratiam.
Patri cum Sancto Spiritu,
Qui nos salves in exitu. Amen.

HYMNUS SEXAGESIMUS QUARTUS.

Ad Sextam.

Æterni Patris Unice
Nos pio vultu respice,
Qui Magdalenam libere
Vocas ad thronum gratiæ.

Nam hæc est illa Maria,
Ex qua septem dæmonia,
Dum flet, tu pius ejicis,
In ejus cor te imprimis.

Erraverat ovicula,
Redit orans pro venia,
Et vetustatem exuit,
Nam sponsa fore meruit.

Ex vase contumeliæ,
Vas reformasti gratiæ,
Quam cernis plenam vitiis,
Tuis imples deliciis,

Ex hoste fit discipula,
Ex nigra mox fit candida,
Placet quæ fuit sordida :
Hæc, Christe, tua est gratia.

Per hanc ad spem nos erigis,
Qui pœnitentem suscipis,
Misericors tu prodigæ
Pater occurris filiæ.

Jesu, dulce refugium,
Spes vera pœnitentium,
Per Magdalenæ meritum
Nostrum tu solve debitum.

In nobis mundus pereat,
Sed amor tui hæreat,
Ut nostrum post exilium
Tuum intremus gaudium.

Tibi sit laus, qui veniam
Mariæ das et gratiam,
Patri cum Sancto Spiritu,
Qui nos salves in exitu. Amen.

HYMNUS SEXAGESIMUS QUINTUS.

Ad Nonam.

Dum amor tuus patitur,
Jesus dum crucifigitur,
Tu amica compateris,
A Cruce nec te dividis.

Te plagæ Christi vulnerant,
Ejus dolores sauciant,
Quæ multis eras tristior,
Apostolis constantior.

Non sufficit compassio,
Minor tibi devotio
Videtur, ni perunxeris
Sepultumque dilexeris.

At magno replet gaudio
Te, quem dolebas nimio
Mœrore, dum te visitat,
Se redivivum indicat.

Pia mater et humilis,
Memor naturæ fragilis,
In hujus vitæ fluctibus
Nos tuis rege precibus.

Tibi sit laus, qui veniam
Mariæ das et gloriam,

Digitized by Google

Cum Patre et Sancto Spiritu,
Jesu, nos salva in exitu. Amen.

HYMNUS SEXAGESIMUS SEXTUS.

Ad Vesperas.

O MULIER sanctissima,
O sponsa Christi candida,
Huic consecras te subito,
Abstraxit qui te seculo

In specum ibas fervida,
Amore Jesu languida,
Annis triginta absconderis,
Pasta cibis angelicis.

Deserti fers incommoda,
Et septies in æthera
Quovis die sustolleris,
Cœli fovenda gaudiis.

O Magdalena, filium
Ex lubrico castissimum
Fac, ut peccata defleam,
Amore Jesu langueam.

Tibi sit laus, qui veniam
Mariæ das et gratiam,
Patri cum Sancto Spiritu,
Qui nos salves in exitu. Amen.

HYMNUS SEXAGESIMUS SEPTIMUS.

Ad Completorium.

SACRO sumpto Viatico
Migrabas ex hoc seculo,
Quam Angelorum agmina
Ad cœli ducunt gaudia.

Nunc esto memor miseri,
O mater, tui servuli,
Me fac a malis eripi,
Et a peccato corrigi.

Delicti quidquid insidet,
Quod in me tibi displicet,
Mihi, mater, amoveas,
Christo me purum offeras.

Me fac in pœnitentia
Tua sequi vestigia,
Ut Deo totus placeam,
Hunc extra nihil diligam.

Fac ut purgatus moriar,
Per Christi mortem consequar
Et peccatorum veniam
Et plenam cœli gloriam.

Tibi sit laus, qui gratiam
Mariæ das et gloriam,
Patri cum Sancto Spiritu,
Qui nos salves in exitu. Amen.

Antiphona.

O SPECULUM pœnitentiæ, o exemplar continentiæ, o monumentum divinæ misericordiæ, quæ subito ex vase contumeliæ in vas mutata es gratiæ, ut quomodo in te abundaverat delictum, abundaret et gratia. Esto nobis, o pia mater Magdalena, ante Christum interventrix nunc et in mortis hora, quoniam post Dei Matrem non facile ditiorem meritis nec pleniorem gratiis, quam te, nec perfectiorem sanctitate, nec gloria invenimus sublimiorem.

Versus.

Jesu dulcis et formose,
Animam qui speciosæ
Magdalenæ attraxisti,
Quam de fœce subtraxisti :
Adsit tua gratia.

Responsorium.

Fac amore vulneratos
Ejus filios nos gratos,
Pia ut compunctione
Tuique dilectione
Accendamur fervida.

Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui beatam Mariam Magdalenam, olim peccatricem sed pœnitentem, ex inferni faucibus ereptam, omnibus peccatis mundatam, tui amore ebriam, cunctis et gratiis et virtutibus plenam, tibi in sponsam eligere dignatus es : da nobis, quæsumus, ut per tua merita, perque ejusdem sanctissimæ tuæ amatricis intercessionem, ab omnibus peccatis sic perfecte mereamur purgari, et tui dilectione ferventissima perpetuaque comburi.

Digitized by Google

Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

HYMNUS SEXAGESIMUS OCTAVUS

De sanctissima Barbara regina, virgine et martyre sponsaque Christi.

Ave, martyr gloriosa,
Barbaraque generosa,
Paradisi vernans rosa,
Castitatis lilium.

Ave, virgo pulchra tota,
Charitatis fonte lota,
Dulcis, mitis et devota,
Vas virtutum omnium.

Ave, criminis ignara,
Sponsum audis voce clara :
Veni, pulchra, veni, chara,
Veni, coronaberis.

Ave, Barbara serena,
Pulchra quasi luna plena,
Singulari cantilena
Sponsum agnum sequeris.

Ave, Barbara beata,
Quæ cum sponso præparata
Nuptiarum adoptata
Transivisti gaudia.

Ave, fulgens margarita,
In corona Jesu sita,
Tam in morte quam in vita
Sis mihi propitia. Amen.

HYMNUS SEXAGESIMUS NONUS

Divæ Barbaræ reginæ, virginis, martyris sponsæque Christi Jesu, martyrium et encomium paucis explicans.

℣ Beata nobis gaudia
Dat Barbaræ martyrium,
Quam traxit ad cœlestia
Deus creator omnium.

℟ Ad cœnam agni providi
Invitaris, qua resides
Agno junguntur nobili,
Quocumque pergit, virgines.

℣ Rerum Creator optime,
Per eam te testificas
In turris terno lumine,
O lux beata Trinitas.

℟ Beata cujus brachiis
Saxa tacta obediunt,
Dum ejus manu imprimis
Vexilla regis prodeunt.

℣ Aurea luce cœlitus
Virgo ducitur carcere,
Plagæ curantur penitus,
Jam lucis orto sidere.

℟ Rex Christe clementissime,
Hæc passa te magnificat,
Audita benignissime
Vox vocans eam intonat.

℣ Audi, benigne Conditor,
Per eam hic nos protegens,
Æternæ sis vitæ dator,
Verbum supremum prodiens. Amen.

HYMNUS SEPTUAGESIMUS

Ejusdem sacræ virginis et martyris sanctitatem gaudiaque obiter explicans.

Gaude, cultrix Trinitatis,
Sacræ templum castitatis,
O Barbara beata.

Gaude tu quod despexisti
Patrem, ac mundum vicisti
In fide decorata.

Gaude quod Deus mulctavit
Illum, qui te accusavit
Ex voce reprobata.

Gaude quod pro fide Christi
Flagella sustinuisti,
Virtutibus ornata.

Gaude quod te confortavit
Christus, ac tuas curavit
Plagas, virgo sacrata.

Gaude quod obtinuisti
Quæ a Deo poposcisti,
Ab ipso adamata.

Gaude quia mente pura
Deum cernis gavisura,

Digitized by Google

Cum sanctis coronata.

Veniam nobis implora,
Barbara, virgo decora,
A Christo honorata. Amen.

HYMNUS SEPTUAGESIMUS PRIMUS

Divæ Catharinæ virginis, martyris sponsæque Jesu Christi, vitam, laudes, sanctitatemque obiter enucleans.

Charismatis Dei cella,
Virginalis tu puella,
Digne appellaberis.

Amorosa, veneranda,
Virtuosa, sublimanda,
Juste prædicaberis.

Trinitatis insignita
Diva luce margarita,
Martyr virgo regia.

Honestate gratiosa,
Castitate gloriosa
Formaque egregia.

Ab amore es electa,
Summa morum es perfecta,
Plena sapientia.

Regi regum desponsata,
Piis cunctis multum grata,
Prædita clementia.

Insignis tu generosa,
Atque nimis speciosa,
Candens velut lilium.

Nobis Patrem fac placatum,
Sacrum Flamen, Dei Natum,
Virginis et Filium.

Ad superna Dei dona,
Ac æterna cœli bona
Duc nos, decus virginum. Amen.

HYMNUS SEPTUAGESIMUS SECUNDUS

Divæ Cæciliæ virginis ac martyris vitam laudesque explicans.

Ave, virgo gloriosa,
Toti mundo gaudiosa,
Beata tu Cæcilia,

Rubens sicut florens rosa,
Tota dulcis et formosa,
Candore vincens lilia,

Digna, nata es Romana,
Docta lege christiana
Ab ipsis jam cunabulis.

Corde verba Christi sana
Gerens ut salutis grana,
Despectis mundi fabulis.

Diu sæpe jejunasti,
Veste dura castigasti
Tuum corpus femineum.

Deum semper exorasti,
Cunctis Sanctis commendasti
Tuum decus virgineum.

Matri Christi plus æquata,
Valde multis es prælata
Sponsis in hoc articulo.

Nempe viro desponsata,
Manes tamen virgo grata
In lecto, in cubiculo.

Qui attendunt diligenter,
Admirantur vehementer,
Talem in te gratiam,

Quod tam caute, sic prudenter,
Superasti innocenter
Sævi sponsi audaciam.

Duos sponsos habuisti,
Quorum mater tu fuisti,
Terrenum atque cœlicum.

Unum fide concepisti,
Alteri hunc indidisti
Per verbum evangelicum.

O argumentosa apis,
Quæ sunt Dei bene sapis,
In mel mutas fel mentium.

Multos ab inferno rapis
Quos ad fidem Christi capis;
Es mater et egentium.

O salvatrix animarum,
Fortis, victrix et pœnarum,
Novum grande signaculum.

Tam pulchrarum coronarum,

Digitized by Google

Paradiso ablatarum,
Angelico miraculo.

O electa institutrix,
Sis fidelis prolocutrix
Contra hostem nequissimum.

Sis in morte mea tutrix,
Fortis mea tunc adjutrix,
Ad Sponsum duc clarissimum.
Amen.

HYMNUS SEPTUAGESIMUS TERTIUS

De Sancta Agnete virgine, martyre et sponsa Christi, cantandus sub nota : *Pange lingua.*

Agnes, virgo gloriosa,
Christi sponsa nobilis,
Vernans Paradisi rosa,
Casta, mitis, humilis,
Prudens, dulcis et formosa,
Cunctis es amabilis.

Ibas virgo speciosa,
Moribus cultissima,
Et redibas gratiosa
A scholis doctissima.
Amabaris generosa,
A proco castissima.

Annis minor, sensu cana,
Mundi luxum respuis.
Corde casto, mente sana,
Christum colens diligis,
Hinc promissa proci vana
Tu pudica renuis.

Nam gemmarum hic splendorem,
Muneraque præbuit.
Christi tu sed ob amorem
Dum hæc spernis, gemuit
Tristis, candidum quod florem,
Habere te non potuit.

Dulcem, inquis, amatorem,
Qui me totum possidet,
Habeo, cujus decorem,
Qui me semper recreet,
Video, quo mens amorem
Tuum mea nauseat.

Ejus virtus infinita,
Omnibus potentior;
Et venustas expolita,
Cunctis sapientior;
Cujus mihi nunc cupita
Est charitas dulcior.

Hic me fecit, qui creavit
Cuncta, meque conspicit,
Hic me regit, hic amavit,
Fovet, meque reficit,
Me cruore suo lavit,
Ad se vocat, suscipit.

Quanto tulit graviora
Hic pro me piissimus,
Tanto mihi dulciora
Sunt, quæ jubet optimus;
Et quæ dat sunt chariora,
Aut quæ vult dulcissimus.

Instat præses suum natum
Conjugem accipias,
Christum reneges amatum;
Utque fidem deseras,
Aut invita mox scortatum
Lupanar introeas.

Sponsus, inquis, generosus,
Opibus et gloria,
Mihi est deliciosus,
Qui sua potentia
Vincet te, meque formosus
Sua fovet gratia.

Meum semper hunc beati
Sponsum laudant Spiritus,
Tremunt dæmones damnati,
Nostra colit servitus ;
Sed æternus, o non grati,
Manet vos interitus.

Infer plagas, fac quod facis,
Ovans cuncta sufferam ;
Est mihi Servator pacis,
Quo plus quam tu valeam :
Cernes hostis ut fallacis
Minas teque rideam.

Tuam nudat castitatem
Præses, sed mox lumine
Vestit sponsus honestatem,
Stolæque munimine :
Procique sed iniquitatem
Sacro punit Numine.

Digitized by Google

Plectit namque sævientem
Mors, dum te vult tangere,
Angelus, pro quo te flente,
Nisus est erigere;
Tua prece resurgentem
Studes patri reddere.

Scandis rogum mox cremanda,
Tu cœlestis victima :
Ignis fugit ab amanda
Agna te mitissima :
Hic illæsa, sed necanda
Ensis es sævitia.

Jam ad Sponsi nuptiarum
Perducta convivium,
Memor esto lacrymarum
Mundi, quas exilium
Parit nobis, ut amarum
Non feramus exitium. Amen.

Hymnum sequentem P. Lanspergius videtur mutuasse ex aliquo veteri codice ms. nesciens cui esset adscribendus, aut certe post Lanspergii mortem Collector operum et hymnorum istorum. Nunc autem reperitur sub nomine B. Hermanni Steinfeldensis Ordinis Præmonstratensis, quem Josephum cognominare solent.

HYMNUS SEPTUAGESIMUS QUARTUS

Undecim millium Virginum martyrum Christi, martyrium, laudes beatitudinemque breviter explicans.

O VERNANTES Christi rosæ
Supra modum speciosæ,
O ridentes margaritæ
Diligenter exquisitæ,
Eleganter expolitæ,
Advenite, me audite,
In servum me suscipite.

Ego pauper precor talis,
Ut sim vester specialis,
Vestri fruens in amore ;
Vestro fiat cum favore,
Dum exoro vel honoro,
Gratum sit in vestro choro,
Et vicem piam reddite.

O puellæ, o agnellæ,
Charæ Christi columbellæ,
Sine dolo, sine felle,
Cœli stellæ, cœli cellæ,
Jubilate purpuratæ,
Coronatæ conregnate
Cum agno innocentiæ.

O quam estis vos securæ,
Deo semper fruituræ,
Cum quo estis permansuræ,
Nunquam eo carituræ,
Quem videtis, quem tenetis,
Qui vos ulnis stringit lætis,
Serena ridens facie.

O reginæ puellares
Passione sancta pares,
Deo vos familiares,
Prædilectæ, singulares ;
Nunc florete, nunc gaudete,
Semper novæ, semper lætæ,
Festivum chorum ducite.

O jucundæ philomenæ,
Quarum turmæ sunt undenæ
Sponsæ Dei Deo plenæ,
Decantate laudem bene
Virginales per choreas,
Et cœlestes per plateas
Jucundum carmen dicite.

Date voces in sublimi,
Angelorum chori primi
Locum dantes admirentur,
Jucundantes collætentur :
Vestram novam melodiam,
Inauditam harmoniam
Auscultet sancta Trinitas.

O dilectæ consorores,
Quarum nunquam marcent flores,
Ipse sibi vos prævidit,
Qui de mundo vos præscidit,
Vos elegit, vos collegit,
Et in sertum sibi fregit
Pulcherrima Divinitas.

Te, o turba generosa,
Præit illa florens rosa,
Sola rosa principalis,
Nec est ibi rosa talis,
Quæ sit sibi coæqualis,

Digitized by Google

Mater tota curialis,
Quæ tulit cœli Dominum.

Ipsa est dilecta mea,
Vos præcedens in chorea,
Cujus nomen et persona
Sua lucet in corona;
Quam inscripsit Deus Pater,
Hæc est illa Jesu Mater,
Maria Virgo virginum.

Hæc vos præit cum honore,
Suo trahens vos odore,
Ferens signum vexillare,
Modulatur vobis clare
Per floreta, per roseta,
Promit vobis carmen læta,
Cantantes subsequimini.

Summas voces Angelorum,
Omne melos musicorum,
Hæc suprema philomena
Sua vincit cantilena;
Quam sequentes condecenter,
Diligenter et ardenter,
Dilectum contemplamini.

Dulcis Sponsus, qui vos amat,
Qui de throno ad vos clamat:
O dilectæ, o sodales,
Sponsæ meæ speciales,
Me videte, me habete,
Memetipsum possidete,
Sentite, perfruimini.

Per meipsum vos complector,
Et in vobis condelector,
O felices, o victrices,
Charæ meæ dilectrices,
Vester ego sum et ero,
Quem amastis corde vero,
Me Sponsum osculamini.

Ad hanc vocem, o athletæ,
Lætas aures adhibete,
Quid decantet peraudite,
Et post Agnum mitem ite,
Novis stolis decoratæ,
Post Dilectum ambulate
Canentes cum tripudio.

HYMNUS SEPTUAGESIMUS QUINTUS.

Responsio virginum ac martyrum earumdem.

Eia modo jubilemus,
Laudem Deo decantemus,
Qui a mundo nos protexit,
Et de mundo nos transvexit,
Nos de terris adunavit,
Et in cœlis coronavit,
Nos implens omni gaudio.

Exultemus et lætemur,
Et cum Agno jucundemur,
Delectemur, epulemur,
Novo cantu modulemur:
Hic est annus jubilæus;
O quam dulcis es tu Deus,
Post te ardenter currimus.

Æstuantes præ amore
Nos consperge dulci rore,
Sponse noster præelecte,
Trahe nos post te dilecte,
Te sitimus, te sentimus,
In Cor tuum omnes imus,
De vena vitæ bibimus.

In te omnes commoramur,
Te in nobis amplexamur,
Vultum tuum contemplamur,
Et nos satis admiramur
Quod de te non satiamur,
Nec amando fatigamur,
Excedis enim omnia.

Tibi laudem cum Maria,
Quæ nos duxit in hac via,
Nostro damus Salvatori,
Pro quo dulce fuit mori,
Qui amasti, qui juvisti,
Qui ad te nos pertraxisti,
Sit tibi laus et gloria. Amen.

HYMNUS SEPTUAGESIMUS SEXTUS

De omnibus sanctis Apostolis, Evangelistis et Discipulis Domini.

Ave, benigne Domine,
Quem omnes sancti Apostoli

Digitized by Google

Relicto mundo libere
Secuti sunt discipuli.

O Petre cœli claviger,
Et Paule doctor gentium,
Absolvite totaliter
Nexus nostrorum criminum.

Andreas, major Jacobus
Nos cum Joanne virgine
Juvent et Thomas Dydimus
Suffragiis assidue.

Bartholomæus deprecans
Sit cum Matthæo jugiter
Pro nobis, atque supplicans
Simon cum Juda pariter.

Matthias atque Barnabas,
Lucas et Marcus sedule
Fundant preces continuas
Pro nobis omni tempore.

Nobis Maria regia
Sit Magdalena Dominum
Placans, quæ est apostola
Apostolorum omnium.

Silas cum Apostolis
Ac viri evangelici
Cum cæteris discipulis
Orent pro nobis singuli.

Apostolorum Domino
Sit honor, laus et gloria
Cum Patre et Paracleto
In sempiterna secula. Amen.

℣. Constitues eos Principes super omnem terram;

℟. Memores erunt nominis tui, Domine.

Oratio.

Domine Jesu Christe, ut possimus, omnium sanctorum Apostolorum et Evangelistarum atque Discipulorum tuorum imitatione, vestigia tua subsequi, da eorum intercessione ad hoc nos adjuvari: quatenus cuncta terrena despicere, et tantummodo cœlestia diligere, atque tibi soli Deo vero valeamus jugiter inhærere. Qui vivis etc.

HYMNUS SEPTUAGESIMUS SEPTIMUS

De omnibus sanctis Martyribus.

Ave, benigne Domine,
Qui es corona Martyrum,
Per quorum preces vincere
Da nobis bella dæmonum.

O bellatores Domini,
Pro quo fudistis sanguinem,
Orate nobis tribui
Pugnandi fortitudinem.

Suspensi in patibulo,
Combustique in ignibus,
Precemini pro populo,
Cum submersis in fluctibus.

Qui estis pelle propria
Exuti per martyrium,
Transfixique per latera,
Placate nobis Dominum.

Truncatique capitibus
Et fracti toto corpore,
Percussique lapidibus,
Pro nobis intercedite.

Orent pro nobis Martyres
Cum precibus assiduis,
Quorum carnes carnifices
Dilaniabant ungulis.

Honor, decus, imperium
Ac virtus et victoria
Sit Christo Regi Martyrum
Per infinita secula. Amen.

℣. Justorum animæ in manu Dei sunt;

℟. Et non tanget illos tormentum mortis.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui omnes sanctos Martyres fortes in resistendo, ac patientes in sustinendo, cognovimus, ipsos semper pro nobis, ut tales simus, intercedere sentiamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat, etc.

Digitized by Google

HYMNUS SEPTUAGESIMUS OCTAVUS.

De omnibus sanctis Confessoribus.

Ave, benigne Domine,
Qui sanctis Confessoribus
Inspiras intercedere
Pro nobis peccatoribus.

Vos Sedis apostolicæ
Papæ cum Cardinalibus,
Ab omnibus nos solvite
Peccatis et criminibus.

Doctores et Pontifices,
Sacratique Presbyteri,
Fundendo preces supplices
Pro nobis deprecemini.

Abbatesque cum Monachis
Atque Archidiaconi
Cum universis Clericis
Poscant salutem populi.

Vos sancti Solitarii
Cum Eremitis omnibus,
Nostrorum recordemini
Vestris sanctis in precibus.

O Confessores singuli,
Pro nobis intercedite,
Ut mereamur ingredi
Regnum cœlestis patriæ.

Sit Confessorum Domino
Laus, honor, virtus, gloria,
Cum Patre et Paracleto
In sempiterna secula. Amen.

℣. Gloriosus Deus in Sanctis suis;
℟. Mirabilis in majestate sua.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos omnium sanctorum Confessorum tuorum confessionibus gloriosis circumdas et protegis, da nobis et eorum imitatione proficere, et eorum intercessione vitam istam in confessione vera consummare. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

HYMNUS SEPTUAGESIMUS NONUS.

De omnibus sanctis Virginibus, Martyribus et Continentibus.

Ave, benigne Domine,
Qui es sanctarum Virginum
Amator castimoniæ,
Et Sponsus Continentium.

Vos Abbatissas quæsumus
Votrices continentiæ
Cum cunctis Monialibus,
Pro nobis intercedite.

Vos castitate candidæ,
Martyrizatæ Virgines,
Et sanguine purpureæ,
Estote nostri memores.

Florentes velut lilia
Candore cum virgineo,
Effundite suffragia
Pro nobis coram Domino.

Et vos puellæ cæteræ,
Sitis pro nobis supplices,
Quæ velut rosæ rubeæ
Floretis Christi Martyres.

Vos continentes feminæ,
Viventes more turturis,
Pro nobis preces fundite,
Cum nuptis atque viduis.

Sit laus Mariæ Filio,
Sponso sanctarum Virginum,
Cum Patre et Paracleto
Regnanti in perpetuum. Amen.

℣. Adducentur Regi virgines post eam;
℟. Proximæ ejus afferentur tibi.

Oratio.

Deus, amator castimoniæ et semper osor nequitiæ, qui concupiscis decorem pulchritudinis virgineæ, da ut beatissimæ semper Virginis Mariæ et omnium sanctarum Virginum tuarum intercedentibus meritis, virtutum repleti copiis, castitate polleamus mentis et corporis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum

Digitized by Google

vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

HYMNUS OCTOGESIMUS

Supplicatorius piusque admodum ad cunctorum Sanctorum ordines.

Deus Pater, qui creasti
Mundum et illuminasti,
Suscipe me pœnitentem,
Et illustra meam mentem.

Fili Dei, Jesu Christe,
Ad te venit reus iste ;
Qui cœli sedes in arce,
Supplicanti mihi parce.

Sancte Spiritus, tuorum
Consolator miserorum,
Respice me peccatorem,
Infundens tuum amorem.

Deus, Unitas superna
Trinitasque sempiterna,
Ut intendam tuæ laudi,
Meos gemitus exaudi.

Dei Genitrix Maria,
Virgo clemens atque pia,
Ora pro me peccatore
Natum sine genitore.

O Maria Deo chara,
Stella lucens et præclara,
Confer mihi charitatem
Castam et humilitatem.

Fac me tibi deservire,
Et vitam in te finire,
Ut per te justificari
Æque possim et salvari.

Michael victor draconis,
Impietatem prædonis,
Volentis mihi nocere,
Fac omnino nil valere.

Gabriel nuntie Christi,
Cujus ortum prædixisti,
Obsecro, mihi dignare
Mortem meam nuntiare.

Raphael medicamentum
Salutis atque fomentum,
Medere meo languori,
Ut sim gratus Salvatori.

O vos omnes Angelorum
Conventus sanctissimorum,
Precor me custodiatis,
Et ad vitam perducatis.

O Joannes præco Regis,
Primus testis novæ Legis,
Fac ut parem viam Christi,
Quam docere voluisti.

O celsi Patriarcharum
Ordines et Prophetarum,
Apud cœli Regem Christum
Excusate reum istum.

Signifer Apostolorum,
Petre, Princeps cæterorum,
Dilue mea peccata
Potestate tibi data.

Paule Doctor veritatis,
Lux totius claritatis,
In me, si placet, intende,
Et auxilium impende.

Joannes Christi dilecte,
Ejus aurem mihi flecte,
Ut audiat meas preces
Diluens immundas fæces.

Andreas Crucis amator,
Sanctitatis prædicator,
Ut laborem non in vanum
Laboranti præsta manum.

O sancte Dei Jacobe,
A cunctis malis munda me,
Ut possim placere Christo,
In cujus conspectu sisto.

Apostoli Jesu Christi,
Cui credo vos assisti,
A malo me liberate,
Et in bono conservate.

Stephane culmen amoris,
Primus testis Salvatoris,
Adjuva me laborantem,
Qui vidisti Christum stantem.

Laurenti fortis athleta,
Qui cœlorum vides læta,

Digitized by Google

Confirma me in virtute,
Ut non priver a salute.

Vincenti strenue miles,
Qui de Christo nunquam siles,
Auxilium mihi præsta :
Non me turbet mors infesta.

O vos omnes gloriosi
Martyres et pretiosi,
Adjuvate me captivum,
Et sanate semivivum.

Martine gemma Pastorum,
Lucerna Catholicorum,
Tibi supplico, dignare
Pro me Deum exorare.

Nicolae vir fidelis,
Tu præpollens es in cœlis ;
Sicut fulges Deitate,
Sic inaudita pietate.

Sanctissime Benedicte,
Gregis Dei dux invicte,
Perduc me ad vitam rectam,
Regionem et electam.

Omnes sancti Confessores,
Legis Dei defensores,
Adjuvate me sequentem,
In via deficientem.

O Maria Magdalena,
Pietate Dei plena,
Summo Regi me præsenta,
Cui servis tam intenta.

Sancta Martyr Catharina,
Præfulgens Christi doctrina,
Deprecare Sponsum tuum,
Ne me damnet servum suum.

Agnes virgo gloriosa,
Fulgens atque pretiosa,
Flecte mihi Salvatorem,
Pro quo fudisti cruorem.

Omnes Virgines beatæ,
Regi magno copulatæ,
Offerte me, quæso, Sponso,
Cum venero in absconso.

Domine Jesu, tuorum
Propter merita Sanctorum,
Ut sim totus mundus corde,
Munda me ab omni sorde.

Da gratiam in præsenti,
Da veniam pœnitenti,
Da gloriam in futuro,
Ut sit mihi pax securo.

Omnes in te baptizatos,
Per peccatum inquinatos
Perduc ad confessionem,
Et confer remissionem.

Requiem æternam cunctis
Da fidelibus defunctis,
Ne damnentur in fornace,
Requiescant sed in pace. Amen.

HYMNUS OCTOGESIMUS PRIMUS

Exhortatorius ad pœnitentiam.

Vilis homo materiæ,
Surge de mortis tumulo ;
Dum spes est adhuc veniæ,
Te subtrahe periculo.

Excutere de pulvere,
Dum opus est remedio :
Dum licet comprehendere,
Surge, curre pro bravio.

Malorum reminiscere,
Viam quærens in invio,
Ad patriam revertere
Cum pœnitenti filio.

Responsio peccatoris pœnitentis.

Me terra, cœlum, maria
Cunctaque mecum plangant ;
Et charitatis viscera
Tua me, Deus, tangant.

Confessio.

Heu, quam offendi graviter :
Quem pius tolerabas,
Viventem infeliciter
Amando revocabas.

Dijudicatio.

Si judicare debeam,
Pater, me criminosum,

Digitized by Google

In tartarum dejiciam
Juste me tenebrosum.

Damnatio.

Heu, flere non sufficio,
Nec pati pro peccatis;
In te nunc me projicio,
Tu veniam da gratis.

Supplicatio.

Reus ad te confugio,
Parce tu miserator;
Defendas, sanes, obsecro,
A malis, o Salvator. Amen.

HYMNUS OCTOGESIMUS SECUNDUS

Perfectionis vitæ christianæ summam breviter complectens.

Gratiarum actio.

Deus amabilissime,
Creator amantissime,
Redemptor benignissime,
Amator fidelissime;

O gloriosa Trinitas,
O summa simplex Deitas,
Pater, Fili, Paraclete,
O Ens omnis essentiæ,

Laus, honor, virtus, gloria
Tibi per te sit maxima,
Et per creata omnia
In sempiterna secula.

Oblatio bonorum Dei.

Pater nos creans, nutriens;
Sponse redimens, dirigens;
Amator parcens, eruens,
Vocans, dotans, suscipiens :

Tibi pure reoffero
Bona, quæ abs te habeo,
Dans bonitati gloriam,
Unde manarunt, intimam.

Te pure quæram, sitiam,
Semper præsentem timeam,
Cogitem, laudem, prædicem,
Benedicam, glorificem.

Sui humiliatio.

Deus meus et omnia,
Ego abyssus misera,
Nihil sum, nihil habeo,
Nihil præter te cupio.

Ego cadaver putridum,
Cibus ignis et vermium,
Repletus immunditia,
Moriens in angustia.

Te precor miserabilis,
Ingratus, execrabilis,
Et merum nihil, o Deus,
Esto mihi propitius.

Pro contritione.

Ah, culpas meas doleo,
Immenso desiderio,
Supra omne dolebile,
Petens peccata plangere,

Confiteri, cognoscere
Tibique satisfacere
Quovis gravi sub onere,
Ad nutum tuum fervide.

Fac me lacrymis fluere
Amoris, pœnitentiæ,
Pro meis et Ecclesiæ
Culpis flere continue.

Pro venia.

Jesu, tua potentia,
Sapienti clementia,
Meritis tui spiritus
Ardentis, animæ tristis,

Transfixi Cordis, corporis
Vulnerum, mortis, sanguinis;
Precibus Matris Virginis,
Sanctorumque suffragiis,

Commissa dele crimina,
Omissa supple debita,
Heu, heu, heu, nimis gravia,
Horrida, multa, varia.

Pro sui perfecta emendatione.

Averte me a vitiis,
Creaturis et commodis,

Digitized by Google

Supra omne odibile,
Optans peccata fugere.

Naturæ, mundi, dæmonis
Fac me motus cum laqueis
Intelligere, vincere,
Et ad mortem resistere.

Tuum amorem, tristitias,
Vulnera, pœnas, lacrymas,
Sanguinem cum virtutibus
Meis inscribe sensibus.

Pro virtutibus christiformibus.

Sapiens, amans, lugubris
Sim, justus, fortis, humilis,
Te Crucifixum induens,
Compatiens, commoriens.

In Corde tuo maneam,
Teque in me custodiam,
Præsentem credens, diligens,
Nudus, purus, languens, fervens.

Tuo transfixus jaculo
Fac ardeam perpetuo,
Uniri tibi sitiam,
Semper gratias referam.

Pro perfecta charitate.

Totis viribus animæ
Ad te me peto vertere,
Supra omne amabile
Amore te diligere

Nudo, puro, humillimo,
Vehementi, piissimo,
Acuto, forti, saucio,
Transformativo, maximo.

Qui quævis pro te linquere.
Me cogat, pati, facere,
Voluntate promptissima
Nunc et per cuncta secula.

Pro resignatione voluntatis nostræ in Dei beneplacitum.

Me totum in te rapias,
Tam libere possideas,
Ut ante ævum poteras,
Tu quævis per me facias.

Fac te nunquam impediam;
Cor, linguam, sensus corrigam,
Nulli rei adhæream,
Ad nihilum me redigam.

Dum datur ut inveniam,
Quæram per violentiam,
Ut tibi semper placeam,
Obediam, adhæream.

Renovatio propositi.

Jesu, per tuum meritum
In te me fac absconditum,
Fac mundum meum spiritum,
Amore, laude cœlicum.

Animam tristem, sauciam,
Justam, clementem, intimam,
Cor mite, pauper, humile
Da, te quærens purissime;

Corpus castum, cruciferum,
Cum custodia sensuum:
Te laudem totis viribus,
Sitiam corde saucius.

Sim misericors proximis,
Mortificem me funditus,
Ut tu possis quiescere
In me, regnare, vivere.

Pro Ecclesia et commissis.

Jesu, tibi, qui diligis,
Sit laus quod cuncta tribuis,
Nos munda, juva miseros,
Da pacem, salva mortuos.

Miserere Ecclesiæ
Nunc desolatæ, miseræ;
Nobis nostrisque omnibus
Male et benefactoribus,

Justis, tentatis, miseris,
Afflictis, reis, impiis;
Vivos a culpis libera,
Purga, perlustra, vulnera.

Status collapsos subleva,
Omnes Ordines renova,
Defunctos tuis expia
Meritis, et glorifica.

Digitized by Google

Pro felici morte.

Fac ad cœlos nos gemere,
Superna semper quærere,
Fastidire vilissima
Præsentis vitæ commoda.

Omnis nostra spiratio
Sit simplex resignatio;
At omnis respiratio;
Sit fervens obsecratio.

Fac nos mori humillime,
Cuncta nosque relinquere,
Patientes mitissime,
Ex amore decedere.

Ad hæc nos coge, percute,
Hic ure, seca, perfice,
Illumina, humilia,
Transforma jugi gratia.

Ad vulnera Domini Jesu et omnes Sanctos.

Ad tua, Jesu, vulnera,
Mariæ Matris merita,
Sanctorumque suffragia
Nostra confugit anima,

Bonis omnibus vacua,
Malis multis obnoxia,
Solam misericordiam
Petens et eleemosynam.

Tuus amor fortissimus,
Tuus dolor acerrimus
Morientes nos muniat,
A cunctis malis redimat;

Mundo faciat mortuos,
Tui sitientissimos,
Exeuntes hinc gaudia
Nos ducat ad cœlestia.

O Pater, Creator et Redemptor amantissime, mi Domine Jesu Christe, in manus tuas commendo spiritum meum.

HYMNUS OCTOGESIMUS TERTIUS.

Aspirationes ignitissimæ pro divino ac unitivo amore.

O Majestas altissima,
Æterna Sapientia,
Charitas ardentissima,
O mea salus unica!

Utinam cuncta fastidiam,
Et extra te nil sentiam,
Te puro corde diligam,
Intus stringens possideam.

Utinam mea anima
Sit tibi sponsa placita,
Quam tu semper inhabites,
Hancque tibi incorpores.

Amoris me vis penetret
Ignita, totum occupet,
Exurens me purificet,
Transformans et inebriet.

O vita meæ animæ,
Mihi semper præsens intime,
Totum meum refugium
Et omne desiderium.

Quando sic ad me venies
Ut vires omnes ordines,
Purges, perlustres, vulneres,
Transformes et inhabites?

Animam totam unias,
Cum viribus absorbeas,
Cuncta libenter abnego
Teque solum desidero.

Ad hæc me tibi tribuo,
Libere totum offero,
Simpliciter promptissimum
Ad tuum beneplacitum.

Fac mundum plene deseram,
A meipso deficiam,
Phantasias abjiciam,
Tibi semper adhæream.

Nuda intelligentia,
Voluntate, memoria
Te pure quæram, sitiam,
Semper præsentem sentiam,

Cogitem, laudem, prædicem,
Benedicam, glorificem,
Humilis, ardens maximo
Charitatis incendio.

Digitized by Google

Amoris forte vinculum,
Quod te vicit Altissimum,
In te me liget intime,
Nec sinat extrovertere;

Me tuo beneplacito
Uniat absque medio,
Conformetque plenissime
Morti tuæ sanctissimæ.

Quantum tibi placabile
Et mihi sit possibile,
Nunc antequam de corpore
Animam velis tollere,

Fac mundo totus moriar,
Purgatus tecum uniar,
Egrediens hinc, gaudia
Mox ducar ad cœlestia. Amen.

Digitized by Google

Digitized by Google

PASSIO

DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI

JUXTA QUATUOR EVANGELISTAS

Digitized by Google

Tractatus sequens in editione Coloniæ 1548 reperitur.

Digitized by Google

PASSIO

DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI

JUXTA QUATUOR EVANGELISTARUM NARRATIONEM COMPENDIOSE ELUCIDATA.

CHRISTUS passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus. I. Petri II.

Charissimi fratres, adest illa dies tristitiæ, dies lacrymarum et mœroris, qua Deus Pater, justissimus judex, peccata nostra humeris Filii sui imposita vindicavit, punivit et delevit, dies in qua Jesus Christus Dei Filius passus est pro nobis. De qua quidem Passione aliquid exhortari exigit communis institutio Ecclesiæ, ipsaque ratio fidei christianæ. Nam qui hodie Passionem Christi non recolit, vel legendo, vel prædicando, vel audiendo, non verus censebitur christianus, quia suo piissimo Redemptori nimis invenitur ingratus. Quare exhortans nos sanctus Petrus apostolus, gratitudinisque nos admonens, dicit : Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum. Quæ verba, duo nobis consideranda præfigunt : primo, Passionem Christi pro nobis exhibitam ; secundo, doctrinam regulamque bene vivendi. Pro declaratione igitur, quomodo scilicet Christus passus sit, volo breviter charitati vestræ historiam Passionis ejus a quatuor Evangelistis descriptam recitare, interserendo modica, vel ad intellectum in vobis informandum lucidiorem, vel affectum excitandum devotiorem. Deinde curabo, quantum Dominus dederit, virtutum exempla in eadem Passione relucentia vobis manifestare.

Quum Jesus Christus, Dei et Virginis Filius, annum ageret trigesimum quartum, post multos prædicationis et itinerationis labores, post varia signa et beneficia sanitatum, dum fama ejus ubique divulgaretur, et populus ad eum undique concurreret, et honorem ei exhiberet, Judæi invidia succensi, non potuerunt hoc æquanimiter tolerare, sed quærentes omnibus modis si possent famam ejus denigrare, cum nullam invenirent contra eum occasionem, conspiraverunt in mortem ejus, ut occiderent eum. Appropinquante igitur illo tempore, quo Dominus Jesus se voluit immolare hostiam vivam et acceptabilissimam Patri, diebus tribus præcedentibus, continuæ institit prædicationi, a mane usque ad vesperum jejunus, quia nemo audebat eum recipere in hospitium, propter metum Judæorum.

Quinta igitur feria, priusquam Judas vendiderat eum, die præcedenti ivit in Jerusalem, et comedit Pascha cum discipulis suis, secundum ritum legalem, dehinc depositis vestibus et pallio, præcinctus linteo lavit pedes singulorum, extersit et osculatus est. Et quum recubuisset iterum, dedit omnibus Corpus suum et Sanguinem in sui memoriam, instituitque pariter faciendum usque in consummationem seculi, in Passionis suæ memoriam. Exhinc longum fecit sermonem, plenum com-

Digitized by Google

punctione et dulcedine, et deinde, *hymno dicto*, quem nos gratias dicimus post cœnam, *egressus Jesus Jerusalem, ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum ;* quia in illo monte consueverat orare, et per hanc viam ibat frequenter in Bethaniam, *trans torrentem Cedron, in villam cui nomen Gethsemani.* Inter montem Sion (ad quem civitas Jerusalem ædificata erat) et montem Olivarum erat vallis, per quam currebat torrens, dictus Cedron, quia cedrus copiose ibi crescebat. In hac valle erat quædam planities, ubi erat villa, et post illam hortus seu prædium. Ad hunc hortum ingressus est Jesus.

Sequitur : *Secuti sunt autem et eum discipuli ejus. Sciebat enim et Judas, qui tradebat eum, locum ;* propterea illum locum elegit Jesus, ut posset inveniri : *quia frequenter convenerat Jesus illuc cum discipulis suis. Et dixit eis,* scilicet octo discipulis, quia Judas aberat, et tres secum accipiebat : *Sedete hic,* scilicet *donec vadam illuc,* scilicet in hortum ulterius, *et orem. Et assumpto Petro et duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari et mœstus esse, pavere et tædere. Tunc ait illis : Tristis est anima mea usque ad mortem ;* id est, tanta est, quanta potest esse in homine vivente, ita quod præter mortem non posset esse major. Causam hujus tristitiæ postea vobis dicam. *Sustinete hic, et vigilate mecum. Et ipse avulsus est ab eis. Et progressus pusillum, quantum jactus est lapidis, procidit in faciem suam super terram.* Notate quam humiliter orat et solus. *Et orabat ut, si fieri posset, transiret ab eo hora.* Quid sit hoc sequentia exponunt.

Sequitur : *Et dixit : Abba mi Pater, si possibile est,* ut nihilominus genus humanum liberetur et salvetur, *omnia possibilia sunt tibi,* id est, si vis, potes alio modo liberare genus humanum, quam per Passionem meam, *transfer hunc calicem.* scilicet Passionis, *a me.* Per hæc verba non debetis intelligere, quod Christus fuerit involuntarius ad patiendum, quia ipse sciebat quod voluntas Patris erat diffinita, et ipse ad hoc venerat, et hoc idem volebat quod pateretur. Sed dixit hoc, ad ostendendam veritatem humanitatis, qua secundum sensualitatem (ut omnibus naturale est) timebat mortem, quam tamen affectabat et volebat secundum rationem. Unde subjunxit : *Verumtamen non sicut ego volo,* secundum scilicet sensualitatem, *sed sicut tu,* quia ego idem volo quod tu. Sed ad hoc quod dixit : Omnia possibilia sunt tibi, notandum est, non fuisse impossibile Deo simpliciter, quin potuisset alio modo hominem salvare, scilicet vel condonando delictum omnino, vel aliter, sicut sibi placuisset, tamen nullus modus fuit ita conveniens pro humani generis redemptione, sicut per viam vel modum satisfactionis, id est, in patiendo pro nobis.

Sequitur : *Et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dixit Petro sic : Simon, non potuisti una hora vigilare mecum?* Quasi dicat : Quomodo paratus es mecum intrare in carcerem et pro me mori, sicut ante jam promisisti ? Dehinc quod sequitur dixit ad omnes : *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem,* id est, ut non succumbatis, et capiamini in tentatione. *Spiritus quidem promptus est,* scilicet ad moriendum pro me, *caro autem infirma,* sicut bene ostenditis dormiendo. *Iterum secundo abiit, et oravit eumdem sermonem dicens : Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Dominus Jesus fuit exauditus in oratione sua, non secundum illam partem, qua petebat transire calicem, sed secundum hoc, quod dixit, fiat voluntas tua, quia etiam sua voluntas erat secundum rationem et desiderium ut pateretur.

Et venit iterum et invenit eos dormientes. Erant enim oculi eorum gravati, et ignorabant quid responderent ei, scilicet quia verecundabantur. Notate tamen quantum dilexit pius Magister discipulos suos, quos tam diligenter pieque visitat et revisitat, interrumpens propter hoc tam seriam orationem. Sequitur : *Et relictis illis, iterum abiit et oravit eumdem sermonem,* scilicet

Digitized by Google

ut prius. *Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum.* Quod Christus confortatur, hoc conveniebat ei ratione humanitatis, quia natura divina non indigebat confortari. *Et factus in agonia prolixius orabat.* Iste agon inde proveniebat, quia secundum sensualitatem humanæ naturæ, quæ tenerrima et delicata erat, maxime horrebat mortem, et immanes cruciatus pœnarum : quæ omnia sibi futura, et jam instantia imaginando prævidebat, et tamen secundum rationem maxime desiderabat mortem, propter humanam redemptionem, et ita sustinebat gravissimam pugnam intra se, quod in tali pavore et angustia sanguinem sudavit per omnes partes corporis sui, non in parva copia.

Unde sequitur : *Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Et cum surrexisset ab oratione, et venisset ad discipulos suos, invenit eos dormientes præ tristitia. Et ait illis : Quid dormitis ?* scilicet in tali periculo et in absentia mea. Et quia viderat eos se non posse continere, pius Dominus compatitur eis, dicens : *Dormite jam, et requiescite,* quasi dicat : Ecce ego manebo vobiscum, vigilans et custodiens vos. Quum itaque paululum dormiissent, excitavit eos, dicens : *Sufficit : Ecce appropinquabit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite eamus;* hoc dixit ad illos tres, scilicet Simonem, Joannem et Jacobum.

Dehinc etiam ad alios octo veniens, qui separatim quiescebant, dicit eis : *Ecce qui me tradet prope est. Et adhuc eo loquente, ecce Judas Iscariotes unus ex duodecim, cum accepisset cohortem,* id est, quingentos viros armatos cum tribuno, quoniam illis præsidebat, *et a pontificibus et pharisæis ministros, venit illuc cum laternis et facibus et armis, cum gladiis et fustibus.* Judas accepit a gentibus, a potestate Romanorum armatos viros secum, et etiam a Judæis, ut ex utraque parte munitum nemo auderet invadere, nemo resistere. *Dederat autem traditor eis signum, dicens : Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, et ducite caute.* Hoc dixit Judas propter Jacobum, qui erat similis Jesu, ut vix posset ab eo discerni, et maxime a Romanis. *Jesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit,* scilicet eis obviam. *Qui dixit eis : Quem quæritis ? Responderunt ei : Jesum Nazarenum.* Secundum voluntatem Domini Jesu oculi eorum tenebantur ut non solum non poterant eum comprehendere, sed nec agnoscere : imo et Judas, qui erat familiaris ejus, non agnovit Jesum pro tunc, ut Dominus ostenderet voluntariam esse Passionem suam, et quod potuisset, si voluisset, discedere ab eis.

Sequitur : *Dixit eis Jesus : Ego sum;* quasi dicat: Quid est opus ut me quæratis cum laternis, cum ego sponte me vobis offero? *Stabat autem Judas, qui tradebat eum, cum ipsis. Ut ergo dixit Jesus : Ego sum, abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram.* Licet Dominus hæc lenissima voce diceret, tamen non potuerunt sustinere virtutem et vim hujus verbi, quia credendum est, quod simul cum verbo radius quidam igneus procedebat de illius vultu. Hoc autem faciebat Dominus Jesus, ut viso hoc miraculo, potentiam ipsius agnoscerent, et quod nulla arma valerent contra eum, quando simplici verbo sic potuit hostes prosternere : et ut inde occasionem acciperent, si vellent, se convertendi. Sed hic notandum est, si Christus uno verbo sic prostravit inimicos, quando fuit judicandus, quid faciet, quum venerit judicaturus ? Si hoc verbum, ego sum, ita valens erat, quam terribile erit illud tonitruum, quando dicet : Discedite a me maledicti in ignem æternum ! Quum itaque ad parvam moram jacuissent super terram, et ipse dedisset eis facultatem resurgendi, adhuc non cognoverunt eum. *Matth.* XXV, 41.

Iterum interrogavit eos : Quem quæritis? Responderunt ei : Jesum Nazarenum. Respondit Jesus : Dixi vobis, quia ego sum. Si ergo me quæritis, sinite hos abire, scilicet discipulos meos, *ut impleretur sermo quem*

Digitized by Google

dixit, scilicet ante in sermone post cœnam: *Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Hic jam acceperunt potestatem sive licentiam in eum, quia dedit se agnosci, et permisit se capi. Ideo sequitur : *Et Judas confestim accedens ad Jesum, dixit : Ave, Rabbi; et osculatus est eum.* Videte quomodo perfidus ille traditor putabat Dominum latere iniquam simulationem, et quod Dominus videns signa dilectionis per osculum, non intelligeret fraudem et malitiam versuti cordis ejus. Sed Dominus bene novit. Unde respondit ei ad signum falsum, quod monstrabat exterius, et etiam detegebat ei internum sceleratæ conscientiæ facinus, dicens : *Amice,* sic enim te simulas, *ad quid venisti?* Quasi diceret : Putas ut non videam cor tuum ? *Juda, osculo Filium hominis tradis?* Hoc dixit Jesus leniter, ut posset reverti ad pœnitentiam.

Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, scilicet quod vellent irruere in Jesum, *dixerunt ei: Domine, si percutimus gladio? Respondens autem Jesus ait: Sinite usque huc,* ut compleant voluntatem suam. Sed antequam hæc Dominus eis respondit, *Petrus,* quia erat pro Domino zelosus, non potuit exspectare responsum ; *habens gladium eduxit eum, et percussit pontificis servum, et amputavit auriculam ejus dextram. Erat autem servo nomen Malchus.* Ille erat furiosior et promptior ad capiendum Dominum, ideo Petrus percussit eum, et tamen ictus non secundum voluntatem Petri proveniebat, quia voluisset ipsum et cæteros, si potuisset, per medium secare. *Dixit ergo Jesus Petro : Mitte gladium tuum in vaginam, omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum? An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi plus quam duodecim legiones Angelorum?* Legio continet sex millia sexcentos sexaginta sex. Duodecim legiones faciunt septuaginta novem millia, noningentos et nonaginta duos. Legitur autem IV. *Reg.* XIX, 35. in quarto libro Regum, quod unus Angelus descendens in castris Assyriorum, percussit una nocte centum octoginta millia robustorum.

Sequitur : *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ?* scilicet quibus prædictum est humanum genus redimendum Passione mea, quia sic oportet fieri. *Et quum tetigisset auriculam ejus sanavit eum.* Notate miram benevolentiam Jesu in hostes suos, et nimiam crudelitatem et obcæcationem inimicorum, quod ex hoc signo non credideruntur. *Dixit autem Jesus ad eos, qui venerant ad se, principes sacerdotum et magistratus templi et seniores;* illi non venerant in propria persona, sed miserant servos suos, et quia totum hoc gerebatur ex consilio et voluntate eorum, ideo Evangelista sic narrat, quasi fuissent præsentes, aut forte aliqui ex illis etiam advenerant, cæteris in domo Caiphæ exspectantibus : *Tanquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me, cum quotidie fuerim vobiscum in templo, et sedebam docens, et non me tenuistis. Sed hæc est hora vestra et potestas tenebrarum. Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur Scripturæ Prophetarum. Tunc cohors et tribunus manus injecerunt in Jesum, et tenentes ligaverunt eum.* O charissimi, quomodo putatis manus injecerunt in eum ? Unus trahebat eum crinibus, alius eum barba, alius trudebat, alius trahebat, alius percutiebat pugno, alius malleo, cum clamore multo blasphemantes eum, cum strepitu armorum. Et sic, ut creditur, projiciebant eum ad terram, et manus post tergum sicut latroni ligabant.

Sequitur : *Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.* Hoc faciebat Domino non parvam tristitiam. *Adolescens autem quidam sequebatur eum, amictus sindone super nudo,* scilicet corpore. Quidam fuisse dicunt Joannem, alii Jacobum, alii juvenem ex domo ubi cœnaverat Jesus ; *et tenuerunt eum. Et ille relicta sindone nudus profugit ab eis.* Hoc factum est in via quando duxerunt Jesum ligatum versus Jerusalem. Unde sequitur : *Et adduxerunt eum,* scilicet Jesum, *ad Annam primum*

Digitized by Google

propter reverentiam ejus. Unde sequitur : *Erat enim socer Caiphæ, qui,* scilicet Caiphas, *erat pontifex anni illius. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Judæis, quia expedit unum hominem mori pro populo ;* hoc consilium dederat in sabbato ante Dominicam Passionis, quando concluserunt Judæi inter se Dominum interficere.

Joann. XI, 50.

Sequebatur autem Jesum Simon Petrus et alius discipulus, scilicet Joannes. *Discipulus autem ille erat notus pontifici, et introivit in atrium principis cum Jesu.* Causa notitiæ erat forsitan, quia pisces illuc portaverat pontifici, eo quod pater suus erat piscator. *Petrus autem stabat ad ostium foris,* quia erat incognitus. *Exivit ergo alius discipulus, qui erat notus pontifici, et dixit ostiariæ, et introduxit Petrum. Stabant autem servi et ministri ad prunas, quia frigus erat, et calefaciebant se. Erat autem cum eis Petrus calefaciens se. Dixit ergo ancilla ostiaria summi sacerdotis, cum vidisset Petrum calefacientem se, sedentem ad lumen : Numquid et tu ex discipulis es hominis istius? Et hic cum illo erat.* Hoc dixit ad circumsedentes, quia notavit Petrum timidum. *At ille negavit illum coram omnibus, dicens : Mulier, non sum. Non novi illum, neque scio, neque novi quid dicas. Et exivit foras ante atrium, et gallus cantavit. Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis et de doctrina ejus.* Interrogavit, si posset aliquid audire, quo caperet Jesum in sermone, ut accusaret eum. Sed Dominus Jesus nihil respondit de discipulis, quia fugerant a se, et ideo tacebat, præbens nobis exemplum, ut si de proximis non scimus bona dicere, debeamus etiam a malis tacere. De doctrina vero respondit, ut sequitur :

Matth. IV, 21.

Respondit ei Jesus : Ego palam locutus sum mundo. Ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt, quæ locutus sum ipsis ; quia libentius credis illis quam mihi. *Ecce hi sciunt quid dixerim ego. Hæc cum dixisset, unus assistens ministrorum, dedit alapam Jesu, dicens : Sic respondes pontifici?* Ille minister accepit verba Jesu, quasi injuriose et superbe dicta contra pontificem, et quasi Dominus notasset Annam de stulta interrogatione, et ideo ad complacendum domino suo dedit mitissimo agno Jesu durissimam alapam. Scribitur, et pie creditur, quod ille servus habebat manum indutam chirotheca ferrea, et tam valide percussit, quod Dominus cecidit ad terram, et sanguis ebullivit per nares ejus. O nequissime serve, si tu scires quis est, quem sic percutis ! O bone Jesu, te hanc alapam solam sustinuisse, ob dignitatem personæ tuæ immensam, sufficeret ad salutem totius humani generis. Cum itaque surrexisset a terra, post alapam receptam, *respondit ei Jesus : Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem bene, quid me cædis? Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem. At illi,* scilicet impii apparitores, *tenentes Jesum, duxerunt illum ad Caipham principem sacerdotum, ubi Scribæ, Seniores et Pharisæi convenerant.*

Petrus autem sequebatur eum a longe, usque in atrium principis sacerdotum. Jam semel negaverat Jesum, sed tum tenebatur adhuc amore aliquo et compassione erga eum. *Et ingressus intro, sedebat cum ministris, ut videret finem. Accenso autem igne in medio atrio, et circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum, et calefaciebat se ad ignem. Dixerunt ergo ei : Numquid et tu ex discipulis ejus es? Exeunte autem Petro januam rursus,* id est, disponente se ad egrediendum, quia timebat agnosci, cum vidisset illum alia ancilla, cœpit dicere circumstantibus, quia hic ex illis est. Et iterum negavit cum juramento, quia non novi hominem. Et post pusillum, intervallo quasi horæ unius, rursus qui adstabant, dicebant Petro : *Vere ex illis es, nam et Galilæus es, et loquela tua manifestum te facit,* scilicet inter illos. *Dixit unus ex servis pontificis, cognatus ejus cujus Petrus abscidit auriculam : Nonne ego te vidi in horto cum illo? Ille autem cœpit*

Digitized by Google

anathematizare, et detestari, et jurare, quia nescio hominem istum, quem dicitis. Et continuo, adhuc eo loquente, iterum gallus cantavit. Et conversus Dominus respexit Petrum, conversus scilicet ad misericordiam et miserationem ; et respexit Petrum, non oculo corporali, quia Petrus erat in atrio, et ipse intus in concilio ; sed respectus ille fuit spiritualis et internus, quo illuminabat et tangebat cor Petri, ut cognosceret quid fecisset. Unde sequitur : *Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat, quod priusquam gallus cantet bis, ter me negabis. Et egressus foras, flevit amare.* Hinc traxit consuetudinem, quod per totam vitam suam surgebat de nocte, et quoties audiebat galli cantum, flevit amarissime illud peccatum vel lapsum.

Interea tamen dum Petrus foris negaret Dominum Jesum in atrio, principes sacerdotum cum ministris impie tractabant pium et mitissimum Agnum in concilio. Unde sequitur in textu : *Principes autem sacerdotum et omne concilium quærebant falsum contra Jesum testimonium, ut eum morti traderent. Et non inveniebant, etiam quum multi accessissent, et convenientia testimonia non erant.* Notate hic signum magnæ innocentiæ Jesu et sapientiæ, quod ita sapienter et innocenter se in omnibus habuit, quod etiam falsi testes nihil mendacii potuerunt confingere, quod peccati haberet speciem vel apparentiam. *Novissime autem venerunt duo falsi testes, et dixerunt : Quoniam nos audivimus eum dicentem : Ego dissolvam templum hoc manufactum, et post triduum aliud, non manufactum ædificabo.* Per hoc volebant probare, quod fecisset se Deum, quia humanitus erat impossibile secundum talem ipsorum intellectum. Sequitur : *Et non erat conveniens testimonium eorum,* quia pervertebant verba et intentionem loquentis. Christus enim non dixit : Ego dissolvam, sed, solvite, id est, solvetis ; nec dixit, ædificabo, sed excitabo illud ; nec locutus fuerat de templo materiali, sed de templo corporis sui, sicut alia multa locutus est in parabolis.

Et cum Dominus ad omnia taceret, *exsurgens summus sacerdos in medium interrogat Jesum, dicens : Non respondes quidquam ad ea, quæ tibi objiciuntur ab his ? Ille autem tacebat, et nihil respondit,* quia quidquid respondisset, pervertissent in calumniam, et quæ objiciebant ei, erant aperta mendacia. *Rursus summus sacerdos interrogat eum, et dixit ei : Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei benedicti. Dixit illi Jesus : Tu dixisti, Ego sum.* Hic Jesus respondit propter reverentiam divini nominis, quo fuit adjuratus, licet ipse sciret, quod ex responsione ejus majorem contumeliam sibi forent illaturi. Confessus est ergo se Filium Dei ; verumtamen ne solum divina natura intelligenda nobis daretur in eo, sed etiam humana, adjunxit : *Verumtamen dico vobis : Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli.*

Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens : Blasphemavit, id est, attribuit sibi, qui est purus homo, id quod solius est Dei. Tamen Dominus Jesus non blasphemavit, sed veritatem dixit, quia est Deus et homo. Sequitur : *Quid adhuc egemus testibus ?* O perversum judicium ! Ipsi accusatores, ipsi testes, ipsi et judices. *Ecce nunc audistis blasphemiam. Quid vobis videtur ? Qui omnes condemnaverunt eum reum esse mortis. Tunc viri qui tenebant eum, illudebant ei : et expuerunt in faciem ejus, et velaverunt eum, cædentes eum colaphis. Et interrogaverunt eum, dicentes : Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit ? Et ministri eum alapis cædebant, et alia multa blasphemantes dicebant in eum,* quæ illa alia multa fuerunt, Evangelistæ non scripserunt, quia tam ignominiosa ludibria exercebant in eum, quod erubescebant scribere. Unde dicit Hieronymus quod ea quæ Dominus per istas tres horas in nocte sustinuit, nunquam plene revelabuntur usque ad *Hieronym.*

Digitized by Google

diem judicii. In libris tamen devotorum, et in revelationibus Sanctorum aliqua leguntur, quod scilicet cum de nocte principes et seniores irent dormitum, fecerunt Jesum recludi in carcerem, et adhibuerunt pessimos nequam qui ligaverunt eum ad columnam et per totam noctem usque mane tribulaverunt, genas conspurcando, barbam vellicando, crinibus trahendo, pedibus conculcando, et opprobriosissimis verbis et factis ipsum insultando. Cogitate quomodo mitis Dominus inter tales rabidos canes tacet, et omnia patitur, ac si esset pessimus, novissimus, vilissimus et impotentissimus hominum : ac si sibi foret conscius omnium malorum, quæ illi improperabant.

Mane autem, ut factus est dies, consilium inierunt omnes principes sacerdotum et seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent. Intelligitur hic de secundo consilio in domo Caiphæ, quia in nocturno et primo consilio, quo damnaverant Jesum reum mortis esse, non interfuerant omnes seniores et principes : ideo in secundum consilium mane omnes conveniunt, ut approbent et confirment sententiam primi consilii, quo damnatus fuit innocens Jesus, qui interim reservatus fuit (sicut dixi) quasi in uno penario, ubi per noctem continue blasphemiis et derisionibus, verberibus et injuriis ipsum affecerunt. *Et adduxerunt eum in concilium suum dicentes : Si tu es Christus, dic nobis. Et ait illis : Si dixero vobis, non credetis mihi. Si autem et interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem* (id est, post Passionis meæ tempus) *erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes : Tu ergo es Filius Dei ? Qui ait : Vos dicitis, quia ego sum. At illi dixerunt : Quid adhuc desideramus testimonium ? Ipsi enim audivimus de ore ejus*, scilicet quod Filium Dei se et Christum nominavit. Judæi non habebant judicium sanguinis, sed erat ab Imperatore illis ablatum, qui constituit illis judicem et præfectum Pontium Pilatum, tanquam suum vicarium. Et ideo ipsi poterant bene judicare, utrum aliquis esset reus mortis, vel non. Scilicet si fuisset reus, oportebat illum mitti ad præsidem a Romanis constitutum, et afferre causam suæ damnationis. Sic etiam modo faciunt cum Jesu ; quia si Judæi possent eum occidere, ipsi non quærerent utrum causam haberent, vel non ; sed quia sciebant Pilatum interrogaturum de causa mortis, ideo conquirunt, quid velint proponere contra innocentem, quo possent movere Pilatum. Oh, advertite quomodo humillimus Dominus et potentissimus Deus intelligens omnem malitiam cordis eorum et falsitatem, et sustinens tantum sui contemptum et injuriam, stat inter eos submisso capite et mansuetus, ac si vilissimum fuisset mancipium et meruisset mortem.

Et surgens omnis multitudo eorum, et vincientes Jesum, quia solverant eum in concilio, et iterum ligant, in signum quod esset reus, et damnatus ad mortem, in gaudium omnium inimicorum Jesu, et in confusionem amicorum ejus, *duxerunt illum ad Pilatum a Caipha in prætorium.* Ah, cogitate quomodo duxerunt illum, quibus injuriis, quantis opprobriis et clamoribus. Æstimant aliqui, quod Jesu exeunte a domo Caiphæ, Matrem ejus cum Magdalena stetisse ad portam, exspectando si videre posset Filium ante mortem : dum ergo videbat eum sic educi, sic miserabiliter tractari et ligatum, per quod intelligebat eum damnatum ad mortem, et in facie consputum, bene in terram cecidisse potuisset præ dolore, si non præservata fuisset divina virtute, vel nisi pudicitia virginalis et disciplina puellaris omnes gestus ejus exteriores moderasset.

Erat autem mane. Hoc dixit Evangelista, ad ostendendum quomodo Judæi sitiebant sanguinem Jesu, cum adhuc primo mane quærebant sententiam contra eum. *Et ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed manducarent Pascha.* Notate qualem et quam pediculosam conscientiam habuerunt isti hypocritæ ; fecerunt sibi conscientiam quod contaminarentur si intrarent domum alienigenæ,

Digitized by Google

scilicet præsidis, et præsertim in locum ubi judicaretur super sanguinem, id est, in prætorium ; et de hoc non fecerunt sibi conscientiam, quod ipsi innocentem damnaverant et Dei Filium ad mortem, et quod sanguinis ejus effusionem innocentis procurarent.

Tunc Judas videns, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus populi, dicens : Peccavi, tradens sanguinem justum. At illi dixerunt : Quid ad nos ? Tu videris. Cum itaque Judas videbat se cum periculo suo etiam derideri, desperavit. *Et projectis in templo argenteis, recessit, et abiens laqueo se suspendit.* In hoc peccavit gravius, quam quando Jesum tradidit. *Principes autem sacerdotum acceptis argenteis dixerunt : Non licet mittere eos in corbonam, quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum : propter hoc vocatus est ager ille Haceldama, hoc est, ager sanguinis, usque in hodiernum diem. Tunc adimpletum est, quod dictum est per Jeremiam prophetam, dicentem : Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quod appretiaverunt a filiis Israel, et dederunt eos in agrum figuli.*

Jesus autem stetit ante præsidem. Exivit ergo ad eos Pilatus foras, scilicet Judæos, quia nolebant intrare prætorium, *et dixit ad eos : Quam accusationem affertis adversus hominem istum? Et dixerunt ei : Si non esset malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Quasi dicant : Non est opus ipsum ulterius examinare, nos examinavimus eum, et invenimus eum dignum morte. Nos tam justi sumus et tantæ religionis, quod non tradidissemus eum tibi, nisi esset malefactor, quapropter merito deberes credere nobis pro simplici verbo, et non ulterius investigare. Ex hac responsione fuit indignatus præses. *Dixit ergo eis Pilatus : Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate eum,* id est, si sufficit vestra examinatio, tunc judicate eum. *Dixerunt ergo Judæi : Nobis non licet interficere quemquam;* ac si dicerent: licet possumus transgressores et malefactores citra mortem punire, tamen non sufficit nobis, ut ille puniatur, sed ut occidatur : *Ut sermo Jesu impleretur quem dixit, significans qua morte esset moriturus.* Prædixerat enim ante discipulis suis Jesus, quod tradendus erat gentibus, flagellandus et crucifigendus.

Cœperunt autem eum accusare dicentes : Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari Cæsari, et dicentem se Christum regem esse. In tribus accusant eum, quæ magis videbantur esse contra Imperatorem, licet omnia erant mendacia. *Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus, et vocavit Jesum, et dixit ei : Tu es rex Judæorum?* De duobus primis non interrogat, quia de lege eorum nihil curavit, et de tributo sciebat esse falsum, quia audierat Jesum respondisse : Reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris. *Respondit Jesus : A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me?* id est, vidisti tu vel alius aliquis tale in me, de quo hanc possis concipere suspicionem ? *Respondit Pilatus : Numquid Judæus ego sum ?* scilicet ut sciam quis sit rex eorum secundum genealogias ipsorum ? *Gens tua et pontifices tradiderunt te mihi, quid fecisti ?* Quasi dicat, non est sine causa.

Respondit Jesus : Regnum meum non est de hoc mundo, id est, nihil impedit regimen Imperatoris. *Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent,* scilicet pro me, *ut non traderer Judæis. Nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque Pilatus : Ergo rex es tu?* scilicet si habes regnum. *Respondit ei Jesus : Tu dicis, quia rex sum ego. Ego ad hoc natus sum,* scilicet temporaliter et secundum carnem, *et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, audit me. Dicit ei Pilatus : Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, ad Judæos iterum exivit, et dixit eis : Ego nullam causam invenio in eo,*

Digitized by Google

id est mortis. *At illi invalescebant, dicentes : Commovit populum, docens per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit si homo Galilæus esset. Et ut cognovit, quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem : qui et ipse Jerosolymis erat illis diebus.*

Pilatus non libenter judicabat Jesum, eo quod sciret ipsum innocentem, ideo gaudet se occasionem invenisse, ut mittat eum a se ad Herodem. Hic Herodes natus fuit Judæus, quia pater ejus etiam Herodes postquam duxerat Judæam virginem in uxorem, ex gentilitate transiit ad Judaismum. Erat ergo tunc Jerosolymis, propter festum Paschæ. Notate hic quomodo Jesum cum majori furore et injuria ducunt, quasi vindicantes se in eo, quod non obtinuerunt propositum suum apud Pilatum. *Herodes autem viso Jesu gavisus est valde. Erat enim ex multo tempore cupiens videre eum, eo quod multa audierat de illo.* Non fuit gavisus, nec desideravit videre Jesum ex devotione sed curiositate. *Et sperabat signum aliquod ab eo videre fieri. Interrogabat ergo illum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat,* quia Herodes non credebat in eum, sed æstimabat Jesum per incantationes facere miracula, nec ex devotione desideravit videre miraculum, sed ex curiositate, quasi aliquid insolitum et novum. Et etiam tacuit, ut exemplo tali nos fugiamus vanam gloriam, et omittamus ostentationem, præsertim ubi nullus est fructus.

Stabant etiam principes sacerdotum et scribæ constanter accusantes eum. Sprevit autem illum Herodes, cum exercitu suo, et illusit indutum veste alba, et remisit ad Pilatum. Considerate hic, quod Dominus indutus alba veste, quæ erat signum fatuorum, habens formam scapularis monachorum, reducitur per medium civitatis, et fit confusio et derisio omnium. Omnes cachinnant, alii lapides, alii stercora projiciunt in eum, et ductores ejus omnem crudelitatem in eum exercent, volentes Scribis complacere. *Et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsa die ; nam antea inimici erant ad invicem.* Perversa est amicitia, quem innocentis sanguine fœderatur.

Pilatus autem, dum videret sibi Jesum remissum, *convocatis principibus sacerdotum et magistratibus et plebe, dixit ad illos: Obtulistis mihi hominem hunc, quasi avertentem populum ; et ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam invenio in homine isto, ex his, in quibus eum accusatis : sed nec Herodes. Nam remisi vos ad illum, et ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam ;* id est, licet sit innocens, tamen ad instantiam vestram puniam, ut ira vestra placetur, et sic dimittam. Audientes Pharisæi et seniores quod Pilatus vellet eum dimittere, iterum plus accusabant Jesum innocentem. Unde sequitur : *Et accusabant eum summi sacerdotes in multis et seniores populi, et nihil respondit. Pilatus autem rursus interrogavit eum, dicens : Non respondes quidquam ? Vide in quantis te accusant. Jesus autem nihil amplius respondit, ita ut miraretur Pilatus præses vehementer.* Mirabatur quod ad talia falsa objecta patienter taceret, cum tamen uno verbo omnia potuisset refellere.

Inter hæc incidit Pilato, quod posset Jesum liberare, scilicet per privilegium quod habebant Judæi tempore Paschæ, quo dimittebatur eis liber aliquis reus in carcere, quemcumque petissent. Hanc consuetudinem habebant adhuc a tempore egressionis de Ægypto, quia tempore Paschæ fuerant etiam liberati ipsi de manu Ægyptiorum. Unde sequitur : *Per diem autem festum solebat dimittere illis unum ex vinctis, quemcumque petissent. Habebat autem vinctum insignem,* id est valde et excellenter malum, *qui dicebatur Barabbas. Erat autem Barabbas latro, qui propter seditionem quamdam factam in civitate et homicidium missus erat in carcerem. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus : Est consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pas-*

Digitized by Google

cha. Pilatus monet Judæos ipsos privilegii eorum, ut notetur studium ejus pro liberatione Christi. *Et cum ascendisset turba,* scilicet ad festum diem, *cœpit rogare, sicut semper faciebat illis,* scilicet ut etiam hoc modo faceret dimittendo unum. *Pilatus autem respondit eis, et dixit: Quem vultis vobis dimittam, Barabbam, an Jesum qui dicitur Christus?* Pilatus habebat bene alios vinctos, sed proponit sceleratiorem cum Jesu, et populo magis exosum, putans quod potius dimitterent Jesum, quam talem pessimum homicidam. Unde dicebat:

Vultis ergo dimittam vobis regem Judæorum? Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum. Principes autem sacerdotum et seniores populi persuaserunt populis, ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent. Respondens autem Præses dixit: Quem vultis vobis de duobus dimitti? Exclamavit autem simul universa turba : Tolle hunc, scilicet Christum, *et dimitte nobis Barabbam.* Notate quantam invidiam habent contra Jesum, ut ipsius nomen nec velint notare, et tamen nominant Barabbam. O quantum piissimum Cor Jesu fuit vulneratum, quod se regem Angelorum et Dominum, Creatoremque cœli et terræ, vidit reprobari reputarique viliorem et pejorem latrone. *Dicit illis Pilatus : Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes : Crucifigatur. Iterum ergo Pilatus locutus est ad illos, volens dimittere Jesum. At illi succlamabant, dicentes : Crucifige, crucifige eum. Ille autem tertio dixit : Quid enim mali fecit? Ego nullam mortis causam invenio in eo. Corripiam ergo eum, et dimittam. At illi instabant vocibus magnis postulantes ut crucifigeretur. Et invalescebant voces eorum.* O tristissima Maria, desolata Mater, quomodo secabant tuum virgineum Cor maternum hujusmodi voces in alto resonantes!

Tunc apprehendit Jesum Pilatus et flagellavit. O quam brevibus verbis scriptum est, quid Dominus tam diu et amare pertulit. Conspicite quomodo Dominus nudatur, et de sua nudatione verecundatur, sicut virgo innocentissimus et pudicissimus. Ligatur ad columnam, et diutissime flagellatur, ut postea fusius dicetur. *Et,* scilicet post flagellationem cum se reinduere inciperet, *tunc milites præsidis suscipientes Jesum in prætorio, congregaverunt ad eum universam cohortem,* quia volebant eum coronare ut regem, quem decet habere multos milites, *et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei. Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus, et veniebant ad eum, et genu flexo ante eum, illudebant, dicentes: Ave, rex Judæorum. Et dabant ei alapas. Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem et percutiebant caput ejus.* Hæc omnia faciebant isti pessimi, quasi falso nominasset se regem, ideo volebant eum ornare illusoriis regiis insigniis, sperantes favorem et remunerationem a Judæis majorem, quanto crudelius in ipsum desævirent. Hæc tamen arundo qua caput ejus feriebant, non fragilis fuit, sed dura ut baculus, ut ideo tales ictus incutiebant spinas usque ad cerebrum. Cogitate quantus fuit ibi dolor.

Exivit iterum Pilatus foras, et dicit eis : Ecce adduco eum vobis foras, ut cognoscatis, quod nullam in eo invenio causam, quasi diceret: Et licet innocens sit, tamen ad placandam invidiam vestram ipsum miserabiliter castigavi. *Exivit ergo Jesus portans spineam coronam et purpureum vestimentum. Et dicit eis,* scilicet Pilatus: *Ecce homo.* Videte eum, non moveat vos, si dixit se Filium Dei. Ecce quomodo afflixi eum, quod non est similis homini. Ecce quomodo tam regaliter est ornatus, quem timetis regem. Vel nunc de cætero quiescat ira vestra. *Cum ergo vidissent eum pontifices et ministri, clamabant dicentes : Crucifige, crucifige eum.* O qualis hæc fuit invidia, quantum odium, quod super mansuetissimo Jesu sic miserabiliter castigato, nulla compassione movebantur, sed clamabant dicentes : Crucifige, etc., quasi dicerent: Quantumcumque afflixeris eum, non erimus contenti, non poterimus satiari in pœnis ejus, nisi videamus eum suspensum in cruce. *Dicit eis*

Digitized by Google

Pilatus : Accipite eum vos, et crucifigite ; ego enim non invenio in eo causam. Responderunt Judæi dicentes : Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit, scilicet damnare Jesum, non propter legem Judæorum quam parvi pendit, sed ne forte verum esset, quod esset Filius Dei.

Et ingressus est iterum in prætorium, et dicit ad Jesum : Unde es tu? Jesus autem nihil respondit, quia Pilatus, eo quod gentilis fuit et idololatra, nihil meruit audire, vel non potuisset intelligere cognationem ejus. *Dicit ergo ei Pilatus : Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te et potestatem habeo dimittere te ? Respondit Jesus : Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi esset datum desuper.* Ibi notandum, sicut dicit Apostolus, quod omnis potestas est a Deo ordinata, etiam in malis hominibus ; *propterea qui me tradidit tibi,* scilicet Judas et Judæi, *majus peccatum habet,* scilicet quam tu, quia Judas ex avaritia, Judæi ex invidia, tu vero ex humano timore tradis me in mortem. *Et exinde quærebat,* id est conabatur omnino, *Pilatus dimittere eum ; Judæi autem clamabant, dicentes : Si hunc dimittis non es amicus Cæsaris ; omnis enim qui se regem facit,* sicut iste conatur, *contradicit Cæsari. Pilatus ergo cum audisset hos sermones,* quod sibi minabantur, timens ne accusaretur coram Imperatore et deponeretur ab officio, damnare vult, quem toties probavit innocentem. Ecce quid facit ambitio honorum, quomodo excæcat mentes hominum, ut per fas et nefas, per laborem et scandalum veniant ad officia vel honores, et in illis maneant.

Rom. XIII, 1.

Unde sequitur : *Adduxit Jesum foras, et sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, hebraice autem Gabbatha. Erat autem Parasceve Paschæ, hora quasi sexta. Et* postquam stetit Jesus ante tribunal, deridens *dicit Judæis : Ecce rex vester. Illi autem clamabant : Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus : Regem vestrum crucifigam ?* scilicet hoc vobis esset confusio. *Responderunt pontifices : Non habemus regem nisi Cæsarem. Sedente autem illo,* scilicet Pilato, *pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens : Nihil tibi et justo illi. Multa enim sum passa hodie per visum propter illum.* Diabolus videns tantam patientiam Christi, et videns etiam Patres in limbo exultantes ex effectu Passionis illius, conjecturavit ipsum esse Christum, qui redempturus esset captivos suos, ideo libenter impedisset mortem Christi. *Videns autem Pilatus quod nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua lavit manus coram populo, dicens : Innocens ego sum a sanguine justi hujus ; vos videritis.* Nihil prodest Pilato exterior ablutio, quia sciens ipsum justum, non debuit damnare. *Et respondens universus populus, dixit : Sanguis ejus super nos et super filios nostros.* Ipsi parum reputabant sanguinem innocentem fundere hominis pauperis (ut ipsi æstimabant) et vilis. *Tunc Pilatus adjudicavit petitionem fieri eorum. Dimisit autem illis Barabbam quem petebant,* scilicet liberum. *Jesum vero tradidit voluntati eorum, ut crucifigeretur.*

Tradidit voluntati eorum, ut facerent in eum quidquid vellent, cæderent, traherent, truderent, calcarent, crucifigerent et interficerent. O quantum gaudium habebant perditissimi filii diaboli, de sententia super humillimo Jesu ad mortem! O quam miserabile et flebile est audire Dominum creatorem cœli et terræ, in cujus manu sunt universa, sine cujus regimine nihil subsistere potest, qui est judex et retributor omnium, secundum uniuscujusque opera, quod stat ante judicem et permittit super se sententiam dari ad mortem, ac si esset novissimus, impotentissimus et flagitiosissimus hominum! *Susceperunt autem Jesum, et exuerunt illum purpura, et induerunt illum vestimentis suis, et eduxerunt illum ut crucifigeretur. Et bajulans sibi Crucem,* scilicet Jesus, *exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum, hebraice Golgotha.* Notate hic confusionem piissimi Jesu, et acerbitatem pœ-

Digitized by Google

narum fatigationemque vulnerati corporis, quo incurvus sub Cruce incedit. Notate crudelitatem ducentium, blasphemias deridentium, subsannantium et super eum cantantium et gaudentium. Notate multitudinem concomitantium, et varia de illo loquentium. Notate injurias etiam puerorum lutum et lapides projicientium. Notate tristitiam et luctum ipsum diligentium, et maxime piissimæ Matris ejus Mariæ.

Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem venientem de villa, patrem Alexandri et Rufi, hunc angariaverunt, et imposuerunt illi Crucem portare post Jesum. Hoc non fecerunt ex compassione, sed ut accelerarent mortem ejus, quia ita exhaustus fuit viribus Dominus Jesus, ut non posset progredi cum Cruce. Scribitur quod ter vel quinquies cecidit Dominus sub Cruce, et ultimo cecidit super lapidem, ut sanguis per nares et os effluueret. Unde in illo loco postea Ecclesia fuit ædificata. *Sequebatur autem illum turba multa populi et mulierum, qui plangebant et lamentabant eum. Conversus autem ad illas Jesus dixit : Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vosipsas flete, et super filios vestros,* quod estis occasio Passionis meæ per peccata vestra. *Quinimo ecce venient dies, in quibus dicent : Beatæ steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos, et collibus, cooperite nos.* Hoc prædixit de destructione Jerusalem, quæ facta est, et de fine mundi, quando venturus est ad judicium; *quia si in viridi ligno hoc faciunt,* id est in me qui sum viridis et fructuosus absque peccato, *in arido quid fiet?* scilicet quod non ad aliud valet, nisi ad ignem.

Ducebantur autem et alii duo nequam cum eo, ut interficerentur. Hoc procuraverunt Judæi ad detractionem famæ Jesu, et in opprobrium ipsius, ut crederetur horum socius fuisse in scelere, quibus conjungendus erat in Cruce. Denique non legitur de illis latronibus, quod suas cruces sicut Jesus portaverunt, sed solus Jesus bajulat, ut videatur sceleratior illis. *Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus. Et dederunt ei vinum myrrhatum bibere, cum felle mixtum. Et cum gustasset, non accepit,* id est non deglutivit. *Erat autem hora tertia, et ibi crucifixerunt eum,* id est medium inter tertiam et sextam, quia ante dictum est, quando Dominus judicatus fuit a Pilato, quod erat hora quasi sexta. Intelligitur etiam secundum Augustinum, quod hora tertia crucifixerunt eum Judæi linguis suis ante Pilatum, quando clamaverunt : crucifige, et per hoc innuitur quod sunt rei et auctores mortis Christi, licet manibus suis mortem non intulerint Christo. De modo crucifixionis et dolore postea dicam. *Et duos latrones, unum a dextris et alium a sinistris : medium autem Jesum,* quasi principem eorum. Et hoc fecerunt ad ignominiam Jesu. *Et impleta est Scriptura, quæ dicit : Et cum iniquis deputatus est. Jesus autem dicebat,* scilicet interim dum crucifigeretur : *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Grandis patientia, qua non solum inimicis suis non irascitur, sed peccatum eorum etiam excusat.

Augustin.

Is. LIII, 12.

Scripsit autem Pilatus titulum causæ ejus, et posuit super Crucem, super caput ejus. Erat autem superscriptio scripta super illum, litteris græcis, latinis et hebraicis : Hic est Jesus Nazarenus rex Judæorum. Hunc ergo titulum multi legerunt Judæorum, quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus. Dicebant ergo Pilato pontifices Judæorum : Noli scribere rex Judæorum ; quasi dicant, quia hoc non est verum, et cedit in opprobrium nobis, quod rex noster crucifixus sit; *sed* scribe, *quia dixit ipse : Rex sum Judæorum,* id est propter præsumptionem suam et regni temerariam invasionem crucifixus sit, cum sit homo vilis et pauperculus. *Respondit Pilatus : Quod scripsi, scripsi,* id est, ita manebit. Ex divina ordinatione contigit ut Pilatus scriberet eum regem Judæorum, nec mutare vellet titulum, quia vellent nollent Judæi, ipse erat Christus, rex et Mes-

Digitized by Google

sias eorum, qui in lege ipsorum fuit illis promissus, licet Dominus ipse Jesus temporale regnum nunquam concupivit, sicut ipsi perfidi Judæi inique illum accusabant.

Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de ea cujus sit, ut Scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi, et in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt. Et sedentes servabant eum, ne quis tolleret eum de Cruce. *Et erat populus exspectans eum,* id est volens videre qualem finem acciperet, qui tot fecerit miracula.

Psalm. xxi, 19.

Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua et dicentes : Vah, qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas, salva temetipsum. Si Filius Dei es, descende de Cruce. Similiter et principes sacerdotum illudentes ad alterutrum cum Scribis et senioribus, dicebant : Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Si rex Israel est, descendat nunc de Cruce et credemus ei. Confidit in Deo, liberet eum nunc si vult. Dixit enim : Filius Dei sum. Illudebant autem ei et milites accedentes et dicentes : Si tu es rex Judæorum, salvum te fac. Idipsum autem et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei, et convitiabantur. Primo forsitan uterque convitiabatur, sed postea alter fuit conversus. Aut potius secundum usum loquendi, quod unus fecit, multis adscribitur. Cogitate vos quantum piissimum Cor Jesu affligebant talia opprobria et derisiones, cum in nobis ipsis experimur, si aliquis in calamitate vel adversitate vel infirmitate fuerit oppressus, si propter hoc contemnitur, vel non creditur ei, sed deridetur et objurgatur, ipse gravius dolet de contumelia vel derisione plerumque, quam de ipsa infirmitate : quanto magis Dominus Jesus qui innocenter patitur et deridetur blasphematurque ab his pro quibus patitur.

Unus autem ex his, qui pendebant, latronibus blasphemabat eum, dicens : Si tu es Christus, salvum fac teipsum et nos. Respondens autem alter increpabat eum, dicens : Neque tu times Deum, quia in eadem damnatione es? Et nos quidem juste, scilicet damnati sumus, *nam digna factis recipimus. Hic vero nihil mali gessit. Et dicebat ad Jesum: Domine, memento mei,* id est miserere mei, *dum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Jesus : Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Magna misericordia Dei, ut latroni, in vitæ termino pœnitenti, statim promisit paradisum. Hic voluit pœnitentibus dare spem salutis.

Sed multi, proh dolor! hinc accipiunt occasionem damnationis. Nam videntes tantam Dei misericordiam, pœnitentiam differre volunt, et veram confessionem usque ad finem ; et dicere tunc cum latrone : Domine, miserere mei. Verum est, ipsi fortasse dicent cum latrone hæc verba vel similia ; sed sola verba non sufficiunt, nisi dicant tali corde, scilicet contrito, quo latro dixit. Et hoc dicere ex corde et desiderio veniæ et gratiæ Dei, et cum odio peccati, donum Dei est quod ipse dat quibus vult et quando vult. Ex nobis habemus et in potestate nostra, quod possumus peccare quando volumus, et si facultas operis deest, voluntas reputatur pro facto. Et ideo etiam in omnia peccata possumus cadere et in singula. Sed pœnitere, dolere et conteri non habemus a nobis, sed a Deo conceditur. Idcirco temerarium est quod aliquis dicit : jam volo hoc peccatum facere, sed cras confiteri. Unde scis, o fatue, si Deus concesserit cras, aut si dederit tibi bene confiteri ? Si non potes stare, vel non vis, cum habes gratiam Dei te juvantem, quomodo proponis velle resurgere ad placitum, cum fueris per peccatum extra gratiam Dei sub captivitate diaboli ? Timeamus, fratres, semper, et imaginemur semper, non post annum, non post septimanam, sed jam instantem mortem. Disponamus nostram conscientiam, quasi nunc emigraturi ante judicem nostrum.

Digitized by Google

Interrogemus nos quid facturi essemus, si sciremus ante meridiem nos defuncturos. Hoc faciamus et modo, et sic erimus securi, quod clamantes cum latrone miserere nostri, recipiemur etiam in paradisum cum latrone.

Erat autem hora fere sexta. Ante dixi, quod tempus medium denominatur a priori vel posteriori. Ideo illud tempus potuit dici hora tertia vel sexta. *Stabat autem juxta Crucem Jesu Maria Mater ejus, et soror Matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene.* Viri apostolici fugerunt, et sexus infirmior adstat patienti. *Cum ergo vidisset Jesus Matrem et discipulum quem diligebat,* scilicet Joannem, *dixit Matri suæ : Mulier, ecce filius tuus.* Nominat eam mulierem, ne forte blandius ipsam alloquendo, dolori addat dolorem. *Deinde dicit discipulo : Ecce mater tua* ; servi ei, et venerare eam, et assiste ei, sicut filium decet matri. *Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua,* scilicet custodia.

A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram, usque ad horam nonam, et obscuratus est sol. Et circa horam nonam exclamavit Jesus voce magna, dicens : Eli, Eli, lamma sabacthani ; hoc est : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Non est intelligendum, quod divinitas separata fuerit vel recesserit ab humanitate, sed pro tanto dicitur dereliquisse humanitatem, quia nullum refrigerium, nullum relevamen, nullam pœnæ diminutionem præstitit humanitati patienti ; sed permisit eam in infirmitate sua laborare, sine consolatione inferiorum virium. *Quidam autem illic stantes et audientes dicebant : Eliam vocat iste,* hoc fuit sic putatum, quia in voce parva differentia est Eli et Elia. Et hoc forte dictum fuit a gentibus, scilicet militibus, qui parum intellexerunt de Hebræo.

Postea sciens Jesus quia jam omnia consummata sunt, scilicet quæ scripta erant de illo, usque ad pauca, *ut consummaretur Scriptura :* In siti mea potaverunt me aceto, *dixit: Sitio.* Dominus vere sitiebat corporaliter et spiritualiter : corporaliter, quia effuso sanguine totus exaruit, unde sequebatur vehementissima sitis. Spiritualiter sitivit nostram salutem. *Vas ergo positum erat aceto plenum.* Consuetudo erat damnatis ad mortem propinari optimum et forte vinum a bonis matronis, vel cæteris bonis hominibus civitatis, ut pœnas mortis melius ferre possent. Tale vinum datum fuerat etiam pro Jesu et aliis duobus, sed illi nequam, qui crucifixerunt eum, ebiberunt illud, et posuerunt pro illo acetum cum felle mixtum. Unde hoc prophetatum habetur : Vinum damnatorum bibebant, et posuerunt pro eo acetum cum felle mixtum. *Et continuo unus currens ex eis acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, vel hyssopo, circumponens ligno hyssopi, obtulit ori ejus, et dabat ei bibere. Cæteri vero dicebant : Sine, videamus an veniat Elias liberans eum. Cum ergo accepisset acetum Jesus,* id est, cum gustasset, *dixit : consummatum est,* id est, completum opus est obedientiæ meæ, quod mihi Pater injunxit.

Et iterum clamans voce magna Jesus, ait : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, inclinato capite, tradidit spiritum. Et ecce velum templi scissum est in duas partes, a summo usque deorsum. Hoc velum erat ante Sancta Sanctorum, secundum aliquos, prohibens aspectum Sanctorum. Hoc scissum fuit, revelans et detegens interiora, scilicet arcam et similia. Et per hoc indicabatur, quod ista veteris Testamenti, quæ fuerant figura futurorum novi Testamenti, erant in Christi morte manifestata et completa, et talis figuratio evacuata et nudata in Christi morte exspiravit.

Et terra mota est, et petræ scissæ sunt. Impletum est, quod Dominus prædixerat Judæis in die Palmarum, prohiberi volentibus pueris Christum laudantibus et confitentibus in templo ne cantarent. Sed Jesus respondit : Si hi tacuerint, lapides clamabunt, sic modo factum est ;

Psalm. LVIII, 22.

Amos II, 8.

Luc. XIX, 40.

Digitized by Google

nam hominibus rationalibus tacentibus, elementa muta et insensibiles creaturæ clamaverunt innocentiam et potentiam Creatoris. *Et monumenta aperta sunt, et multa corpora Sanctorum qui dormierant, resurrexerunt,* scilicet cum Christo, non in die Passionis ejus sed Resurrectionis. Unde sequitur: *Et exeuntes de monumentis post Resurrectionem ejus, venerunt in civitatem sanctam et apparuerunt multis. Centurio autem et qui cum eo erant custodientes Jesum, viso terræ motu et his quæ fiebant, et quia sic clamans exspirasset,* quod supra naturam fuit, *timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iste. Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.* Dolebant enim quod petissent sibi donari Barabbam, et Jesum crucifigi. Operabatur enim virtus orationis Jesu, qua ante oraverat: Pater, ignosce illis. Impleta etiam fuerunt verba, quæ dixerat Jesus ante Passionem ad turbas: Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. *Joann.* VIII, 28.

Stabant autem omnes noti ejus a longe, ut melius viderent eum. *Erant autem et ibi mulieres, quæ secutæ eum erant a Galilæa de longe adspicientes; inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi minoris, et Joseph mater,* id est soror Mariæ Virginis, *et Salome, et mater filiorum Zebedæi,* id est Joannis et Jacobi majoris. *Et cum esset in Galilæa,* id est ante Passionem suam, *sequebantur eum* scilicet prædicantem, *et ministrabant ei,* scilicet necessaria vitæ ex devotione, *et aliæ multæ, quæ simul ascenderant cum eo Jerosolymam.*

Judæi ergo quoniam Parasceve, id est dies Veneris, *erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato: erat enim magnus dies ille sabbati,* quia duplex solemnitas erat, scilicet sabbatum et infra octavas Paschæ; *rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura et tollerentur,* scilicet de cruce, etenim sic evadere possent, non fractis cruribus depositi. *Venerunt ergo milites, et primi quidem fregerunt crura,* scilicet latronis, *et alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.* Hoc vulnus adeo magnum extitit, quod Thomas potuit post Resurrectionem ejus manum imponere. Et in propria vulneratione Christus non sensit dolorem: sed quem sensisset, beata Virgo sensit in corde et anima, quia usque ad mortem angustiabatur, et sic ibi singulariter impleta fuit prophetia Simeonis: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, scilicet doloris. *Joann.* XX, 27. *Luc.* II, 35.

Et qui vidit testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus. Et ille scit, quia vera dicit, ut et vos credatis. Hoc scribit evangelista Joannes de seipso qui vidit, et testatus est. *Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo.* Hoc scriptum est in Exodo de Agno paschali Judæorum, qui fuit typus et figura veri Agni, Christi Jesu immolandi, cujus ossa non erant confringenda, quoniam sic etiam præceptum fuit observari de Agno, qui gerebat illius figuram. *Et iterum alia Scriptura dicit,* scilicet Zachariæ: *Videbunt in quem transfixerunt;* hoc fiet in extremo judicio. *Exod.* XII, 46. *Zach.* XII, 10.

Cum sero factum esset, quia erat Parasceve, quod est ante sabbatum, venit quidam homo dives ab Arimathæa, nomine Joseph, nobilis decurio, id est, super decem milites; vel decurio, id est, de curia Imperatoris: *vir bonus et justus, hic non consenserat consilio et actibus eorum, qui exspectabat et ipse regnum Dei, et discipulus erat Jesu, occultus autem propter metum Judæorum. Et audacter introivit ad Pilatum et petiit corpus Jesu.* Dum Jesus adhuc vivebat, non audebat illum Joseph palam confiteri, licet crederet in illum, propter metum Judæorum: dederant enim mandatum, ut si quis fuisset ipsum confessus Christum, extra synagogam fieret. Sed modo in morte Domini fuit confortatus, pro nihilo ducens iniquum Pharisæo-

Digitized by Google

rum mandatum, minas eorum non timens.

Pilatus autem mirabatur si jam obiisset. Et accersito centurione, qui centum præerat militibus, *interrogavit si jam mortuus esset. Et cum cognovisset, donavit et jussit reddi corpus Jesu Joseph. Joseph autem mercatus sindonem, et deponens eum, involvit sindone munda. Venit autem et Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primum,* scilicet dum Jesus adhuc prædicabat ante Passionem suam, *ferens mixturam myrrhæ et aloes libras quasi centum;* hoc unguentum valebat contra vermes et putrefactionem. In quo facto notatur, quod illi viri, licet devoti erga Jesum, non habuerunt rectam fidem, quia timebant corpus Jesu putrescere et incinerari, quod tamen non potuit corrumpi, propter divinitatem, cui unitum erat, nec diu mansurum fuit in sepulchro, sed resurrecturum. Beata etiam Virgo Maria simplicem eorum devotionem non prohibuit, licet bene sciret quod non fuit necessarium.

Notate hic flebilem planctum Matris super Filio, Magdalene super dulcissimo amatore suo, et discipulorum super fidelissimo Magistro. Credendum etenim est, quod post mortem Jesu, et post recessum militum et Judæorum a Cruce (cum sola Mater cum cæteris mulieribus et Joanne perseveraret juxta Crucem), discipulos omnes vel majorem illorum partem reversos, et cum gemitu et dolore suam infidelitatem et fugam a dulcissimo Magistro accusasse. *Acceperunt ergo corpus Jesu, et ligaverunt linteis illud cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire. Erat autem in loco, prope ubi crucifixus est, hortus, et in horto monumentum novum. Et posuit eum Joseph in monumento suo novo quod excidit de petra, et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, et abiit.*

Digitized by Google

INDEX

Digitized by Google

Digitized by Google

ELENCHUS

LOCORUM NOTABILIUM

HUJUS VOLUMINIS

A

Abnegare se quid sit. 2
abnegatio sui quantopere necessaria integritati animi. 1
abnegatione (pro) plena suiipsius precatio. 45 172, 220, 241, 262, 294, 300, 316, 323, 339.
abstractione (pro) mentis a creaturis precatio. 25
Acediam (contra) cunctasque tentationes precatio. 191, 410
actiones et passiones nostras quomodo Christi actionibus et passionibus unire debeamus 79
Adolescentes et pueri quantum sibi cavere debeant a lascivo amore. 286
adoptione (pro) spirituali precatio . . . 168
adoptionis (pro) gratia, protectione et auxilio Deiparæ 379
adversitate (in) imminente precatio . 27, 29
adversitatum (pro) leni perpessione precatio 305, 314, 374
Æternam (ad) Sapientiam salutatio matutina 82
Affectiones (adversus) vitiosas. 214
affectivum exercitium quo spectet . . . 3
affectionibus (in) et angustiis nostris, ut Christi et Matris ejus sentiamus relevamen 313
afflictis (pro) precatio 55, 56
afflictorum (pro) cunctorum consolatione. 305
Agenda ut sint omnia cum discretione. . 270
Agnete (de S.) V. et Martyre hymnus. . 445
Alacritate (pro) spirituali 203
albam dum induit sacerdos oratio . . . 108
alphabetum aureum animæ devotæ . . 291
Amaritudinem adversus omnem animi . 342
amicorum pro salute precatio 55
amœna videntis aspiratio 91
amoris divini pharetra, cur dictus Lanspergii libellus 2
amoris (pro) divini incremento 197
— tractu 225
— mundani exstinctione . . 32, 41, 242
— creaturarum suffocatione. . . . 174
— proprii eradicatione. 187
amore (pro) Dei precationes, 34, 36, 37, 84, 188, 232, 236, 296, 303, 308, 316, 321, 368.
— proximi precatio ad B. V. Mariam 37
— B. V. Mariæ precatio 169
— unitivo aspirationes. 454
amorem Dei obtinere volenti quid faciendum. 49, 289
Angelica Salutatio aurea quæ. 269
angelicæ Salutationis explanatio. . . . 75
angelicæ meditationes in eamdem. . . 76
animabus (pro) in purgatorio. . . 253, 326
animæ (pro) clarificatione post obitum . 328
Annæ (S.) laudes et sanctitas. 439
Apostolorum (per) prædicationem gentes conversæ. 257
Apostolis (de) et Evangelistis hymnus. . 447
Arbores conspicientis aspiratio. 91
Aspiratio pro divina charitate obtinenda . 36
aspiratio ad Patrem. 49
aspiratio ad Filium. 49
aspiratio ad Spiritum Sanctum. 49
aspirationes jaculatoriæ quæ sint . . . 2
aspirationes sive scintillæ aliquot flammigeræ 50
aspirationes ad Cor Jesu ignitissimæ . . 62
aspirationes inter edendum assumendæ . 89
aspirationes inter operandum et naturam exercendo 90

Digitized by Google

Avaritiam (contra) precatio 410
Auxilio (pro), defensione et directione B. Virginis 338

B

Barbara (de S.) V. et Martyre hymnus. . 443
Barbara (de S.) alius hymnus martyrium et encomium ejus paucis explicans . . 443
Barbara (de S.) hymnus alius sanctitatem et gaudia ejus perstringens. 443
Benefactoribus (pro) precatio. 55
beneficii ubi quidpiam acceperis aspirationes 92
beneficia Dei hominumque ingratitudinem perstringens ad SS. Trinitatem cordis effusio. 16
beneplacito (pro) Dei implendo precatio . 96
Bonorum Dei oblatio. 452
Brunonis (S.) Cartusiani vita in septem hymnos ad Horas canonicas. 436

C

Cæciliæ (S.) Virg. vita et laudes. . . . 444
captivitate (pro) spirituali precatio. . . 207
carnalis (pro) delectationis detestatione . 316
castitate (pro) precationes. 85, 170, 174, 182 258, 286, 411.
casulam dum induit sacerdos precatio. . 109
Catharinæ (S.) Virg. vita et laudes. . . 444
Celebrans, *vide* sacrificans.
Charitatis perfectio ut obtineri queat via facillima 1
charitate (pro) erga inimicos. 194, 195, 190, 230
Christus triduo illo quo perditus fuit, quo vitam sustentaverit 189
Christus uti suum corpus glorificaverit . 327
Christus Matri mœstissimæ uti apparuerit. 327
Christus glorificationem divinæ claritatis uti acceperit a Patre in sua humanitate. 327, 328
Christus electorum animos uti sua Resurrectione et crebris apparitionibus gaudio affecerit 328
Christus apparuit discipulis, cum eis comedit, docens eos et mittens prædicare. 329
Christus animas e limbo liberatas uti Patris conspectui præsentarit. 330
Christus dominium absolutum uti acceperit a Patre super electos. 330
Christus animas uti e limbo ereptas in paradisum introduxerit. 327
Christus quæ pro nobis passus sit :
hora Matutina. 402
— Prima 402
— Tertia. 403
— Sexta 403
— Nona. 403
— Vespertina. 404
— Completorii 404
Christi vita. 397
Christi Passio Matrisque ejus compassio . 398
Christi agoniam et sepulturam explicans hymnus 404
Christi glorificationes seu gaudia specialia quindecim 326
Christi et B. Virginis glorificatio. . . . 400
Christi anima uti post exspirationem in Cruce descenderit ad limbum Patrum. 326
Christi anima uti triduo ante Resurrectionem morata fuerit cum animabus e limbo liberatis. 326
Christi (ad) verba septem in Cruce hymnus. 410
Christi (ad) vulnera quinque, et de amore ejus inæstimabili hymnus 410
Christi (ad) membra pœnis afflictissima hymnus 411
Christi (ad) vulnera hymnus. 411
Christi (ad) spiritum tum divinum tum humanum hymnus 412
Christi (ob) necem effusio cordis ad B. Virginem. 157
Christi (pro) Nativitate gratiarum actio . 179
Christi (in) Nativitate de Angelorum laudatione et pastorum adoratione. . . 182
Christi (de) Circumcisione. 183
— adoratione a tribus Magis. . . . 183
— oblatione in templum 184
— fuga in Ægyptum . . . 137, 185, 186
— amissione et inventione. 137, 187, 188, 189.
— nutritione 186
— reditu in Ægyptum 187
— latitatione triginta annorum. . . 190
— baptismo 190
— tentatione 191
— vocatione Apostolorum. 192
— prædicatione, oratione et itineribus. 192, 193.
— curationum beneficiis 193
— fatigatione ex itinere, cum sederet super fontem 192
— pietate in Mariam Magdalenam, Zachæum, Matthæum, adulteram, et alios pœnitentes 194

Digitized by Google

Christi (de) triumphali ingressu in Jerusalem. 195
— venditione a Juda. 196, 292
— discessu a Matre. 198
— cœna ultima 198
— lotione pedum 199, 292
— dilectionis prædicatione 200
— institutione venerabilis Sacramenti. 199, 292.
— introitione in hortum 201
— contristatione et mœstitia. . . . 201
— oratione in horto. 203
— visitatione discipulorum 203
— consolatione paterna per Angelum. 204
— agonia et sanguineo sudore. 204, 293
— processione obviam hostibus. . . 205
— proditione per osculum Judæ. 206, 293
— sanatione auriculæ Malchi. . . . 206
— captura et mala tractatione . 207, 293
— ligatione 208
— derelictione a discipulis 208
— ductione ad Annam. . . . 209, 293
— alapa in domo Annæ 209
— falsa accusatione et Petri negatione. 209, 211.
— ductione ad Caipham . . . 210, 295
— accusatione falsorum testium . . 211
— blasphemiæ rei accusatione. . . 211
— damnatione, etc 212, 295
— alapæ ratione. 212
— consputione et velatione faciei . . 212
— blasphematione 213
— ductione ad Pilatum. . . . 214, 295
— accusatione coram Pilato 214
— ductione ad Herodem . . . 215, 295
— spretione ab Herode et reductione ad Pilatum 215, 216, 295
— comparatione cum latrone . 216, 296
— denudatione 217, 296
— ligatione ad columnam. . . 218, 296
— flagellatione 218, 296
— coronatione 219, 297
— salutatione Regis irrisoria. . 219, 297
— ostentatione populo, et Barabbæ posthabitione 220, 297
— damnatione ad mortem . . 221, 298
— vestium reindutione. 222
— Crucis bajulatione 223
— defletione 223
— associatione cum latronibus. . . 224
— Crucis angariatione a Simone Cyreneo 225
— vestium extractione. . . . 226, 299
— sessione super frigidum lapidem . 300
Christi (de) dolorum renovatione. . . . 226
— protrusione super Crucem . . . 300
— extensione in Cruce. . . . 228, 301
— crucifixione 229
— oratione pro inimicis . . . 230, 303
— Cruci titulo inscripto . . . 230, 304
— Crucis erectione 231, 303
— multiplici cruciatu tam interno quam externo in Cruce. . . . 304
— Cruci affixione tribus clavis . . . 231
— effusione sanguinis copiosa . 232, 306
— vestium divisione 233, 309
— blasphematione a prætereuntibus. 234, 307.
— inter latrones pendentia 234
— plagis innumerabilibus et livoribus. 235
— susceptione misericordissima latronis a dextris 309
— condolentia erga Matrem 236
— commendatione Matris discipulo Joanni 238, 312
— derelictione 240
— tenebris in Passione mundo affusis. 239
— siti et aceti potu . .223, 241, 242, 315
— consummatione 243, 315
— sensuum cunctorum prægravi in Cruce dolore 317
— amore, qui pro salute nostra tanta pati voluit, et in morte se etiam nobis totum impendit 320
— exspiratione 244, 317
— recognitione pro Filio Dei a centurione 245
— miraculis, terræ motu videlicet et cæteris 245
— transfossione lateris. 246
— mortis planctu 249
— longi pendentia post mortem in Cruce. 322
— depositione de Cruce . . . 248, 322
— corporis involutione in sindone . . 248
— sepultura 250, 322
— Matris dolore recedentis a tumulo. 251
— descensione ad inferos . . . 252, 236
— spoliis ab inferis 253
— Resurrectione et apparitione. 253, 254, 327, 328, 329.
— discipulorum eruditione . . 255, 329
— Ascensione. 256, 329
— Passionis fructibus 258
— missione Spiritus Sancti . . 256, 331
— Assumptione Matris in cœlum. 259, 331
— adventu ad judicium . . . 262, 331

Digitized by Google

Christo uti a Patre data sit omnis potestas in cœlo et in terra 330
Christum (ad) effusio cordis, beneficia Dei hominumque ingratitudinem summatim perstringens 16
Circumcisione (pro) mystica precatio . . 183
Cognitio divinorum quibus modis acquiratur 4
cognitione (pro) sui veraque humilitate. 184, 217, 260, 295.
cognitione (pro) imperfectionis propriæ . 329
collocutione (pro) dulci animæ cum Christo 361
commissis (pro) et commendatis precatio. 54
communionis indigne susceptæ deploratio 356
communionem (ante) orationes . . 99, 112
communionem (ante) exercitium purgatorium in quinque vulneribus Christi . . 101
communionem (ante) quænam petenda sint. 112
communionem (post) gratiarum actio generalis. 20
communionem (post) orationes . . 114, 115
communionem (post) oratio omnes Eucharistiæ virtutes complectens. 118
compassione (pro) precatio. 86, 181, 207, 298, 342, 359.
compassione (pro) erga Jesum crucifixum. 304
compassione (pro) erga crucifixum Deum et Matrem ejus. 372, 386
compunctione (pro) 298
concupiscibilis vis animæ ut reformanda sit 2
confessio divinæ excellentiæ et propriæ malitiæ accusatio. 332
confessio succincta mane et sero ruminanda. 82
Confessoribus (de) hymnus 449
confidentia (pro) in Deum precatio. 178, 241
confœderatis (pro). 55
conformatione (pro) Christi crucifixi precatio 46
conformatione (pro) vitæ suæ cum vita et Passione Christi 221
conformatione (pro) vitæ Christi et Matris. 260
conscientia aliquo singulari excessu gravata, quomodo cor ad Deum convertendum 12
constantia (pro) et fortitudine in adversis. 248
consuetudinem (adversus) quamcumque pravam 327
consummatione (pro) mystica. 43
contemptu (pro) sui et nescientia precatio. 190, 296.
contemptu (pro) rerum omnium. . . . 329
contritione (pro) vera precatio. 11, 84, 97, 181, 222, 332, 306, 312, 339.
conversione (pro) vera ad Deum precatio. 48
conversione (pro) suiipsius, sibi commissorum, cunctorumque christianorum. 56, 57, 58.
conversione (pro) peccatorum 257
cor quomodo custodiendum 2
cordis (pro) commutatione et perfectione ad B. V. Mariam precatio 37
Cordis (pro) Christi ejusque vulnerum jugi inhabitatione 321
cordis (pro) emollitione et compassione . 246
cordis (pro) mundatione et simplificatione. 247
cordis (pro) stabilitate et nuditate . . . 47
coronatione (pro) mystica. 219
Creatione (pro) gratiarum actio. . . . 167
creaturarum laudes referens Creatori hymnus 414
cruce (pro) religionis et abnegationis suaviter ferenda. 223
crucifixi imaginem inspicientis precationes. 87
Cubitum ituri preces. 53, 80
cunabula (ad) Jesu infantis adoratio supplex 180
curiositatem (contra) precatio. 7
custodia (pro) Dei Matris 173, 383

D

Defunctis (pro) precatio. . . 53, 55, 87, 252
delectabile quidpiam quando quis sibi subtrahere aut vitare voluerit, quid dicendum 28
desideriorum (pro) pravorum mortificatione oratio. 24, 383
detractiones (contra) et derisiones aliorum. 215
devotione (pro) in laudibus Dei 48
devotione (pro) in laudibus Dei et Matris ejus. 262
devotione (pro) ad V. Mariam. 169, 170, 250, 261.
devotione (pro) excitanda instructio brevis. 285
Deus, ut amoris sui abundantiam in nos declararet, diversis nominibus vocari voluit 71
Deus Patris nomen quam vere sibi usurpet. 71
Deus filios suos cur variis quandoque exponat miseriis 71

Digitized by Google

Dilectione (pro) Dei, proximi et inimicorum precatio 33, 303
dilectione (pro) Dei et proximi 34
discretionis (pro) spiritu, et in Dei providentiam submissione. 192
Donorum (pro) Dei augmento precatio. . 195

E

Ecclesiæ (pro) catholicæ omni statu precationes 53
Ecclesiæ (pro) catholicæ reformatione . 56, 59
Edens quænam exercitia aspirationesve assumere debeat 89
Effusio cordis, *vide* precatio.
effusiones sanguinis Christi septem quæ. 103
effusiones sanguinis Christi contra septem peccata mortalia 409
effusionum sanguinis Christi septem exercitium. 103
Elevationem (ad) hostiæ precatio . . . 112
elevationem (ad) calicis precatio. . . . 112
Emendatione (pro) vitæ vera precatio . . 308
Errantium (pro) ad viam veritatis revocatione 56
Evangelistis (de) hymnus 447
Eucharistiæ sacræ effectus sedecim qui . 115
Eucharistiæ (pro) devota et reverenti susceptione 200, 292
Eucharistiæ (pro) digna præparatione, susceptione et conservatione . . . 323, 355
Exercitium ad Cor D. N. Jesu Christi . . 62
— pro vitæ et Passionis Salvatoris beneficiis. 83
— vitæ et Passionis Christi ad modum rosarii. 126
— quinque dolorum Christi 66
— aliud purgatorium ad eadem vulnera 101
— quinque dolorum Matris ejus . . 68
— matutinum 81
— vespertinum 80
— ad communionem sacramentalem seu spiritualem præparatorium . 103
— ad sacrificandum aliud figuris Scripturæ Sacræ quadrans 106
— post communionem sacram . . . 114
— pro peccatorum pœnæ et culpæ remissione. 119
— aliud ad idem efficax 120
— divinæ laudis aliud ad idem efficax uti divinitus revelatum 122
exercitia vulnerum Christi. 64
Exercitia spiritualia ut varianda 271
— animæ devotæ templum ingressæ . 87
— inter edendum assumenda . . . 89
— inter operandum, vel exterius naturam exercendo 90
— ad digne celebrandum et communicandum 98
exiturus inter homines quomodo se commendare Deo debeat 92

F

Fame (pro) et siti spirituali 181
Fervore (pro) spiritus in Dei obsequio . . 182
Fide (pro), spe et charitate precationes. 32, 97, 180, 232, 255.
fidei (pro) constantia et fortitudine animi. 258
fidelitate (pro) et gratitudine precatio. 44, 323
fidelitate (pro) filiali. 198
fidelitate (pro) et amore ad Dei Matrem. 177, 261.
Flexibilitate (pro) cordis humani . . . 96
Fortitudine (pro) animi in adversis. 40, 203, 204, 208.

G

Gaudii (pro) infusione 326
Georgii (S.) martyris vita laudesque . . 434
Glorificatione (pro) animæ post hanc vitam 330, 331
Gratiæ (pro) divinæ illustratione et virtutum incremento 37
gratitudine (pro) precatio. 44, 167, 323, 365, 374.
Gula spiritualis uti cavenda 3
gula spiritualis quam sit periculosa . . 3
gulam (contra) precatio. 410

H

Hieronymi (S.) vita et res gestæ. . 434, 435
Honoris ubi quidpiam tibi offertur, aspiratio 92
Horarum (ad) canonicarum initium, precationes 93
Horas (ad) canonicas precationes itidem septem 96
Horas (ad) canonicas septem effusiones cordis. 93
Horis (in) canonicis pro admissis negligentiis. 97, 98
horologii (ad) signum precationes . . . 83
Hugonis (S.) episc. Lincolniensis, cartusiani, laudes 438

Digitized by Google

humiliatio sui 425
humiliatione (pro) precationes 38
humilitate (pro) precationes. 39, 180, 184, 189 199, 217, 260, 295, 344, 353, 410.
Hymnus ad B. V. Mariam, quem Angeli cecinisse auditi sunt 428
hymnus deprecatorius ad B. V. Mariam. 429
hymni alii ad eamdem 428
hymnorum usus antiquus et celebris in Ecclesia 391
hymnorum utilitas 391

I

Ignem ubi vides, aut sentis calorem, aspiratio 92
ignorantia (pro) et stultitia felici. . . . 216
Illuminatione (pro) mentis et ebrietate amoris Dei 35
Illuminatione (pro) sui precatio. 168, 240, 255, 261.
Imitatione (pro) vitæ Christi precatio. 36, 292, 330.
imitatione (pro) vitæ et morum B. Mariæ. 173, 386.
Incarnatio Filii Dei ex Virgine Maria, per prophetas prædicta 169
Incarnatione (pro) Filii Dei pœnalitatumque generis humani assumptione gratiarum actio. 291
inclinationum (pro) malarum exstinctione. 383
injuria aut improperium dum irrogatur oratio 27
injuriam (ad) aut aliquam pressuram sustinendam resignatio 27
injuriarum (pro) patienti perpessione . . 209
innocentia (pro) vitæ precatio. 47
inobedientiæ in Religione commissæ deploratio 348
intentio quævis quam debeat esse pura . 3
intentione (pro) simplici in quolibet opere. 44, 318, 339.
intentione (pro) recta 374
intractione (pro) in Deum 329
invidiam (contra) 410
Iram (contra) 410

J

Jacobi (S.) Majoris apostoli vita, passio et laudes. 433
Joannis Baptistæ (S.) vita et præconium . 431
Joannis (S.) apostoli et evangelistæ vita, laudes et sanctitas. 432
Joseph edocetur divinitus de Incarnationis mysterio 178
Joseph peregrinatur cum V. Maria in Judæam 179
Joseph nutrit Salvatorem 186
Judicatione (pro) suiipsius. 298
judicia (contra) perversa 212
judicia (contra) temeraria. 214
Judicium (ad) extremum pro præparatione 263
justis (pro) in mundo constitutis precatio. 54

L

Lacrymarum gratiam, contritionem, compassionem et amorem ut quis consequatur, oratio 181, 188, 205, 224
lacrymis (pro) contritionis et pœnitentiæ precatio 191, 210
lacrymis (pro) compassionis et emollitione cordis. 246
lætitiam (adversus) dissolutam 294
laudem (in) Dei ut omnia convertantur, oratio 259
Lectum intrantis oratio. 80
Leonis X Papæ indultum circa defectus in Horis canonicis commissis 98
levitatem (adversus) et omnem tristitiam oratio 202
ligatione (pro) spirituali 208
linguæ varia delicta 29
linguæ (pro) refrenatione 215, 361
lumen divinum uti in anima operetur . . 78
lumine (pro) gratiæ precatio. 328

M

Malevolentiam (adversus) omnem precatio. 206
mandatorum (pro) Dei impletione . . . 43
manipulum dum induit sacerdos, oratio . 108
mansuetudine (pro) precatio 295
mansuetudine (pro) erga inimicos . . . 230
manus quando lavat celebraturus, precationes 109
Maria (B. V.) quibus verbis frequenter compellanda 139
— in Matrem Dei ab æterno præelecta. 168
— figuris quibusnam præfigurata . . 168
— concipitur 169
— macula ab omni præservata. . . 170

Digitized by Google

Maria (B. V.) virtutibus omnibus condecorata 170
— nata mundo 171
— pulcherrima 172
— in templum oblata 172
— qualiter in templo conversata . . 173
— virtutibus præfulget. 173
— virginitatem vovit 173
— Josepho desponsatur 174
— orationibus dedita est. 174
— ab Angelo salutatur 175
— salutata turbatur 175
— concipit de Spiritu Sancto . . . 176
— Christum novem mensibus gestat in utero. 177
— visitat Elisabeth 177
— condolet Josepho. 178
— peregrinatur in Judæam. . . . 179
— parit Christum 179
— genitum adorat 179
— lactat et fovet. 180
— condolet inopiæ et miseriæ Filii. . 181
— congaudet Angelis et pastoribus . 182
— castissima est. 182
— ex circumcisione Filii dolore maximo afficitur 183
— nutrit Salvatorem 186
— adstat sub Cruce et commendatur Joanni. 238, 312
— mœsta recedit a monumento Filii. 251
— superstes post obitum Filii permanet cum Ecclesia fidelium . . 258
— transit ex hac vita 259
— assumitur in cœlum. 259
— exaltatur super omnes Angelorum choros 260
— Trinitati cessione est proxima . . 260
— Sanctis cæteris magis refulget . . 261
— imperio ejus omnes parent cœlicolæ. 261
— orat pro nobis in cœlo 261
— concordat sanctissimæ Trinitati. . 261
— gaudia ejus nunquam decrescunt . 262
— benedictissima quomodo inter claras mulieres prædicetur . . . 419
— quæ ex compassione Filii in Passione sustinuerit 425
Mariæ (B. V.) mœrores 337
— mœror ex revelatione passionis Filii ipsi valedicentis 337
— ex contristatione Filii usque ad mortem et sudoris sanguinei . . 338
— ex traditione et coangustatione Filii. 340
— ex captura, ligatione et fuga discipulorum. 342
Mariæ (B. V.) mœror ex adductione ad Annam, inflicta alapa et terna Petri negatione 346
— ex ductione ad Caipham, ibique accusatione blasphemiæ et damnatione 351
— ex mala tractatione in domo Caiphæ 354
— ex ductione ad Pilatum, ibidemque falsa incusatione. 357
— ex deductione ad Herodem, et abinde in veste alba reductione ad Pilatum 360
— ex denudatione Filii et flagellatione. 362
— ex coronatione ejus, indutione purpuræ, et datione arundinis, aliisque illusionibus 364
— dum a Præside Filius ejus excruciatus populo spectandus exhiberetur, et ab eodem ad Crucis supplicium expostularetur, manibusque eorum damnatus traderetur. 366
— dum morti adjudicatus latronibus associaretur, et Crucem ad Calvariæ montem bajularet . . . 369
— ex nudatione, extentione super Crucem, et manuum ac pedum perforatione. 371
— dum elevatus in Cruce medio duorum latronum suspenderetur, blasphemaretur et illuderetur . 373
— dum vestes dividi, ipsum distentum, lacerum et deformatum, undique cruorem defluere conspiceret. 375
— dum Joannem sui loco ipsi in Filium commendaret et eam Joanni . . 377
— dum Christus se derelictum et sitire clamaret, spiritum Patri commendaret, dissolveretur et lancea confoderetur 380
— dum de Cruce depositum eum sinu excipit et perlustrat, atque eo sepulto per loca passionis mœsta domum revertitur 384
Mariæ (B. V.) glorificationes 400
— gaudia corporalia septem. . . . 427
— gaudia spiritualia septem. . . . 427
— gaudia quinquaginta 417
— gaudia quindecim 420
Mariæ (B.) dolores septem. 425
— privilegia duodecim quæ. . . . 138
— vita 397
— dolores compassi Filii in Passione. 398

Digitized by Google

Mariam (ad B.V.) precatio cum Corde Jesu 64
— pro abnegatione sui perfecta. 262, 370, 372.
— adoptionis gratia, protectione et auxilio toto vitæ decursu et in articulo mortis. 338 379
— amore, devotione et laude ejusdem Virginis 169, 175
— amoris creaturarum suffocatione . 174
— anima migrante ut in curam sui suscipiat. 158
— animæ venustate. 172
— auxilio in extremis vitæ 243
— beneplaciti divini impletione. . . 44
— castitate mentis et corporis. 170, 174, 182.
— charitate proximorum. 174
— compassione dolorum Filii . 351, 368
— compassione erga Christum crucifixum ejusque Matrem 386
— custodia Dei Matris. 383
— Eucharistiæ fructuosa susceptione. 356
— fidei, spei et charitatis augmento . 180
— fidelitate et gratitudine 44
— fidelitate et amore 177
— fidelitate et devotione 261
— gratitudine cordis et operis, pro beneficiis Dei 374
— humilitate suique cognitione. 260, 344, 353.
— illuminatione mentis 261
— imitatione ejusdem 386
— intentione recta. 374
— lacrymarum gratia, contritione et compassione 181
— linguæ custodia. 361
— munditia mentis et corporis . . 249
— nativitate spirituali 171
— obedientia 348
— odio sui sancto 344
— Passionis Christi et Virginis Mariæ impressione. 368
— patientia in adversis. . . . 342, 365
— paupertate spiritus. 179
— peccatorum expiatione. . . 31, 363
— peccatorum præservatione . . . 32
— perseverantia fideli in tribulatione. 370
— purificatione cordis ab omni prava affectione et amore creaturarum. 376
— puritate et simplicitate cordis . 48, 180
— quæsitionis propriæ mortificatione. 182
— reconciliatione sui 30, 368
— reformatione veteris hominis. . . 372
Mariam (ad B. V.) pro refugio in adversis et in morte 254
— resignatione omnium quæ extra Deum sunt. 372
— resignatione animi . . . 45, 239, 363
— sanctificatione animæ et corporis. 37
— simplicitate 178, 359
— statu suscipiendo. 286
— superbiæ exstirpatione. . . 344, 353
— tentationum et peccatorum tutela. 32
— veneratione filiali erga Matrem Christi 261
— veritatis infusione 353
— vilitatis propriæ cognitione . . . 176
— vitæ felici directione. 260
— vitiorum, desideriorum et inclinationum pravorum exstinctione et mortificatione 31, 383
Maria Magdalena (de S.) hymni ad Horas canonicas. 439
Mariæ (S.) Magdalenæ rosarium mysticum, de ejus præcellentiis 155
martyres propter Evangelium varias mortes subiere 258
martyribus (de) hymnus 448
matutinum exercitium. 81
Meditandum ut sit sine imaginibus. . . 270
memoriæ vivorum in Missa servandæ brevis formula 109
memoria mortuorum 110
merita Christi quomodo nobis applicanda 79
meritorum (pro) virtutumque Christi participatione 330
Missæ sacrificio ut multi participes fiant, effusio cordis 99
mititate (pro) 40, 342, 344
Morte (pro) felici precationes. 86, 158, 238, 259, 243, 254, 259, 296, 318, 324, 338.
mortificatione (pro) suiipsius et omnium creaturarum. 306, 318
morum (pro) reformatione. 209
mundanarum (pro) rerum contemptu. . 53

N

Nativitate (pro) spirituali precatio . . . 171
naturæ (pro) spiritusque nuditate . . . 233
naturæ (pro) et vitiorum morte felici. . 244
Nominis (pro) divini reverentia 211
novum quid videns, quomodo mentem in Deum elevare debeat. 91

Digitized by Google

Nuditate (pro) paupertateque spiritus. . 218, 226, 233, 302.

O

Obedientia (pro) perfecta precatio. 42, 189, 328, 348.
oblatio sub missæ sacrificio. 111
— Christi crucifixi ad Patrem. . . 111
— sui in beneplacitum Dei 176
oblatione (pro) mysticorum munerum. . 184
oblivione (pro) spirituali et morte temporalium. 186
Occurrentia vel non occurrentia quomodo in laudem Dei convertenda. 91
Odio (pro) sancto suiipsius . . . 211, 344
Opera nostra uti Christi operibus unienda sint. 5
Osculum (ad) vulnerum Christi aut ejus misericordissimi Cordis aspiratio. . . 414

P

Pace (pro) pectoris precatio. 328
parentum (pro) salute 55
passionum (pro) animæ reformatione. . 24
passiones nostras quomodo Christi passionibus unire debeamus 79
passionibus (de) D. N. J. C. hymnus. 395, 413
patiendum (inter) sui oblatio et commendatio ad Deum. 28
patientia (pro) precationes. 40, 85, 97, 185, 231, 295, 296, 298.
— ad accusationes et vituperia. . . 215
paupertate (pro) 42, 300, 348
— et charitate. 42
— spiritus . . 41, 97, 180, 187, 218, 226
Peccata (contra) precationes. 30
peccatis (pro) oblatio abunde satisfactoria 13, 363
— oblatio passionum Christi. . . . 96
peccatorum (pro) remissione precationes. 7, 13 120, 251, 312, 339.
perfectionis christianæ vitæ summam complectens hymnus. 452
pœnitentia (pro) digna pro peccatis. . . 235
pœnæ (pro) et culpæ remissione exercitium 119, 120
Petrum (ad S.) pro spe veniæ precatio. 12
pœnitentiam (ad) exhortatorius hymnus. 451
Prata contemplantis aspiratio. 91
præservatione (pro) a peccatis precatio. 25, 301.
præservatione (pro) a desperatione in morte. 301
privilegia duodecim B. V. Mariæ. . . . 138
protectione (pro) spirituali adversus pericula 230
proximo (pro) 55
promptitudine (pro) implendi beneplacitum Dei 96
Pulchrum aut delectabile quid videns, quomodo cor in Deum elevare debeat. 91
pulchritudine (pro) animæ. 172
puritati corporis quantopere studendum . 6
puritate (pro) cordis. 47, 85
— animi 47, 213, 326
purificatione (pro) cordis ab omni vitiosa affectione et amore creaturarum. . 376

Q

Quotidiana cordis effusio pro iis qui nequeunt Deo multum diu vacare . . . 21

R

Rancorem (adversus) omnem precatio. . 216
Reconciliatione (pro) sui precationes. 30, 308, 318, 368.
reformatione (pro) veteris hominis . . . 372
refugio (pro) in adversis et morte precatio ad B. Virginem 254
relictione (pro) et in Deum confidentia. . 178
resignatio ad B. V. Mariam 239
— sui totius, in Christi voluntatem. 363
— omnium quæ extra Deum sunt. . 372
resignatione (pro) vera animi. . 44, 185, 204, 220. 241.
reverentiam (ad) Deo exhibendam et devotionem excitandam institutio . . . 285
Rosarium vitæ et Passionis dominicæ. . 126
— aliud brevius. 132
— aliud brevissimum. 135
— mysticum ad B. V. Mariam de vita et Passione Christi 150
— aliud vitæ et Passionis Christi et Virginis Mariæ rythmicum. . . 405

S

Sacrificans quomodo se exercere debeat sub Missæ sacrificio. 109
— post Missæ sacrificium, quomodo

Digitized by Google

se habere debeat. 114
sacrificaturus uti spiritum suum colligere debeat, et intentionem celebrandi formare 100
— Chananæam quomodo imitare debeat 106
— Centurionem quomodo imitare debeat 106
— Ruth quomodo imitare debeat . . 107
— Zachæum quomodo imitare debeat. 107
— Matthæum quomodo imitare debeat. 107
— Martham et Mariam quomodo imitare debeat. 108
— dum se sacris induit vestibus orationes 108
sacrificaturi effusio cordis devotissima. 99, 100, 101.
— exercitium purgatorium in quinque vulnera Christi 101
— exercitium præparatorium in septem effusiones sanguinis Christi contra septem peccata mortalia . 103
— exercitium aliud figuris Sacræ Scripturæ quadrans 106
salvatione (pro) 298
sanctificatione (pro) animæ et corporis, ad B. Mariam Virginem precatio. . . 37
sanctimonia (pro) cordis 35
Sanctis (pro) in mundo 53
— in cœlo laudatio Dei. 54
Sanctos (ad) omnes supplicatorius hymnus 450
sanguis (ut) Christi in omnes Ecclesiæ filios exundet. 376
sanguinis (in) Christi effusiones septem, exercitium præparatorium ad communionem 103
sapientia vera uti acquirenda. 3
satisfacere quomodo quis pro peccatis suis possit 102
satietate (pro) mystica animæ 35
satisfactione (pro) peccatorum 339
Scapulari dum se induit sacerdos, et stringit se funiculis oratio. 108
scintillæ amantis Deum animæ flammigeræ 50
seipso (pro) precatio. 53, 54
sensuum (pro) passionumque animæ reformatione 24
— mortificatione. 411
— viriumque animæ reformatione. 43, 329
— affectionum crucifixione 229
serenitas aeris ubi oblectat aspiratio . . 91
Simeon Cyrenæus portat post Christum Crucem 225
Simeonis (de S.) prophetia oratio . . . 137
sinplicitate (pro) vera et innocentia precationes 47, 48, 213, 359
siti (pro) animæ spirituali precatio . 70, 181
— divini honoris. 187
spiritus (pro) innovatione et compassionis. 227, 329.
Spiritus (pro) Sancti infusione et illuminatione 257, 331
— donis. 327
Spiritum (ad) Sanctum, beneficia Dei hominumque ingratitudinem breviter perstringens effusio cordis. 19
— aspiratio supplex 49
Stabilitate (pro) precatio 47, 251
statu (pro) suscipiendo precationes. . . 286
stola dum induitur sacerdos 109
strenuitate (pro) in Dei servitio 302
stultitia (pro) quadam laudabili. . . 38, 216
Subjectione (pro) humili 38
sufferentia (pro) æquanimi in adversis. 218
suggestionibus malis subrepentibus, quomodo orandum 23
superbiæ (pro) et fastus exstirpatione precatio 24, 298, 344, 409
superbiæ admissæ deploratio. 353
suspiciones (contra) et prava judicia. . 112
suspiratio ad Dei Matrem. 430
suspiria gementis animæ pro peccatis suis ad Deum. 10
Symboli apostolici explanatio 76

T

Taciturnitate (pro) inter calumnias et accusationes 211
Temporalium (pro) rerum sitis exstinctione 26
templum ingressi exercitia. 87
— egredientis exercitia. 88
tentatione perseverante resignatio animi efficax. 26
tentationes adversus precatio. 191
tentationis tempore precatio ad Christum 30
— ad B. V. Mariam. 30
tentationum (pro) et peccatorum tutela ad B. V. Mariam 32
tentatis (pro) et afflictis. 55
Threni B. V. Mariæ ex compassione Filii. 337
Timore (pro) casto et filiali . . . 213, 304
Tribulationis tempore imploratio divini

Digitized by Google

auxilii 29
tribulationis (pro) cruce perseveranter bajulanda 370
tribulatione gravato quid faciendum et quomodo orandum 28
— quid cogitandum. 28
tribulatione (in) pro confortatione precatio 29
tribulatis (pro). 53
Trinitatis (SS.) hymnus. 393
— alius hominem in Deum transformans 394
Trinitatem (ad SS.) Dei beneficia hominumque ingratitudinem summatim perstringens effusio cordis 16
— precatio matutina 81
tristitiam (adversus) omnem inordinatam. 202, 294.
triumpho (pro) contra inimicos 327

U

Unanimitate (pro) fidelium cunctorum. . 35
Undecim millium virginum martyrium et laudes. 446
unione (pro) animæ cum Deo . 35, 306, 321
— anxia animæ cum Deo. 256

V

Vanitatem (adversus) precatio 26
Veneratione (pro) filiali erga Matrem Christi 261
veritatis (pro infusione). 353
vespertinum exercitium 80
Vilipensione (pro sui) precatio 38
vilitatis (pro) propriæ agnitione. 38, 176, 180, 344.
virginitas fructus Passionis dominicæ et Evangelii 258
virginibus (de), Martyribus et continentibus hymnus. 449
virium (pro) animæ reformatione . . 43. 329
— corporis et animæ impensione in laude et obsequio divino . . . 97
virtutum (pro) omnium perfectione. . . 35
— quotidiano incremento. 37
— perfectione. 228
— infusione 308
virtutum (pro) christiformium imitatione. 96
— vinculis 218
— progressu 225
virtutibus (pro) et imitatione vitæ Christi precatio 300
Vita (de), Passione et Glorificatione J. C. et B. V. Mariæ hymnus 397
hymnus aureus seu rosarium rythmicum. 405
Vitæ et Passionis Christi meditationis fructus 169
vita (de) et Passione Christi 169
— rosarium mysticum ad B. V. Mariam 150
— exercitium quinquaginta veniarum. 83
— aliud ad modum rosarii 126
— aliud brevius. 132
— aliud brevissimum 135
— et Matris ejus exercitiorum epitome 273
vitæ (pro) Christi imitatione precatio . . 300
— melioris incremento. 192
— novitate et vitiorum morte . . . 253
— felici directione 260
vita sancta uti obtineatur 79
vitam (in) et Passionem Christi et B. Virginis theoriæ centum quinquaginta. . 167
vitiorum (pro) mortificatione. 31, 302, 327, 383
— et naturæ morte felici. 244
— et vitæ novitate 253
vitiis impugnantibus quomodo orandum . 23
Vocationis (pro) consummatione. . . . 308
voluntas (ubi) pro opere judicetur . . . 4
voluntatis (pro) Dei agnitione precatio . 44
— impletione 201, 245
— consummatione 43, 316
— propriæ abnegatione 26, 339
Vulnera (ad) Christi aspiratio. 70
— precatio. 70
vulnera (in) Christi exercitium quotidianum 101
vulnerum (pro) Christi in animam impressione precatio 70
— inhabitatione jugi 321

Z

Zelo (pro) honoris divini precatio. 35, 193, 194
— salutis animarum 194
— legis divinæ 198
Zona dum se succingit sacerdos precatio. 108

Digitized by Google

INDEX

OPUSCULORUM HUJUS VOLUMINIS

PHARETRÆ DIVINI AMORIS LIBER PRIMUS.

Pars prima complectens in se effusiones cordis, orationes aspirationesque varias pro expiatione peccatorum 7

Effusio cordis generalis pro peccatis remittendis, excitans et humilians spiritum vehementer ad compunctionem . . . 7

Effusio cordis alia, seu meditatio animæ, peccata et ingratitudinem suam coram Deo plangentis, et sui reconciliationem atque purgationem flagitantis, cum aliis id genus suspiriis, quæ digna sunt etiam frequentari ab Eucharistiam sumpturis 9

Suspiria gementis animæ pro peccatis suis ad Deum clamantis 10

Pro vera contritione a Deo obtinenda precatio cumprimis frugifera. . . . 11

Pro peccatorum indulgentia precationes duæ 12

Ad S. Petrum pro spe veniæ, precatio . 12

Quando aliquo singulari excessu gravata est conscientia, precatio. 12

Alia brevis oratio. 13

Oblatio ad Patrem cœlestem pro peccatis abunde satisfactoria 13

Pro reconciliatione peccatoris et peccatorum venia, precatio efficax 13

Pro peccatorum remissione aliæ precationes efficacissimæ 14, 15

Pars secunda complectens in se effusiones cordis ad Deum, gratias agentis pro beneficiis ab eodem acceptis, seseque ad sui humiliationem exercentis, et veniam peccatorum petentis 16

Effusio cordis efficacissima ad sanctissimam Trinitatem, Dei beneficia hominumque ingratitudinem summatim perstringens 16

Effusio seu meditatio alia gratias agentis pro beneficiis Dei generaliter, haud incongrue post Eucharistiæ sumptionem exercenda 20

Effusio cordis quotidiana, pro iis qui officiis aut occupationibus implicati, nequeunt Deo multum diu vacare . . . 21

Pars tertia comprehendens in se adversus dæmonum insultus ac suggestiones, vitiorum ac peccatorum oppugnationes, remedia præsentissima 23

Ubi quis malas suggestiones senserit, precatio 23

Contra impugnationes vitiorum precationes duæ 23

Pro desideriorum pravorum mortificatione precatio 24

Adversus omnem superbiam et fastum precationes duæ 24

Pro sensuum passionumque animæ reformatione precatio 24

Pro abstractione mentis a creaturis precatio 25

Pro præservatione a peccatis precatio. . 25

Pro voluntatis propriæ abnegatione precatio 26

Pro sitis temporalium rerum exstinctione precatio 26

Contra omnem vanitatem et curiositatem sensuum precatio 26

Resignatio animi efficax, dum tentatio quævis mentem impugnans perseverat, nec aliqua spes liberationis superest. . 26

In adversitate imminente precatio. . . 27

Quum improperium irrogatur aut injuria. 27

Resignatio alia ad sustinendam injuriam aut aliquam pressuram. 27

Inter patiendum sui oblatio atque commendatio ad Deum 28

Gravato pressura aut tribulatione, quo-

Digitized by Google

modo ad crucifixum Salvatorem recurrendum 28
Quando aliquid tibi quod delectabile est, subtrahere aut vitare volueris, precatio. 28
Pro imploratione divini auxilii tempore adversitatis et tribulationis precatio . 29
Pro confortatione in tribulatione precatio. 29
Adversus incontinentiam linguæ et sensuum precatio 29
Contra peccata oratio 30
Ad B. Mariam Virginem ipso tentationis tempore precatio. 30
Pro sui reconciliatione et peccatorum indulgentia, ad eamdem precatio. . . 30
Pro peccatorum expiatione, alia ad eamdem 31
Pro vitiorum mortificatione, alia ad eamdem 31
Pro tentationum et peccatorum tutela, alia ad eamdem 32
Pro peccatorum præservatione, alia ad eamdem 32
Pro exstinctione mundani amoris, alia ad eamdem 32

Pars quarta continens in se varia exercitia et precationes pro virtutum infusione castigationeque vitæ in vitiis transactæ. 33

Pro fide, spe et charitate precationes duæ. 33
Pro dilectione Dei, proximi atque inimicorum precatio. 33
Pro divina proximique charitate precatio. 34
Pro divino amore precationes duæ. . . 34
Pro incremento divini amoris precatio . 34
Pro illuminatione mentis ac ebrietate amoris Dei precatio 35
Pro divini honoris zelo contemptuque rerum pereuntium precatio. 35
Pro animæ mystica satietate precatio. . 35
Pro unione animæ cum Deo precatio. . 35
Pro unanimitate cunctorum fidelium precatio 35
Pro integritate sanctimoniaque cordis et virtutum omnium perfectione precatio. 35
Pro virtutibus et imitatione vitæ Christi precatio 36
Aspiratio pro divina charitate obtinenda . 36
Pro Dei amore ad Deiparam Virginem Mariam precatio 36
Pro sanctitate animæ et corporis ad eamdem precatio 37
Pro cordis commutatione et perfectione ad eamdem. 37
Pro amore Dei et proximi, ad eamdem . 37
Pro divini amoris repletione, ad eamdem precatio 37
Pro divinæ gratiæ illustratione et virtutum quotidiano incremento precatio. . 37
Pro sui humiliatione. 38
Pro humili subjectione. 38
Pro stultitia quadam laudabili 38
Pro propriæ vilitatis agnitione 38
Pro sui vilipensione 38
Pro humilitate precationes duæ. . . . 39
Pro patientia 40
Pro abnegatione et patientia in adversis . 40
Pro mititate. 40
Pro fortitudine animi in adversorum perpessione 40
Pro paupertate spiritus, et amoris rerum temporalium mortificatione 41
Pro paupertate et charitate 42
Pro paupertate alia precatio 42
Pro perfecta obedientia. 42
Pro sensuum viriumque animæ reformatione 43
Pro mandatorum Dei impletione. . . . 43
Pro divinæ voluntatis consummatione. . 43
Pro intentione simplici quolibet in opere . 44
Pro divini beneplaciti impletione ad B. V. Mariam precatio 44
Pro fidelitate et gratitudine, ad eamdem. 44
Pro Dei voluntatis agnitione et vera animi resignatione. 44
Pro plena suiipsius abnegatione et animi resignatione 45
Resignationes animi ad Dei Matrem tres. 45, 46
Pro crucifixi Christi conformatione et perseverantia 46
Pro vera simplicitate et vitæ innocentia . 47
Pro puritate et simplicitate cordis . . . 47
Pro puritate animi 47
Pro cordis stabilitate et nuditate . . . 47
Pro devotione stabilitioneque cordis in laudibus Dei, ad B. Virginem 48
Pro puritate et simplicitate cordis, ad eamdem 48
Pro vera ad Deum conversione 48
Aspirationes ad Deum devotæ. 49
Scintillæ animæ amantis Deum flammigeræ 50
Pro omni statu Ecclesiæ precationes diversæ 53
Pro Ecclesiæ catholicæ reformatione et errantium animarum revocatione ad viam veritatis 56

Digitized by Google

Effusio cordis pro suiipsius, sibi commissorum cunctorumque christianorum conversione et correctioris vitæ prosecutione. 56
Pro cunctorum christifidelium vitæ castigatione, per septem extrema verba Christi in Cruce, precatio. 57
Pro cunctorum christifidelium conversione, alia precatio 58
Supplex per cuncta Christi Jesu humanitatis mysteria et insignia, pro omnibus Ecclesiæ statibus reformandis, precatio. 59

Pars quinta complectens in se exercitia piissima, non modo religiosis, verum cunctis fidelibus necessaria, quibus spiritus noster in seipsum colligi et transformari in Deum possit. 62

Exercitium ad piissimum et fidelissimum Cor D. N. Jesu Christi. 62
Exercitia precationesque ad sacratissima quinque vulnera D. N. Jesu Christi, quæ mirum in modum mentem humanam expurgant, illuminant ac in Deum transformant 64
Exercitium aliud ad eadem vulnera . . 65
Exercitium aliud valde devotum in quinque vulnera Christi et in quinque dolores piæ Matris ejus 66

PHARETRÆ DIVINI AMORIS LIBER SECUNDUS.

Pars prima complectens in se explicationem meditationemque brevem in Orationem dominicam, Salutationem angelicam et Symbolum Apostolorum . 74

Explanatio ac pia meditatio in Orationem dominicam 74
Explanationes ac piæ meditationes in Salutationem angelicam 75
Explanatio ac pia meditatio in Symbolum Apostolorum 76
Basis seu fundamentum totius humanæ salutis. 78
Christi merita ut nostra fiant, quomodoque nostras actiones et passiones Christi actionibus et passionibus unire debeamus, institutio succincta 79

Pars secunda complectens in se exercitia effusionesque cordis, quibus anima quæcumque devota die noctuque possit ex singulis quæ occurrunt invenire vel materiam orandi, vel occasionem elevandi se ad Deum 80

Conscientia uti sero sit examinanda. . . 80
Dormitum concessuri precatio 80
Lectum intrantis 80
Antequam obdormias, oratio 80
Somno irruente 81
Post somnum 81
Quando mane surgis. 81
Mane quando surrexisti 81
Egressus de lecto. 81
Ad B. V. Mariam, precatio. 81
Ad supersanctissimam Trinitatem adoratio supplex 82
Salutatio matutina supplex ad æternam Sapientiam 82
Confessio succincta mane et sero devote ruminanda 82
Quando horarum auditur signum, precationes 82. 83
Exercitium quinquaginta veniarum seu adorationum ad Jesum, pro beneficiis vitæ et Passionis ejus devotissimum . 83
Exercitia cujusmodi assumere debeat anima quævis devota templum ingressa, vel in eodem jam constituta. 87
Antequam templum ingrediaris veniæ seu genuflexiones sex. 88
Exercitia aspirationesque inter edendum assumenda 89
Exercitia aspirationesque inter operandum vel exterius naturam exercitando. 90

Pars tertia complectens in se, uti horæ canonicæ sint a cunctis Ecclesiæ Dei ministris persolvendæ : qua item ratione eædem possint ad D. N. Jesu Christi referri vitam Passionemque 93

Effusiones cordis ad septem Horas canonicas accommodandæ 93
Ad Horas canonicas septem, precationes itidem septem piæ juxta ac devotæ. . 96

Pars quarta complectens exercitia quibus quisque sese digne ad celebrandum sive communicandum possit præparare. Modus item quomodo multi sacrificii Missæ participes fieri possint 99

Effusio cordis devotissima ante altaris accessum, ut multi sacratissimi officii Missæ participes efficiantur. 99
Sacrificaturus uti spiritum suum debeat

Digitized by Google

colligere, intentionemque celebrandi formare 100
Effusiones cordis aliæ ante Missam seu sumptionem Eucharistiæ 101
Exercitium purgatorium quotidianum in quinque vulneribus Christi ad sacrificandum, aut ad Eucharistiam sacram sacramentaliter spiritualiterque sumendam ituro congruum. 101
Exercitium præparatorium ad communionem sacramentalem seu spiritualem, et etiam ad celebrationem Missæ, in septem effusiones sanguinis Christi, quibus contra septem peccata mortalia, septem virtutes ac beatitudines applicantur, distinctum. 103
Exercitium aliud sacrificantium, figuris Sacræ Scripturæ quadrans, quod ante aut etiam post sacrificium vel sub sacrificio Missæ, ubi vacat tempus, est mente ruminandum 106
Interim quod sacerdos sacrificaturus sacris se induit vestibus, orationes devotissimæ ore aut mente ruminandæ . . 108
Sub divinissimo Missæ officio, uti se quisque celebrans exercere debeat. . . . 109
Ante communionem sacratissimam quænam petenda sint. 112
Exercitia post Missam seu communionem. 114
Eucharistiæ sacræ effectus, virtutes seu operationes sedecim: pro quibus assequendis aspirationes ad Deum sunt frequentandæ 115
Oratio, omnes Eucharistiæ virtutes complectens, post Missam aut communionem breviter utiliterque ruminanda. . 118
Exercitia varia pro remissione peccatorum 119
Exercitium devotum juxta ac efficax pro plena peccatorum a pœna et culpa, ut habet certa divinitus facta revelatio, expiatione et remissione, maxime si ferventi charitate continuetur. 119
Exercitium aliud ad idem ad quod præcedens efficax 120
Pro remissione omnium peccatorum precatio 120
Exercitium divinæ laudis, per quod obtinetur indulgentia omnium peccatorum, uti divinitus revelatum reperimus 122

Pars quinta exercitiis piissimis rosariisque ac sertis mysticis de vita, passione, glorificatione ac gaudiis D. N. Jesu Christi Virginisque Mariæ referta. . . . 125

Exercitium vitæ et Passionis Jesu Christi, ad modum Rosarii, quinquaginta articulis et totidem oratiunculis distinctum . . 126
Rosarium vitæ et Passionis Jesu Christi quinquaginta articulis, totidemque aspirationibus distinctum et in breve compendium redactum, pro iis, quibus præcedens prolixius forte videri possit . . 132
Rosarium vitæ et Passionis Christi brevissimum. 135
Ad Christum Jesum in septem dolores præcipuos beatissimæ Virginis Mariæ, ex Passione ejusdem vehementer afflictæ, precationes 137
Duodecim privilegia seu prærogativæ B. Mariæ Virginis quæ singularem illi perpetuamque lætitiam afferunt 138
Psalterium mysticum B. Virginis Mariæ, Rosariis sive quinquagenis tribus partitum 139
Rosarium mysticum ad beatissimam Virginem Mariam ex quinquaginta articulis vitæ ac Passionis Christi cum suis orationibus consertum 150
Rosarium mysticum de præcellentiis, donis gratiisque B. Mariæ Magdalenæ a Deo collatis 155
Effusio cordis ad B. V. Mariam ob necem Christi. 157
Pro felici morte ad B. V. Mariam precationes 158
Ut B. Maria in suam curam migrantem animam suscipiat, precatio. 158
Salutatio ad B. Mariam efficacissima . . 159

THEORIÆ CENTUM ET QUINQUAGINTA IN ORTUM, VITAM, PASSIONEM GLORIFICATIONEMQUE D. N. JESU CHRISTI ET VIRGINIS MARIÆ IN QUINQUAGENAS TRES DISTRIBUTÆ.

Quinquagena prima Theoriarum, in temporalem ortum, processum et conversationem D. N. Jesu Christi beatissimæque Matris ejus. 167
Quinquagena secunda Theoriarum in Passionem agonemque Jesu Christi et mœstissimæ Matris ejus dolores 196
Quinquagena tertia et ultima Theoriarum vitæ et passionum Jesu Christi dolorumque mœstissimæ Matris ejus. . . . 228

Digitized by Google

EPITOME EXERCITIORUM CENTUM VIDELICET ET QUINQUAGINTA ARTICULORUM VITÆ CHRISTI BEATISSIMÆQUE EJUS MATRIS 273

Institutio bona ad exhibendam reverentiam Deo, et devotionem excitandam. . 285

MEDITATIONES SEU ALPHABETUM AUREUM ANIMÆ CUJUSQUE FIDELIS DEOQUE DEVOTÆ, AD JESUM CHRISTUM SPONSUM PATIENTEM.

Capitulum I. Actio gratiarum pro Filii Dei Incarnatione, pœnalitatumque generis humani assumptione. 291
Pro morum, virtutum vitæque Christi Jesu imitatione, precatio 292
Capitulum II. Actio gratiarum pro Filii Dei venditione et pedum Discipulorum ablutione, sacramentique Eucharistiæ institutione 292
Pro Christi humilitatis in Discipulorum pedum ablutione, charitatisque in Eucharistiæ sacramenti institutione, imitatione, et digna ad ipsum sumendum præparatione, precatio 292
Capitulum III. Actio gratiarum pro Christi angustia et sanguineo sudore in horto, pro traditionis, captionis et ductionis ad Annam pontificem feritate 293
Adversus dissolutam animi lætitiam omnemque inordinatam tristitiam, pro vera abnegatione suique plena resignatione, precatio 294
Capitulum IV. Actio gratiarum pro Jesu furiosa ad Caipham ductione, vexationibus omnifariis, damnatione, ad Pilatum tractione, accusationibus, ductione ad Herodem, illusione, et ad Pilatum remissione 295
Pro mansuetudine, humilitate, patientia et sui cognitione, precatio 295
Capitulum V. Actio gratiarum pro Jesu post sui comparationem cum pessimo latrone, ignominiosa nudatione, crudelissima ligatione, immanissima et dolorosissima flagellatione, dilaceratione, sanguinisque effusione et conculcatione. 296
Pro sui contemptione, Dei forti amore, et in cunctis adversis patientia valida, et pro felici morte, precatio 296
Capitulum VI. Actio gratiarum pro Jesu pœnosissima coronatione, purpuræ vilissimæ vestitione, cum arundine illusione, falsa adoratione, alapatione, coram universo populo productione, irrisione, et ad crucem denique mortemque postulatione. 297
Adversus omnem arrogantiam, omnem ostentationem omnemque superbiam: item pro vera compassione compunctione et charitate, precatio. 298
Capitulum VII. Actio gratiarum pro Jesu, post varias pœnas et illusiones, ad mortem damnatione 298
Pro patientia et mititate, pro sui examinatione, judicatione, peccatorum absolutione et salvatione, precatio. . . . 298
Capitulum VIII. Actio gratiarum pro Jesu dolorosa Crucis bajulatione, sub eadem defectione, mœstissimæ ejus Matris obviatione, ante denique ejus crucifixionem vestimentorum furibunda extractione, omniumque ejus vulnerum innovatione 299
Pro perfecta sui abnegatione, rerum et spiritus paupertate, christiformiumque virtutum imitatione, precatio. . . . 300
Capitulum IX. Actio gratiarum pro Jesu miserabili, nuda lamentabilique sessione in vento super frigidum lapidem, et exprobrationibus injuriisque illi illatis, et violentissima dolorosissimaque super Crucem protrusione et lapsu. . . 300
Pro præservatione a peccatis, erroribus et desperatione in morte, precatio . . . 301
Capitulum X. Actio gratiarum pro Jesu manuum pedumque pœnosissima super Crucem expansione et perforatione, omniumque membrorum et compagum ejus distentione et dissolutione . . . 301
Pro strenuitate in Dei servitio, mortificatione vitiorum et nuditate interna, precatio 302
Capitulum XI. Actio gratiarum pro Christi Jesu efficacissima ferventissimaque cum multis amarissimis lacrymis effusa ad Patrem suum cœlestem oratione, pro cunctis suis crucifixoribus, qui tunc et usque hodie eum crucifigunt 303
Pro vulnerante Dei amore, et perfecta proximi dilectione, tam amicorum quam inimicorum, precatio. 303
Capitulum XII. Actio gratiarum pro Crucis Domini Jesu furiosa elevatione, ponderoso et violentissimo dolorosissimoque delapsu in petram. 303
Pro Dei casto timore, compassione et amo-

Digitized by Google

re erga crucifixum Dominum Jesum, precatio 304
Capitulum XIII. Actio gratiarum pro multiplici cruciatu tam externo quam interno Christi in Cruce, et pro glorioso Crucis Christi titulo 304
Pro adversitatum omnium leni perpessione, divinæ charitatis ardore, proque afflictorum cunctorum consolatione, precatio 305
Capitulum XIV. Actio gratiarum pro Domini Jesu pretiosissimi sanguinis ex quatuor vulneribus abundanter effluentis eruptione, et Crucis terræque irrigatione, omnium item ipsius membrorum ineffabili pœna 306
Pro vera contritione atque perfecta sui ipsius et omnium creaturarum mortificatione et unione cum Deo, precatio . . 306
Capitulum XV. Actio gratiarum pro multis et variis blasphemiis, exprobrationibus et irrisionibus, Christo in Cruce irrogatis a ministris et principibus sacerdotum atque senioribus populi . . 307
Pro plena reconciliatione veraque vitæ emendatione : item pro charitatis Dei, cæterarumque virtutum infusione : denique pro arrepti propositi et vocationis consummatione, precatio 308
Capitulum XVI. Actio gratiarum pro misericordissima latronis ad Christi dexteram pendentis conservatione, et ignominiosa furibundaque Christi vestium partitione. 309
Pro vera contritione peccatorumque remissione et secura morte, precatio . . 312
Capitulum XVII. Actio gratiarum pro inæstimabili dolore atque angustia, quem ex suæ dulcissimæ Matris præsentia Christus in Cruce habuit : pro ejus commendatione discipulo Joanni : et hujus vicissim illi 312
Ut in cunctis nostris angustiis et afflictionibus, Jesu Christi et Matris ejus sentiamus relevamen, precatio. 313
Capitulum XVIII. Actio gratiarum pro miraculis et prodigiis in Christi Passione eventis, atque pro mœstissima ejus derelictione suo a cœlesti Patre . . . 313
Pro miti omnium adversitatum sufferentia et plena sui in eis resignatione, precatio 314
Capitulum XIX. Actio gratiarum pro spirituali et naturali Christi siti in Cruce acerrima ; itidem pro fellis et aceti potatione amarissima, necnon pro operis redemptionis nostræ consummatione fidelissima. 315
Pro siti et incendio divini amoris pro perfecta sui abnegatione, et detestatione omnis carnalis delectationis : pro divinæ itidem voluntatis adimpletione et consummatione, precatio 316
Capitulum XX. Actio gratiarum pro cunctorum Christi sensuum pergravi in Cruce dolore, pro flebili itidem et amara morte ejus 317
Pro sui reconciliatione, peccatorum remissione ; pro perfecta sui mortificatione, simplici rectaque intentione, denique pro felici et secura morte, precatio. 318
Capitulum XXI. Actio gratiarum pro superexcellenti Dei erga nos amore, quo non modo tot tantaque salutis nostræ gratia assumere, facere, sustinere, ac demum in ignominiosissimam et acerbissimam mortem animam suam nobilissimam tradere non refugit, verum etiam se mortuum totum pro nobis ardentissime impendit 320
Pro jugi inhabitatione dulcissimi Cordis et sacratissimorum vulnerum Jesu, pro perfecta sui unione cum Deo, pro inextinguibili Dei amore, precatio . . . 321
Capitulum XXII. Actio gratiarum pro longa Christi post mortem suam in Cruce pendentia : pro humili et luctuosa ejus de Cruce depositione : item pro mœstissima atque honorifica ejusdem sepultura 322
Pro gratitudine et fidelitate : pro strenua in bono suscepto proposito perseverantia : pro sui itidem plena perfectaque abnegatione et desiderio Christi vitam imitandi : insuper pro digna præparatione, susceptione et conservatione Corporis Christi ; pro morte denique felici, precatio 323

GLORIFICATIONES SEU GAUDIA SPECIALIA QUINDECIM DOMINI JESU CHRISTI, UNA CUM SUIS PRECATIONIBUS. 326

Glorificatio I. Jesu Christi anima sanctissima uti post exspirationem in Cruce descenderit ad limbum sanctorum Patrum 326

Digitized by Google

Pro omnibus in purgatorio detentis, precatio 326
Glorificatio II. Jesu Christi anima uti triduo ante Resurrectionem suam morata fuerit cum animabus sanctis, e limbo liberatis 326
Pro animæ puritate verique gaudii infusione, precatio. 326
Glorificatio III. Jesu Christi anima uti animas e limbo ereptas in paradisum introduxerit. 327
Adversus quamvis pravam libertatem et consuetudinem precatio 327
Glorificatio IV. Jesus Christus ut suum corpus glorificaverit,et suæ mœstissimæ Matri resurgens apparuerit. 327
Pro vitiorum propriæque voluntatis morte, et triumpho de inimicis, augmentoque charitatis ac donorum Spiritus Sancti, precatio 327
Glorificatio V. Jesus Christus uti glorificationem divinæ claritatis acceperit a Patre in sua humanitate, et pro omnibus suis membris electis 327
Pro clarificatione animæ post exitum hujus vitæ, precatio 328
Glorificatio VI. Jesus Christus uti omnium membrorum suorum glorificationis inæstimabilem claritatem acceperit a Patre 328
Pro lumine gratiæ perfectioneque divinæ voluntatis, precatio 328
Glorificatio VII. Jesus Christus uti electorum animos mœstitia repletos sua Resurrectione crebrisque apparitionibus, gaudio consolationeque affecerit . . . 328
Pro sui plena abnegatione perfectaque obedientia ac pectoris pace, precatio . 328
Glorificatio VIII. Jesus Christus uti ascensurus in cœlum, discipulis apparuerit, cum eis comederit, eosque docuerit, ac in universum prædicaturos miserit. 329
Pro sui omniumque rerum contemptione propriæque imperfectionis cognitione, precatio 329
Glorificatio IX. Jesus Christus uti in monte Oliveti suis electis apparuit, benedixit ac valedixit, cœlosque ipsis cernentibus conscendit 329
Pro animæ virium sensuumque ac spiritus reformatione et intratione in Deum, precatio 329
Glorificatio X. Jesus Christus uti suam glorificatam humanitatem, omnesque electas animas ex limbo liberatas, Patris æterni conspectui gloriosissime repræsentarit 330
Pro animæ post hanc vitam perfecta glorificatione, precatio 330
Glorificatio XI. Jesu Christo uti a Patre cœlesti data sit omnis potestas in cœlo et in terra 330
Pro vitæ Jesu perfecta imitatione, virtutumque et meritorum ipsius participatione, precatio 330
Glorificatio XII. Jesus Christus uti plenum jus et dominium super cunctos suos susceperit a Patre electos et amicos. . 330
Pro annumeratione consortioque omnium amicorum Dei, precatio. 330
Glorificatio XIII. Jesus Christus uti suis electis discipulis Spiritum Sanctum transmiserit. 331
Pro gratia illuminationeque Spiritus Sancti, precatio. 331
Glorificatio XIV. Jesus Christus uti Matrem suam visitaverit, assumpserit et super cunctos Angelorum choros superexaltarit 331
Pro Dei gratiæ, per ejus Matrem, in hac vita augmento, et post eam cum eadem Dei Matre glorificatione, precatio. . . 331
Glorificatio XV. Jesus Christus uti in majestate ad universale sit judicium venturus, et unicuique prout meruit, gaudia vel tormenta redditurus. 331
Confessio divinæ excellentiæ, propriæque humanæ malitiæ accusatio, et ad judicium præparatio 332

THRENI DE COMPASSIONE ET PLANCTU PIISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

Threnos I. Actio gratiarum pro mœrore, quo Cor B. V. Mariæ afficiebatur, quando Filius ejus ipsi Passionem suam revelans, eidem valedixit. 337
Pro gratia et amicitia beatæ semper V. Mariæ; item pro continua sua defensione, directione et auxilio, pro secura denique morte, precatio 338
Threnos II. Actio gratiarum pro mœstitia, qua Cor B. Mariæ correptum fuit, dum in spiritu cognovit Filium ad mortem usque contristari, sanguineumque sudare sudorem 338

Digitized by Google

Pro peccatorum contritione, remissione et satisfactione, pro abnegatione propriæ voluntatis, omnium inordinatorum affectuum : denique pro recta, simplici ac deiformi intentione, precatio. . . 339
Threnos III. Actio gratiarum pro mœstitudine et dolore, quo Cor B. V. Mariæ ob traditionem dulcissini Filii sui coangustatum fuit 340
Pro charitate, misericordia et compassione erga omnes, præcipue ad inimicos, pro item mititate et patientia in adversis, precatio. 342
Threnos IV. Actio gratiarum pro mœrore atque dolore B. V. Mariæ, ob ferocissimam captionem, immanissimam ad terram prostrationem, crudelissimamque Filii ligationem, ob scandalum denique in fide et fugam discipulorum. 342
Pro superbiæ, vanæ gloriæ et omnis arrogantiæ exstirpatione, propriæque vilitatis et nihileitatis agnitione, pro sancto sui odio,denique pro profundissimæ humilitatis, mititatis ac patientiæ infusione, precatio 344
Threnos V. Actio gratiarum pro cruciatu et angustia Deiparæ Virginis qua æstuabat, dum prædilectus Natus ejus post truculentam captivationem crudelissime ligatus, multis injuriis Annæ principi sacerdotum adducitur, horribili alapa ibidem cæditur, et a discipulo ter negatur 346
Pia et affectiva deploratio multiplicis in Religione commissæ inobedientiæ, et pro humili et simplici hilarique Superioribus exhibenda obedientia, denique pro mitissima patientia in omni objurgatione, paupertate et dolore, precatio . . 348
Threnos VI. Actio gratiarum pro immenso dolore et mœstitia qua Cor Deiparæ concussum fuit, dum Natus ejus ferocissime ligatus tanquam maleficus nocte media ab Anna ad Caipham duceretur, ibique iniquis et impuris mendaciis accusaretur, et blasphemiæ incusatus, mortis reus damnaretur. 351
Deploratio multiplicis admissæ superbiæ, doli atque mendacii, et pro veræ, profundæ ac perfectæ humilitatis, necnon pro justæ ac immutabilis veritatis infusione, precatio 352
Threnos VII. Actio gratiarum pro immenso acerbissimoque mœrore, quo Cor sacratissimæ Virginis distendebatur, dum indesinenter tota nocte in Caiphæ domo tam indignis tractaretur modis Christus prædilectus Filius ejus . . . 354
Pia humilisque deploratio frequentis, ejusque indignæ communionis Corporis Christi, atque pro digna et debita præparatione et fructuosa susceptione ejusdem, precatio 355
Threnos VIII. Actio gratiarum pro vario dolore ac mœstitudine cui immergebatur piissimum Cor B. Virginis, dum Filium suum, vultu ex plagis tumido ac livido, sanguine obducto, phlegmatibus repleto,unguium laceratione dissecto, a Caipha ad Pilatum crudeliter et ignominiose deduci conspexit, coramque eo multipliciter et falso incusari audivit . 357
Pro columbina simplicitate, pia compassione fraternaque charitate jugiter gerenda circa delinquentia proximorum, et pro sui sedula atque severa observatione et examine, precatio 359
Threnos IX. Actio gratiarum pro diri doloris vulnere, quo conficiebatur Cor maternum, dum truculenter et contumeliose ut sceleratus et morti reus a Pilato ad Herodem, ab eodemque veste alba ut delirus irrisus, denuo ad Pilatum contemptibiliter duceretur . . . 360
Pro assidua diligentique linguæ custodia ob innumera inde affluentia animæ pericula, necnon pro sedula dulcique collocutione animæ cum Christo, precatio 361
Threnos X. Actio gratiarum pro gladio doloris, qui animam Deiparæ dire lancinabat dum Filius ejus inverecunde et inhoneste denudaretur, inclementer ad columnam ligaretur,inhumaniterque flagellis, virgis et scorpionibus dilaceraretur 362
Oblatio pro peccatis cunctisque negligentiis et defectibus satisfactoria; item resignatio sui totius in Christi gratiosissimam voluntatem, precatio. 363
Threnos XI. Actio gratiarum pro immenso dolore quo beatissima Deipara Virgo discruciabatur, dum dire flagellis cæsus et cruentatus, atque a columna absolutus coram tota militum cohorte spinea corona, chlamyde coccinea,

Digitized by Google

arundine et aliis contumeliis illuderetur Filius ejus 364
Humilis et dolorosa confessio nostræ impatientiæ, cæcitatis et ingratitudinis in tribulationibus, Dei munere exhibitis : itidem pro vitiorum horum emendatione, contrariarumque virtutum largitione, precatio 365
Threnos XII. Actio gratiarum pro mœrorum abysso, qua demergebatur Cor Deiparæ, dum a præside populo spectandus exhiberetur adeo dire excruciatus dilectus Unicus ejus, a sævissimaque plebe feroci animo ad ignominiosum Crucis supplicium expostularetur, et mortis sententia a Pilato damnatus, Judæorum manibus crucifigendus traderetur. 366
Pro indelebili profundissimaque impressione imaginis Passionis Christi et dulcissimæ Matris ejus : pro præcordiali compassione, pro perfectaque dilectione et plena sui reconciliatione, precatio 368
Threnos XIII. Actio gratiarum pro gravi mœrore christiferæ Virginis, dum innocenter ignominiosæ morti adjudicatus, latronibus associatus, gravissima Crucis mole pressus, vilissime et ferociter tractaretur, et ad Calvariam educeretur dulcissimus Natus ejus. 368
Pro hilari, fideli perseverantique bajulatione crucis tribulationum cum Christo et pro plena perfectaque egressione extra seipsum omnemque creaturam, precatio 370
Threnos XIV. Actio gratiarum pro acerrima mœstitia qua anima christiferæ Virginis contorta fuit, ob furiosam et inverecundam nudationem, rigidissimam super Crucem extentionem, crudelissimam manuum et pedum perforationem unici Filii sui 371
Pro viscerosa compassione erga crucifixum Deum et mœstissimam Matrem ejus : item pro innovatione veteris hominis per sui abnegationem et resignationem, precatio. 372
Threnos XV. Actio gratiarum pro mœstissimo dolore, quo correpta fuit Dei Mater, dum cum Crucis mole elevaretur, in duorum latronum medio suspenderetur, blasphemaretur, exprobraretur, illuderetur, dum pro his cœlestem Patrem deprecaretur, et latroni regnum suum polliceretur benedictus Natus ejus 373
Pro jugi devotaque Deo exhibenda cordis et operis gratitudine, de sua in nos liberalissima beneficiorum profusione, pro miti et humili omnium adversitatum tolerantia et recta intentione, precatio 374
Threnos XVI. Actio gratiarum pro gravi mœrore, quo Dei Genitrix comprimebatur, dum Christi vestes in prædam dari, seu sorte dividi ; dum quoque ipsum tam miserandum in modum distentum, lacerum et deformatum, undique sacrum cruorem fluere conspiceret. . . 375
Pro purificatione cordis ab omni vitiosa affectione et amore creaturarum ; item pro benigna irrigatione, seu communicatione sacrosancti liquoris gratiarumque ex Christi vulneribus in omnes Ecclesiæ filios, precatio. 376
Threnos XVII. Actio gratiarum pro sævissimo doloris mucrone, quo tota transfigebatur fidelissima Christi Parens, dum piissima et consolatoria sed lamentabili voce Joannem sui loco in filium eidem assignaret, atque eam illi in matrem commendaret idem dilectus Filius ejus 377
Pro adoptionis gratia, protectione et auxilio Deiparæ Virginis Mariæ, toto vitæ decursu et mortis articulo, precatio. . 379
Threnos XVIII. Actio gratiarum pro acerrimo dolore, quo Cor piissimæ Virginis correptum fuit, dum Christum acri, valida et horribili voce se derelictum, seque sitire clamantem audiret : dum spiritu Patri commendato, dissolvi eum et lancea exiguo temporis interjecto spatio confodi cerneret. 380
Pro exstinctione et nece omnium pravorum desideriorum, inclinationum ac vitiorum : pro ferventi et pura dilectione gloriosæ Virginis et pia maternaque ejus custodia in omni necessitate et in hora mortis, precatio 383
Threnos XIX. Actio gratiarum pro excessivo et impatibili dolore, quo intrinsecus discerpebatur B. Virgo, dum anxie diu exspectatum, jamque a Cruce solutum, et castissimo sinu susceptum undique perlustraretur Filium : dum eo-

Digitized by Google

dem sepulto per Passionis loca, mœsta et semiviva domum reduceretur . . . 384
Pro jugi et æstuanti compassione erga crucifixum Deum, et misere cruciatam ejus Matrem : item pro conformitate et imitatione morum christiferæ Virginis Mariæ, precatio 386

HYMNI CHRISTIFORMES

Hymnus I. Ad supersanctissimam Trinitatem piissimus juxta ac devotissimus . 393
Hymnus II. Ad supersanctissimam Trinitatem, hominem in Deum transformans 394
Hymnus III. Ad Jesum Christum Dominum nostrum 395
Hymnus IV. De vita, passione glorificationeque D. N. Jesu Christi, beatissimæque Virginis Mariæ Matris ejus 397
Hymnus V. Ea quæ Christus hora Matutina pro nobis ex sola charitate passus est, succinctim perstringens. . . . 402
Hymnus VI. Ea quæ Christus pro nobis passus est hora Prima, brevissime explicans. 402
Hymnus VII. Ea quæ Christus pro nobis hora Tertia passus est succinctim enarrans 403
Hymnus VIII. Ea quæ Christus hora Sexta pro nobis perpessus est breviter explicans. 403
Hymnus IX. Ea quæ Christus hora Nona pro nobis passus est succinctim exponens 403
Hymnus X. Ea quæ hora Vespertina ante et post Christi necem acta sunt brevissime explicans 404
Hymnus XI. Christi tristissimam agoniam, ejusdemque sepulturam paucis explicans. 404
Hymnus XII. Jesu Christi beatissimæque Matris ejus Mariæ vitam, passionem glorificationemque brevissime complectens, aureus, seu Rosarium rythmicum, per decades quinque distributus . 405, 406
Hymnus XIII. Ad septem effusiones sanguinis Jesu Christi, contra septem peccata mortalia 409
Hymnus XIV. De septem verbis ultimis Domini Jesu in Cruce. 410
Hymnus XV. Ad quinque vulnera Christi, deque ipsius amore inæstimabili . . . 410
Hymnus XVI Ad Christi sensus et membra pœnis afflictissima, et pro ipsius imitatione 411
Hymnus XVII. Ad tristissimam animam Christi, et de ejus angustiis 412
Hymnus XVIII. Ad spiritum Jesu, tum divinum tum humanum, et de ejus amore ardentissimo. 412
Hymnus XIX. De septem gaudiis D. Jesu . 412
Hymnus XX. De Passione Domini Jesu Christi. 413
Hymnus XXI. Laudes creaturarum referens Creatori 414
Hymnus XXII. Alius qui totus est oratio . 415
Hymnus XXIII. De divina Charitate, gradus, officia dignitatemque ejus explicans 415
Hymni XXIV, XXV, XXVI, XXVII, XXVIII. De beatissimæ Virginis Mariæ laudibus et veneratione : gaudia quinquaginta beatissimæ Dei Genitricis, quibus præ cæteris hominibus in terra cœloque exultat, succinctim explicantes . . . 417
Hymnus XXIX. Ut inter omnes mulieres claras beatissima Virgo Maria benedictissima illustrissimaque prædicetur . 419
Hymnus XXX. Gaudia quindecim beatissimæ Virginis Mariæ breviter explicans 420
Hymnus XXXI. Jesu Christi vitam et Passionem, beatissimæque Virginis Mariæ Matris ejus præconia explicans, in decades quinque distributus 421
Hymnus XXXII. Horas septem compassionis beatissimæ Virginis Mariæ explicans 424
Hymnus XXXIII. Dolores septem B. Mariæ explicans 425
Hymnus XXXIV. Ea quæ beatissima Deipara Virgo Maria ex Filii Passione per compassionem sustinuit, paucis explicans 425
Hymnus XXXV. Gaudia septem corporalia B. Virginis Mariæ explicans 427
Hymnus XXXVI. Gaudia septem ejusdem B. Mariæ spiritualia explicans. . . . 427
Hymnus XXXVII. Pius admodum ad B. Virginem Mariam Christi Matrem, quem Angeli cecinisse coram Virgine auditi sunt 428
Hymnus XXXVIII. Ad eamdem B. Virginem alius pius valde 428
Hymnus XXXIX. Alius ad eamdem. . . 428
Hymnus XL. Privilegia duodecim glorio-

Digitized by Google

sissimæ Virginis Mariæ explicans. . . 429
Hymnus XLI. Deprecatorius ad B. Mariam Virginem. 429
Hymnus XLII. In laudem christiferæ Virginis Mariæ psalterium perbreve . . . 430
Suspiratio pia ad Dei Matrem. . . . 430
Hymnus XLIII. Laudes sanctissimæ Virginis Mariæ miro artificio explicans. . 431
Hymnus XLIV. De S. Joannis Baptistæ ortu, vita, præconio et invocatione . . . 431
Hymnus XLV. S. Joannis Apostoli et Evangelistæ vitam, laudes sanctitatemque succinctim explicans 432
Hymnus XLVI. S. Jacobi apostoli majoris vitam, passionem laudesque summatim explicans 433
Hymnus XLVII. S. Georgii militis martyrisque Christi invicti vitam laudesque succinctim explicans. 434
Hymnus XLVIII. Sanctissimi Patris Hieronymi vitam, præcellentiam et mira gesta compendio perstringens. 434
Hymnus XLIX. De ejusdem S. Hieronymi præconio et laboribus pro Ecclesia catholica exantlatis 435
Hymni L, LI, LII, LIII, LIV, LV, LVI. Juxta septem Horas canonicas, S. Brunonis, protopatriarchæ Cartusianorum, vitam præconiumque paucis perstringentes . 436
Hymnus LVII. S. Hugonis cartusiani, Episcopi Lincolniensis laudes summatim explicans 438
Hymnus LVIII. De eodem alius 438
Hymnus LIX. Beatissimæ Annæ Deiparæ Virginis Mariæ genitricis laudes sanctitatemque obiter perstringens. . 439
Hymnus LX. De eadem sanctissima Anna matre Deiparæ Virginis. 439
Hymni LXI, LXII, LXIII, LXIV, LXV, LXVI, LXVII. De S. Maria Magdalena, qui ad septem possunt legi meditarive Horas canonicas 439
Hymnus LXVIII. De sanctissima Barbara regina, virgine et martyre sponsaque Christi 443
Hymnus LXIX. S. Barbaræ reginæ, virginis, martyris sponsæque Christi Jesu, martyrium et encomium paucis explicans 443
Hymnus LXX. Ejusdem sacræ virginis et martyris sanctitatem gaudiaque obiter explicans. 443
Hymnus LXXI. S. Catharinæ virginis, martyris sponsæque Jesu Christi vitam, laudes sanctitatemque obiter enucleans. 444
Hymnus LXXII. S. Cæciliæ virginis et martyris vitam laudesque explicans . . . 444
Hymnus LXXIII. De S. Agnete virgine, martyre et sponsa Christi 445
Hymnus LXXIV. Undecim millium virginum, martyrum Christi, martyrium, laudes beatitudinemque breviter explicans. 446
Hymnus LXXV. Responsio virginum ac martyrum earumdem 447
Hymnus LXXVI. De omnibus sanctis Apostolis, Evangelistis et Discipulis Domini. 447
Hymnus LXXVII. De omnibus sanctis Martyribus 448
Hymnus LXXVIII. De omnibus sanctis Confessoribus 449
Hymnus LXXIX. De omnibus sanctis Virginibus, Martyribus et Continentibus . 449
Hymnus LXXX. Supplicatorius piusque admodum ad cunctorum Sanctorum ordines 450
Hymnus LXXXI. Exhortatorius ad pœnitentiam 451
Hymnus LXXXII. Perfectionis vitæ christianæ summam breviter complectens . 452
Hymnus LXXXIII. Aspirationes ignitissimæ pro divino ac unitivo amore. . . 454
Passio Domini nostri Jesu Christi juxta quatuor evangelistarum narrationem compendiose elucidata 459

Digitized by Google

Digitized by Google

Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis Monstrolij.
Ern. Duquat Typographus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google